Supp. 59425/B Vol. 2

HALLER, A. von Vol 2



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30527909_0002

# EPISTOLARUM
AB
# *ERUDITIS VIRIS*
AD
# ALB. HALLERUM
SCRIPTARUM
*PARS I.*

*Latinæ.*

VOL. II.

EPISTOLÆ 195. ad 404.
SCRIPTÆ AB ANNO MDCCXL.
AD ANNUM MDCCXLVIII.

BERNÆ.
*Sumptibus Societatis Typographicæ.*

1773.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

331569

# PRÆFATIO.

Ecce alterum Epiſtolarum ad me datarum Volumen. Severiori cura ſum adnixus, ne vel mera amicorum publice non utilia officia locum aliquem occuparent, vel nova litteraria nunc antiqua; neve demum aliquid irreperet, quod ſuperſtitibus amicis moleſtum eſſe poſſet. Multæ hic cum ſint diſcipulorum epiſtolæ, vitari non potuit, quo

ſubinde elogia, etiam longe ſupra meritum eloquentia, ſe grati animi teſtimoniis admiſcerent. Eam culpam ſi non undique evitavi, hic omnino deprecor. Ut facilius aliquæ epiſtolæ intelligantur addo, me totis his novem annis Göttingæ vixiſſe, cæterum anno 1745. in Patria fuiſſe.

BERNÆ, 18. Aug. 1773.

INDEX

# INDEX

# EPISTOLARUM

## TOMI II.

Quarum auctores in Imo. Tomo nondum comparent, eos aſteriſco diſtinxi.

CHRISTIAN. GOTTL. LUDWIG, *quem nuper amiſimus*. Ep. 195. 204. 209. 212. 214. 215. 219. 223. 226. 233. 237. 241. 247 248. 250. 256. 263. 267. 273. 275. 277. 278. 285. 291. 296. 310. 316. 325. 330. 333. 338. 361. 367. 397.

J. GESNER. Ep. 196. 197. 200. 213. 222. 225. 229. 232. 235. 240. 246. 253. 268. 286. 290. 302. *309. 327. 328. 350. 351. 359. 378. 382. 389. 401.

ADR. V. ROYEN. Ep. 198. 229. 319.

P. H. GERARD MOEHRING. Ep. 199. 205. 210. 230. 239.

BERNH. FELDMANN. Ep. 201. 245.

# I N D E X.

CAROLUS LINNÆUS. Ep. 202. 228. 252. 269. 274. 298. 314. 331. 336. 340. 349. 350. 360. 379. 390.

CHRISTIAN FRID. HÆNEL. † Ep. 203. 211. 217. 231. 236. 244. 267.

* TRAUGOTT GERBER, *Botanices in Ruſſia Profeſſor.* † Ep. 206. 221. 242.

J. FRIDERICUS SCHREIBER. † Ep. 207. 210. 220. 243. 2 7. 261 270. 280. 283. 299. 300. 313. 332. 341. 353. 368. 378. 381. 387. 400.

J. JAC. DILLENIUS. † Ep. 208. 216. 282. 320. 329. 337. 345.

* ANTONIUS RIBEYRO SANCHE'S, *Archiater Ruſſicus.* Ep. 227. 255. 288. 297. 307. 3 2. 323.

* JOH. BURMANNUS, *Profeſſ. Bot. Amſt.* Ep. 234.

* FRIDERICUS ZIEGLER, *Profeſſor Rintelienſis.* Ep. 238.

* J. GEORG SIEGESBECK, † *Botanicus Petropolitanus.* Ep. 239. 295. 317. 342.

* HIERON. DAVID GAUBIUS. Ep. 245. 391.

J. GEORG GMELIN. † Ep. 251. 257. 2 8. 261. 262. 265, 26. 271. 2 6, 281. 284. 289. 299. 305. 311. 315. 318. 339. 347. 356. 362. 363. 366. 369. 370. 374. 376. 377. 384. 388. 395. 396.

* JOSIAS WEITBRECHT †, *Inciſor Petropolitanus.* Ep. 272. 203.

J. CHRISTOPH BOHLIUS. Ep. 279.

* J. FRID.

# I N D E X.


* J. FRID. MECKEL, *celeberrimus Inciſor.* Ep. 287. 293. 301. 304. 306. 321. 322. 329. 334. 399. 403.

* ABRAHAM BÆCK, *Archiater Suec.* Ep. 292.

* J. B. MORGAGNUS, † *Vir ſummus.* Ep. 308. 326. 375. 393.

* NIC. ROSEN, poſtea v ROSENSTEN, *quem fidum amicum nuper amiſi.* Ep. 335. 344. 355. 365. 385. 397.

* EBERHARD ROSEN, *Profeſſor Lundenſis.* Ep. 343. 358.

* JOS. EXUPERIUS BERTIN, *Acad. Scient. Par. Sod.* Ep. 346. 352.

* J. CHRISTOPH RAMSPECK, *Profeſſor Baſileenſis.* Ep. 367. 373. 380. 386. 392. 402.

* PETRUS TARIN, *Inciſor Pariſinus.* Ep. 371.

* HUMPHRED SIBTHORPE, *Profeſſor Oxonienſis.* Ep. 372.

* CAR. BORSIERI, *Medicus Epiſcopi Gurcenſis.* Ep. 383.

* GEORG CHRISTIAN GEBAUER † *I. Anteceſſ. in Acad. Georg. Aug* Ep. 398.

* B. WICHMAND, *Danus.* Ep. 404.

195.

# D. CHRISTIANUS GOTTLIEB LUDWIG.

Diuturni mei ſilentii aliam non proferre poſſum excuſationem, quam quod nihil hactenus invenirem attentione tua dignum. Diutius vero reſponſorias differre nequeo, tum ut aliquale animi deditiſſimi habeas teſtimonium, tum ut gratias Tibi reddam pro egregiis ſpeciminibus plantarum alpinarum: colligam inpoſterum alia, quæ mihi curioſiora viſa ſunt. Nunc mihi expecto conſilium tuum circa plantas compoſitas, neſcio enim cujus auctoris veſtigiis inſiſtere debeam, & qui obſervationibus certiſſimis ſuffulta exhibuerit genera. Quæ Linnæus hac in re propoſuit, mihi quidem quam maxime placent, exceptis quibusdam generibus, ſed neſcio an cunctas, quas generibus ſubjecit, ſpecies rite examinaverit. Involucrum, quod Linnæus in umbelliferis tanti fecit, mihi incertius videtur ſignum, quam ſemina, diſquiſivi illud jam olim, jubente ita Walthero, ſed nihil commodi inde impetrare potui. Cognoſco quidem & figuram ſeminum fallacem eſſe in generibus determinandis, aliquo tamen modo prærogativam merentur, quoniam non adeo in individuis ludunt, ut involucra.

Quid de his ſentias, explicabit opus tuum botanicum, quod maximo deſiderio exopto, nam in his duabus plantarum claſſibus vagus quam maxime ſum & dubius. Morgenbeſſerus, qui per hoc ſemeſtre mecum vixit, præter alia practica negotia & Herbarium meum & proprium in ordinem redegit: elegimus methodum Rivino Linnæanam, & ad petala, ſtamina & ſtylos quam maxime reſpeximus, & negotium ſatis feliciter ſucceſſit; neſcio tamen an in emendatiori definitionum mearum editione hanc methodum recipere potero, Tibique & tempori hoc dijudicandum relinquo. En deſcriptionem uberiorem Corallodendri & non ſpinoſi, quod præterito anno in horto Waltheriano & ſpinoſi, quod hoc anno in horto Boſiano floruit. Menſe Februario & nunc quoque floret Corallodendrum ſpinoſum. Caulis octo vel decem circiter cubitos altus, pollicem unum circiter cum dimidio diametri habebat, ſpinis denſis munitus erat, & ramos in ſummitate dimittebat ſex; radix arbori ſimilis fibroſa, vix lignoſa, uti & caulis non adeo duræ deprehendebatur ſubſtantiæ. In ſummitate ramorum ſpicæ florum ſex ad decem, forſitan & plures in ſolo natali habent flores; arbor foliis nuda erat præterquam in uno ramo, ubi flores deficiebant, folia terna in coſtis leviter ſpinoſa. Flos tetrapetalos irregularis papilionaceus. Quo magis luculentum ſit, addam comparationem floris in planta ſpinoſa & non ſpinoſa. In ſpinoſa vexillum amplum reflexum quodammodo concavum, in non ſpinoſa longum cuſpidatum, compreſſum,

enſi-

enſiforme: Alæ & carina multo breviores in ſpinoſa quodammodo ſuperant calicem monophyllum leviter quinquedentatum, in non ſpinoſa ſimilem calicem non ſuperant. Color petalorum in ſpinoſa coccineus, in non ſpinoſa itidem ſed fulgidiſſimus eſt. Stamina ut in papilionaceis omnibus in ſpinoſa recurva ſurgebant extra petala, in non ſpinoſa latent erecta intra vexillum enſiforme, & prope ad ejus longitudinem accedunt. Legumen unicum aderat, imperfectum, quod examinari haud potuit. Ad anatomica nonnulla nunc me converto. Faſciculum, qui a ſtylopharyngeo muſculo ad epiglottidem, ex mente Waltheri, abire debet, in cadavere, quod nuper permiſſu Hebenſtreitii diſſecui, invenire non potui, alterum tamen, qui ad tonſillam abit, ſatis evidentem cognovi; in eodem cadavere teſticuli deficiebant, & nonniſi umbra epididymidum aderat, alia plura circa genitalia obſervavi, quæ ſtatum præternaturalem prorſus ſingularem oſtendebant, inſignem præterea tumorem meſenterii, ſed hæc fuſius exponere nolo, ne Tibi moleſtus ſim. In robuſtiore ſubjecto poſtmodum a me examinato, zygomaticum minorem utrinque invenire non potui, ſed faſciculus Santorini, qui ab orbiculari ſecedit, & cum inciſorio excurrit, major deprehendebatur. Porro cognovi, corrugatorem ſuperciliorum peculiarem eſſe muſculum, tum a frontali tum ab orbiculari contextu celluloſo ſive membrana propria diviſum, ita ut quæſtio ſuperflua videatur, an ab orbiculari an a frontali ſecedat ille muſculus. Maſſeter faſciculis in-

ſignioribus ſub jugo ſupra temporalem adſcendebat, & duplicem quaſi temporalem mentiebatur. Quæ Monroo de digaſtrico ſcribit, mihi ſatis certa videntur, judicium tamen meum adhuc ſuſpenſum manet, donec altera vice diſquiſivero. Dum hæc ſcribo, traditur mihi per D. Hundertmark ſtrena anatomica, quam multo cum oblectamento perlegi, quoniam egregia multa in faſciculo illo obſervationum reperirem, addam igitur nonnullas meditationes, quæ hac occaſione occurrerunt. Peritonæi laminam externam ut plurimum quidem pro contextu celluloſo aſſumi poſſe credidi, in lectionibus meis vero, tanquam ſingularem laminam propono, quia proceſſus peritonæi, ſive tunica vaginalis teſtis, inde oritur, & quum mihi de duplicatura peritonæi ſermo eſt, tunc commode diſtinguo inter viſcera, quæ intra duplicem peritonæi laminam poſita ſunt, & inter illa, quæ intra duplicatam laminam inveniuntur. Quæ de membranis fœtus §. V. ſcribis, in canibus olim ita reperi. Obſ. §. IX. anno præterito in theatro noſtro anatomico quoque habuimus. In oculo bovino congelato eodem modo cameram poſteriorem non quidem, ut ego opinor, majorem, ſed ejusdem cum camera anteriori magnitudinis inveni. Credidi ſemper in ſtatu naturali cameram poſteriorem vel minimam eſſe, & nunc credo, liquor enim aqueus a frigore extenditur, cornea reſiſtit expanſioni, vitreus tamen humor cedit, quoniam vel tardius congelaſcit, vel gelu contrahitur, ut reliqui humores non adeo aquoſi. Hac occaſione in memoriam incidunt,

incidunt, quæ Hauſenius, Profeſſor Matheſeos, nuperrime mecum communicavit, probabile eſſe aſſerit, lentem cryſtallinam anterius planiorem, poſterius convexiorem fieri, quoniam in incremento ejus humor aqueus minus reſiſtat, quam humor vitreus, inde ubi minor reſiſtentia, ibi minor reactio & minus incrementum, ubi major reſiſtentia, ibi major reactio, & ita majus incrementum; arridet certe ſententia, niſi aliquid in contrarium proferatur. Dabam Lipſiæ, d. xv. Mart. 1740.

196.

## JOH. GESNERUS.

Dum ego a Te reſponſorias flagrantiſſimo deſiderio exſpecto, certior fio, meas ad Te literas, quas concivibus duobus meis ſtudioſis tradidi, ob mutatum itineris conſilium Tibi nondum redditas fuiſſe, hi enim in Belgium proficiſcentes eas ſecum retinebant: quamobrem hanc diuturnam intermiſſionem literarum mihi non culpæ vertas etiam atque etiam rogo. D. Mejerus ea tantum adnotavit ex excerptis ſuis, quæ tuo Commentario Boerhaaveano adhuc deeſſe ſibi videbantur: ſi uſui eſſe hæc annotata poterunt, lubens perget. Ego vero perlubenter faſciculo plantas addidiſſem, & ut verum fatear, doleo, me tam plane nihil ad Te mittere poſſe. Per bene multos enim annos Alpes noſtras adire impeditus fui, ut vix plantam habeam ſuperfluam,

cæ etiam, quas poſſideo, in magnis voluminibus compactis chartæ affixæ ſunt; feſellit etiam ſpem meam diſcipulus & S. S. Min. Cand. quem meis impenſis in Alpes Rhæticas mittere cogitabam, imperavit enim ei tenuis fortuna, ut præceptoris domeſtici munus ſuſcipiens ab his ſtudiis & itineribus deſiſteret. Te vero in elaboranda Hiſtoria plantarum Helvetiæ ad finem fere perveniſſe, merito Tibi hoc gratulor, qui tot & tantis graviſſimis negotiis detentus hoc præclarum & deſideratiſſimum opus abſolveris, de quo omnes eruditi plurimos jure fructus præſtolantur. Ante aliquot menſes tandem accepi Hortum Cliffortianum, opus ſane egregium & acerrimi judicii nec minoris eruditionis, quo difficulter Botanicus carebit; mihi perplacet ab eo in nominibus ſpecierum notas earum eſſentiales exhiberi, quod ante vix quisquam Botanicus recte præſtitit. Ex eo tempore ab hæredibus Scheuchzeri coemi Tabulas omnes ligneas operis Fuchſiani, quarum ſane plurimæ (licet nonnullæ erroneæ ſint) naturam affabre licet ruditer imitantur, ut exiſtimarim e re Tyronum in Botanicis fore, ſi hæ Tabulæ cum brevi introductione in rem herbariam & enumeratione ſtirpium medicatarum cum ſuis facultatibus ederentur, & fere perſuaſit mihi typographus, ut ſimile quid conarer; animus eſſet Linnæanam methodum & nomina iis adſcribere, vel ea quæ Tu in Hiſtoria plantarum helveticarum adhibebis, Te enim non latet, has ipſas Tabulas a Cel. Scheuchzero ſuo in his operi deſti-

deſtinatas fuiſſe. Tuum vero ſuper his conſilium mihi exoptatiſſimum erit, quod pro perſpicientia tua & candore mecum communicare non gravaberis. Parum abfuit quin Scheuchzerianum Muſeum mihi comparaſſem, obtuli ipſis 300. Ducatos aureos, ſed recuſarunt. Ex eo tempore duo alia mihi comparavi, in quibus non inelegantia Marina & Foſſilia, quibus Muſeum meum augerem, inveni. Florentia etiam Ciſta 50. lib. tota hiſce rebus plena ad me delata eſt; ſed amicus hicce meus D. Targionium nondum excitari potuit, ut quos promiſit Tibi deſtinatos muſcos ad me mitteret. Pictorem & ſatis officioſum hominem concivem Venetiis habeo, qui mihi piſces maris Mediterranei exſiccatos conſervat & mittit: neque enim deſiſto hiſtoriæ naturali operam navare. Domi modum aves conſervandi & harum aliquas paravi, rariores vero quales imprimis ſæva præterita hiems attulit, per pictorem artis peritiſſimum delineare curavi cum notis caracteriſticis. Hoc tempore in faciendis experimentis phyſicis multum detineor; accepi hac hebdomade Antliam pneumaticam, quam manu periti artificis D. Puſchner Cel. D. Doppelmajer parari curavit, & nonnullis acceſſionibus a ſe factis auxit; opus quod plane exſpectationi meæ in omnibus ſatisfecit.

Adfuit his diebus artifex Mediolanenſis A. Teſta, qui varia genera inſtrumentorum phyſicorum ex vitro fundenda parabit; imitatus etiam eſt Thermoſcopium Fahrenheidianum forma qui-

dem externa, ſed methodo parum accurata, nec reſpondente uſibus & accurationi Fahrenheidiani Thermoſcopii. Gillerus ad me ſcribit eſſe apud eos artificem, qui horologium paravit a perpetuo mobili parum diſtans, ſed non alium huic quam aliis in hoc genere moliminibus eventum ominor. Vale. Scribebam raptim Tiguri 26. Maji 1740.

## 197.

## D. LUDWIG.

Alteram quam diu jam exoptavimus partem Commentarii tui in Prælectiones Boerhaavianas, non tantum publico, ſed per D. Vandenhoeck etiam mihi tradidiſti. Auctarium, quod acceſſit primo tomo, optimum quidem eſt, ſed plures & diverſæ acceſſiones animum perlegentis diſtrahunt; qui & Boerhaavii ſcriptum & prælectiones, & notas, & additamenta uno quaſi intuitu pervolvere debet. Unicum adhuc eo ipſo acceſſit bibliopolis incommodum, quod multi, qui rationem inſtituti non rite cognoſcunt, credant, ſemper novas acceſſiones expectandas eſſe, igitur librum non citius emere cupiunt, quam abſolutis omnibus. Peto igitur majorem in modum, quod ſi novæ quædam adhuc acceſſiones ſubnaſcuntur, velis easdem ad finem operis remittere, ne, dum præjudicium nunc commemoratum in auditoribus debellare tento, mendax inveniar. Licet hac æſtate in corrigendis & dilucidandis aphoriſmis

mis meis botanicis operam meam collocare voluerim, moram tamen injecit inclementia cœli, quæ maximam veris partem perdidit, & inſuper anatomen germanicam in uſus Chirurgorum, quibus anatomica prælego, conſcribere ſuſcepi, illam tamen publici juris facere nolo, donec largiorem accepero occaſionem quasdam partes corporis accuratius examinandi. Vale interim, Fautor optime, & excuſes, ſi diligentia mea tuæ non reſpondet expectationi, interim me ut ſoles ama. Dab. Lipſiæ d. XXIII. Maji 1740.

## 198.

## ADRIANUS VAN ROYEN.

Litteras tuas & gratiſſimum plantarum donum accepi una cum ſpe videndi propediem itineris tui helvetici, in quo licet, ut ex relatione tua colligo, ſemel iterumque circa nomina diſſentiamus, nihil tamén hoc mutuæ amicitiæ officere poterit, immo parum detrimenti, ut puto, inde capiet Botanice.

Plantæ mihi ſuperiore hyeme perierunt haud paucæ, exoticas tamen, quas jam ante obtuli, ſi deſideres, quæſo, moneas in tempore & viam modumque, quo tutius ad Te perveniant, ſignifices.

Præter diſſertationes anatomicas duas Cl. Albini de colore Æthiopum & de vaſis inteſtinorum, tres alias icones poſſideo non ab eodem explana-

tas, quarum duæ meningum vaſa (ſi bene memini) & tertia vaſa acetabuli oſſis femoris concernunt: curabo, ſi potero, ut omnes vel nunc vel propediem per Wiſchofium accipias, qui mihi Tabulam tuam, in qua Cherleria eleganter expreſſa una cum textu eruditi operis tui communicavit, petiitque, ut Tibi perſuaderem ejus impreſſionem futuram in Quarto, non in Folio: verum ſi textus ſuppetat pro modico in Folio volumine, nitidius prodibit opus in Folio, me judice, quam alia forma; hinc mentem tuam ſuper his mihi velim aperias, ſimulque ſequentes ordine deſcriptiones transmittas, miſſæ enim nondum uni ſufficiebant Folio imprimendo. Non dubito, quin jam videris Dillenii ſubſcriptionis leges, quæ ſylvam ejus muſcorum concernunt. Specimen ſane pulcrum & abſolutum ſatis promittit opus in hoc ſtirpium genere. Cl. Heiſteri filius, qui ſemel iterumque me inviſit, plantas curare velle videtur, at pleraſque tamen tantum de facie novit. Cl. Linnæus emendatiora & auctiora molitur genera propediem, ut ex ultimis ejus litteris hauſi, prelo committenda. Vale, Vir Celeberrime, & mihi favere perge. Dabam Leydæ ad d. 15. Julii 1740.

199.

## P. H. G. MOEHRING.

Noviſſime quum aliquot dies Embdæ librorum emendorum gratia, quos ibi b. D. D. Meder

der ſelectos admodum reliquerat, commorarer, adcidit, ut cum Lugdunenſi bibliopola, Dom. Wishoff, patre, amicitiam inirem. Humani ſalutem viri adnunciandam Tibi habeo. Is tabulas quasdam, ad Synopſin tuam, ſat diu a me deſideratam, adtinentes, prelum exiiſſe perhibens, ipſæ a Te philyræ quam primum ut mitterentur, optabat. Multa de Te, Vir Optume, optuma locuti invicem ſumus. Gaubio candidiſſimo, aliisque nitorem tabularum tuarum perplacuiſſe adſerebat.

Quum iter Embdam facerem, uno alterove lapide abs urbe dicto, prope pagos Banckſtede, Ochtelbuhr & Riepe, Friſiæ orientalis, latis ceſpitibus vias & paſcua arenoſa ſubhumida, ubi hyeme aquæ dulces, aqua marina permiſtæ, ſtagnarunt, obtegebat flavo colore plantula, quæ examinata certo adparuit Cotula foliis lanceolato-linearibus amplexicaulibus inferne dentatis Linn. Hort. Cliffort. 417. teſtibus Africanis in vaporario plantis, & adjecta deſcriptione ſpecifica, quæ ſimul in floſculis femineis quædam habebit a Linnæo &c. minus enarrata. Hanc in Europa ſeptentrionali adeo læte creſcere, nullum botanicorum meminiſſe recordor; & haud ſine gravibus cauſſis adducor, quin credam, eamdem eſſe cum noſtra Matricariam maritimam Bauh. pin. 134. & Chamæmelum marinum J. Bauh. 3. 122. Lobelianæ namque figuræ videntur primæ; aſt obſcure radiatum florem pingentes, cujus ſterilis deſcriptio a noſtra haud abſimilis; hinc delinearunt

runt Dalech. hiſt. & Pancov. herbar. nil Lobelianis addentes. Caſp. Bauhinus forte plantam non vidit, ſed dictis fidens, ob radiatum florem Matricariam adpellavit. Joh. vero Bauhinus unde ſuam & iconem & deſcriptionem hauſerit, non liquet, quum nec loci natalis mentionem faciat, nec alium, præter Lobelium, auctorem citet, ut adeo neque hunc plantam cognoviſſe, ſed ex prædictis ſua compilaſſe, fere opiner. Tu, Vir Optume, qui Caſp. Bauhini ſiccum herbarium tractaſti, aperias mihi tuam hacce de re ſententiam. Radiatus enim flos ſolus etiamſi in Gallia Narbonenſi occurreret, nil in Cotulæ genere facit, niſi in reliquis illa a noſtra differat, quæ vel in millenis, & quod excurrit, floribus nec unum radiatum exhibuit. Etiam atque etiam Te rogo, velis quam primum his reſpondere. Nonne Barrel. aut Magnol. de eadem quid commemorant, qui non ad manus ſunt.

Grata fuerunt nova, gratiſſimum iter helveticum, laborioſiſſimo ſtudio ſynonyma hiſtoriamque ſpecierum enodans. Brendelium, amicum integerrimum, reſalutes quam humaniſſime, precor; cujus diſſertatio, nec Huberi programma, uti ſcripſeras, adjectum fuit, quæ a tuo poſthæc favore exſpecto.

Browallii apologiam libenter haberem, quodſi occaſio ejus emendæ adeſſet.

De methodo tua, omnium, quotquot exſiſtunt,

ſtunt, maxume naturali adparente, aliqualem mihi e litteris tuis fingo probabilem ideam. Erit tamen ad eam penitus evolvendam ſumma cura opus, qua, niſi ſanitas corporis tui majorem deſideret operam, utique par es. Sed ex artificialibus, fateor, Linnæi methodus, ceu maxume univerſalis, omnibus reliquis antecedere videtur.

Gaubium ...., a clandeſtina invidia proſequi relatum adcepi. Speciebus plantarum bene multis in horto, ſævitia hyemis noviſſimæ atque æſtatis ſicco ardore, orbatus ſum; ſupererunt tamen quædam proxumo auctumno tuos in uſus ſemina.

Vale, tuoque me porro candore amico amplectere. Scribeb. Jeveræ, a. d. 25. Jul. 1740.

200.

## JOH. GESNERUS.

Humaniſſimæ literæ tuæ mihi ante tres hebdomadas rite traditæ ſunt, cum iter in Thermas Badenſes molirer in his ipſis triſtiſſimus mihi nuncius de obitu cariſſimæ tuæ Conjugis affectus, quem ſane non absque ſumma animi commotione & terrore intellexi, cum de Te, Cariſſime Amice, & juſto tuo dolore cogitarem; quæ enim priſtini doloris aliquod lenimen afferre videri poſſet, ea vel initio hujus ſolatii Tibi erepta, ea nova

nova & iterata calamitate priſtinum vulnus aperiit. In his ſane caſibus, quos humana vis nec evitare nec facile prævidere poteſt, ſola divina potentia nos debiles homines erigere valet, quam novimus benigne & provide adverſitates noſtras beato & feliciſſimo effectu poſſe ſecundare. Hæc ipſa divina providentia, quæ adverſa Tibi fata hæc deſtinavit, brevi etiam proſpera exhibeat, quibus clementiam ejus in mediis his adverſitatibus Tecum poſſimus grato animo ſuſpicere, & det, ut ſummis his doloribus Te liberes & omnium bonorum voto Te erigas diuque meliori fortuna fruens ad ſeros nepotes in Reipublicæ literariæ & medicæ incrementum, & Tuorum atque Amicorum ſolatium ſupervivas. Et meo exemplo didici, & in Hofmanniana vita nuper a Schulzio edita legi, DEUM pro ſua omnipotentia & benignitate etiam quæ maxime contraria & adverſa & dura videri poſſent, in ſalutem hominum poſſe convertere. Tu ipſe, qui aliorum conſilio minime eges, hæc tamen pia pro felicitate tua vota mea pro noſtra amicitia benevole interpretaberis.

Paucis nunc reſpondeo ad literas tuas. Gratus agnoſco conſilium de Fuchſiano opere; Tubingam per typographum ſcriptum eſt, unde reſponſum exſpecto. D. Trew cogitationes ſuas & conſilia de hoc meo inſtituto in proximis literis mihi aperire promiſit. D. Gronovius & Stæhelinus urgent editionem operis, quod præmature edere non poſſum, maxime cum deſint Tabulæ

XVII.

XVII. denuo ſculpendæ; contra ultra XXIV. novæ adſunt, quarum ſpecimina contracta in opere J. Bauhiniano conſpicio, forte harum Tabulæ majores Tubingæ ſervantur, alteri Fuchſiani operis tomo deſtinatæ. Loca plantarum rariorum natalia ex meis collectaneis & Scheuchzeriano opere manuſcripto excerpta proxime poſt reditum meum ad Te mittam. Plantarum deſcriptiones emendo & novas conficio ſecundum Linnæanam methodum, quæ ſane plurimum lucis in botanicis mihi attulit. Itinera alpina tua cum Prælectionibus Boerhaavianis, quas pro munificentia tua mecum communicatas cupis, nondum accepi.

Nuper Tigurum veniebat D. Schacher, Medicus Lipſienſis, qui per aliquot dies ibi commoratus Muſeum Scheuchzerianum quoque inſpexit, & de eo coemendo conſilium aperuit; ultimam voluntatem Lipſia reſcripturam eſſe dixit: pretium ſtatuerunt 1800. florenorum. Catalogos ſecum ſumſit. Multa nova ex Medicina & Hiſtoria naturali nobis attulit. Non alia nunc addo niſi pia mea & meorum vota pro felicitate tua & lenimine doloris. Vale proſperis magis fatis fruens & me ut ſoles ama.

Raptim ex Thermis Badenſibus d. 1. Auguſt. 1740.

## 201.

## B. FELDMANN.

Binas a Te accepi humaniſſimas epiſtolas cum docta itineris tui botanici relatione, ubi criticum inter Botanicos feliciter agis; ad primam ut ſtatim reſponderem praxis ex inclementia hiemis frequentior perpetuis in provinciam excurſionibus obſtitit, ad alteram regiminis politici mira hic immutatio attentione omnium hic animos occupante. Ex ſecunda Prælectionum Boerhaavii editione non ſine oblectamento vidi, quam benigne & opportune nomen meum publico prodideris, neque parvi faciendam puto gloriam ex uno diſcipuli Boerhaaviani non oſcitantis titulo colligendam, quam benevolentiæ tuæ me debere & ad omnia humanitatis erga Te officia me obſtringere facile agnoſco. Tuam equidem miror laboris fere herculei in opere hoc edendo & concinnando patientiam, aſt mirari deſiſto, quando gloriam aſpicio in Te redundantem ex hoc labore ab omnibus declinato propter gravitatem & difficultatem, ubi primus proponere auſus es & explicare feliciter doctrinam illam, qua omnium maxime excelluit Medicinæ ratione ſubactæ Parens. Codices meos non opus eſt, ut hoc anno remittas, aſt ne nimium differas operis complementum, non deerunt preces philiatrorum, ex Belgio enim accepi Tomum ſecundum jam diu anxie expectatum fuiſſe; ſedulum Boerhaavii ad hujus finem usque auditorem, Lugduni Batav. adhuc hoſpi-

tantem

tantem valde exhortatus ſum, & ſpero non ſine effectu id fore, ut Tibi in ſupplementum trans mittat ea, quæ Præceptor poſt annum 1732. in explicatione Inſtitutionum addiderit. Doctiſſimi Suitenii cura audio jam ſub prelo ſudare Prælectiones in Aphoriſmos, neque diffido eum tuo exemplo adductum eas illuſtraturum eſſe commentatione. Edenda tandem reſtant Collegia Boerhaavii publica de Auditu, de Oculorum morbis, de Calculo, de Lue Venerea, de morbis Nervorum, quæ quidem habeo ex communicatione amicorum, & ultimum quidem quinque annorum elaboratiſſimum & ampliſſimum, cujus partem ipſe excepi ex ipſius ore, priora vero ſatis contracta. Anno demum 1736. Boerhaavius incepit publice diſſerere de Corde, an vero perfecerit hanc doctrinam, valde dubito. Operæ certe pretium foret colligere conſilia ſpecialiſſima Magni Viri, ut doctrinæ genuina applicatio eo melius pateat, unum eorum quidem vidi in Novellis Eruditorum Hamburgenſibus atque exſcripſi de Dyſenteria epidemica exercitus Imperatoris in Hungaria, tria inſuper poſſideo ex Polonia mihi transmiſſa, ſed hisce non præmiſit morborum hiſtoriam. Oculatiſſimus Albinus Euſtachium ſuum jam diu expectatum poſt annum dare promittit, utinam & phyſiologicas ſuas Lectiones ederet, quarum codicem habeo ſubtiliſſima & perſpicaciſſima doctrina ſcatentem, præter figuras V. anatomicas coloribus vivis diſtinctas artificioſiſſime per l'Admiral æri inciſas, minores jam edidit Tabulas duas æneas maximas anatomici ſui operis. Batavi certe

ſateri debemus maximopere promovent utiliſſimum Anatomiæ ſtudium, aſt nonniſi vi pecuniæ debent hanc gloriam, Germania progignit ingenia æque felicia; Salzmann, Heiſter, Haller, Caſſebohm hanc Medicinæ partem nobis tradunt faciliorem & inventis locupletatam firmatamque. Accedet tandem Principum Germanorum munificentia in hunc usque diem deſiderata. Potentiſſimus & ſapientiſſimus Boruſſorum Rex meditatur Academiam Berolini formandam Regiam,& Caſſebohmium noſtrum jam illuc vocatum eſſe audio una cum feliciſſimo ad microſcopicas detectiones Lieberkunio; non exiguam de fructu hujus Inſtituti ſpem pono ac defigo in voluptate, quam ex phyſiologiæ doctrina capit idem Princeps, per horas enim ſollicite inquirere conſuevit Regni adhucdum hæres in cauſas morborum in aula ejus occurrentium proximas, & in differentiam morboſæ conſtitutionis a ſana, ex intimiori corporis humani ſtructura ei ſemper deducendam, id quod non ſine animi delectatione ſæpiſſime expertus ſum, cum hic vel Reinsbergi commorabatur. Quantum ad me attinet, dubito an ad illuſtrandam artem quicquam conferre poſſim, niſi id obſervatione caſuum practicorum fiat, quorum hiſtorias literis conſignare ſoleo. Hiems præterlapſus plurimos præbuit ſpaſticos morbos præter catarrhales, podagram introverſam transformatam in quartanam, ex hac rurſus in podagram, eandem ſub tertianæ exquiſitæ forma latentem, ex eadem retrocedente malum iliacum atrociſſimum: in alio ex eodem fonte cephalalgiam acerbiſſimam,

biſſimam; ſæpius eam introcedentem nonniſi eliciendo exanthema purpureum reſolvere potui. Ex emplaſtro arſenicali epigaſtrio duorum virorum ab empirico contra Quartanam applicato vidi quartanæ ſubitam fugam, aſt ejus loco gangrænam fauces obſedentem, nulli remedio auſcultantem & mortem ſubſecutam; a mercurio ſublimato pauco ingeſto vomitus ſpumoſos albos, & dato multo oleo amygdalarum dulcium reconvaleſcentiam; in cane autem exinde poſt ejusmodi vomitus mortem & primarum viarum inflammationem uti & Mead obſervavit; ex opii granis tribus ruſtico aſthmate defectivo laboranti oblatis mortem repentinam & ventriculi villoſam inflammationem, prouti idem Mead in cane obſervavit, cet. Vale, Vir Ampliſſime, & vive diu & me amare perge. Dabam Neo-Ruppini, die 8. Auguſt. 1740.

202.

## CAROLUS LINNÆUS.

Mortuo Rudbeckio, Botanices Profeſſore Upſalienſi, profeſſionem ambii. Sic fruſtra laboravi per hanc æſtatem, alias Te certiſſime adiiſſem. Optabam Upſaliam pervenire, quo praxin medicam omnino abdicarem, & res botanicas unice tractarem, ſed noluere fata.

Tandem obtinui Itinera tua, tam Helveticum, quam Harcynicum, nec non Prælectiones

in Boerhaavium; omnes ita me effaſcinarunt, ut quem legam prius vix ſcio ipſe. Nunc apud bibliopegam ſunt; proxime multa ſcribam; a Te certe ubique multa addiſco. Utinam prodiret tua ſynopſis; quamprimum eam & Dillenii Muſcos videro, meas ſpecies typis mandabo; doleo quod tua de Pedicularibus & Veronicis non obtinuerim; an plura in Botanicis edidiſti?

Doleo fata Joſephi de Juſſieu, qui redux e Peru, nave anglica adgreſſus ictu catapultæ occiſus periit, ut Monſpelienſes mihi attulere. (Manſit in Peruvia.)

Cherleria tua pulcherrimum plantæ eſt genus; utinam mihi ramulum per literas communicares, ut flores inſpicerem; eſt enim hæc Cherleria, quantum ex tua deſcriptione capio, media inter Sedum & Lychnides. Nectaria docent manifeſte affinitatem cum Sedis congeneribus, ſed capſulam ſ. fructum pingis ſimplicem, ſeu non tres diſtinctas capſulas, ſed unicam cum tribus ſtylis, utinam viderem.

Miror quod non obſervaſti in *Tribuloïde* quatuor alia ſtamina ſine antheris, ſeu nectaria; neſcio quid ſit in ſiccis. *Limodorum* vidi, *Salviniam* non. *Blaſia* apud nos copioſiſſime viget. An *Plumieri poſthuma* prodiere? *Burmanni* decades & *Ammanni Ruſſicas* obtinui.

Per æſtatem inſecta indagavi, plantas qui non reperi. *Fundamenta* mea *botanica* iterum edidi

iſtas

iſtas dedicavi *Dillenio*, *Tibi*, *Royeno*, *Gronovio*, *Juſſieuiis*, *Burmanno*, *Ammanno*; hoc ordine; ordine quo debeo; hiſce ſummis Botanicis coætaneis.

Deſcripſi *piſcem auratum chinenſem*, *Paſſerem alpinum Lapponiæ*; *Mures Norwegicos* Wormii; *Picum tridactylum* Dalecarliæ; edidi etiam Syſtema Naturæ in 8vo, varia emendavi.

Quid in diæteticis colligo, tandem videbis; in his per decem annos laboravi.

*Melampyrum* iſtud *hiante rictu corollis parvis* abſolute diverſam a vulgari ſpeciem putas; quæſo, terræ mandes ſemina. (diverſum eſt).

Mittas etiam, ſi poſſis, in epiſtola *Pyrolam* tuam *rotundifoliam*, *ſtaminibus piſtillisque erectis*, non vidi.

Doleo quod tam difficile ad Te quid mittere poſſim; ſi vixero, comparabo Tibi Rudbeckii campos Elyſios, quos Te nunquam vidiſſe certus ſum; opus figuris plenum; vix decem exemplaria ſuperſunt in rerum natura; habeo modo unicum.

Vellem mittere *Browallii examen Epicriſeos Siegesbeckii*, ſed non poſſum. Siegesbeckii primitias nunquam videre potui; vellem dare nummum aureum pro libello, modo obtinerem.

Quamprimum a bibliopega recuperavi Itinera tua, ea percurram, & mea dubia aperte Tecum com-

communicabo; quo plures errores apud me detegere potes, eo gratior eris, tum poſſum omnia corrigere vivus, poſt fata non licet emendare propria opuſcula.

Certe adhuc non intelligo *Equiſetum*, an iſta ſemina ſint vera ſemina? vel farina ſtaminum? certe ſtructura ſpicæ *Taxi* ſtaminibus ſimillima eſt: an terræ mandata ſemina excreſcant germinentque? ſi capſulæ ſeminales, ubi ſtamina? ſi ſtamina, ubi tum ſemina? me doceas quæſo.

In *Blaſia*, ut noviſti, eſt tubus truncatus erectus, in Michelio pulcherrime delineatus, inſidens capſulæ pervius, per quem emergunt plurima ſemina, quando tubus repletur aqua vel rore per noctes; hæc ſemina nudis oculis patent; vidi & tubercula intra ſubſtantiam folii, quam pro capſulis habet Michelius, ſed nulla inde ſemina. Mittas mihi Salviniam in epiſtola. Vale, vivas diu felix, artis noſtræ ornamentum. Dabam Stockholm. 1740. Septembr. 15.

203.

## CHRISTIAN. FRID. HÆNEL. Phil. & Med. D.

Noli mirari, ſi eandem cantilenam canam, atque de diutius ſervato ſilentio me Tibi purgatum veniam. Ut enim taceam me Tuas v. Maji ad me exaratas cum adjecto Diſſertationum &c. faſciculo

faſciculo nonniſi Julio ad finem ruente adcepiſſe: illud tamen me ab omni crimine liberabit, quod per quatuor integros menſes domo abſuerim, per varias terras oberrans, miſeris mortalibus rogatus conſilium ferens. Interim quo minus dubites, me eadem pietate qua prius, Te proſequi, per ſinceri pectoris candorem Te obteſtor credas, nil mihi amicitia tua ſuavius, nil neceſſitudine tua dulcius aut jucundius accidere poſſe. Ne autem verba dari credas Tibi, en rem ipſam & rerum teſtimonia in pignus fidei & perpetuæ erga Te amicitiæ! Semina nempe paucula, Diſſertationes quasdam batavas lectu omnino dignas, plura enim addere inopia lectu dignorum prohibet. In ære ſum tuo alieno invitus, ſed credas velim, me non ſemper eſſe futurum, cum nil magis curæ habeam, quam nomen meum apud Te expungam. Interim vale & me Tuo utere! Dabam Schnebergæ pridie Calendar. Octobris MDCCXL.

204.

## D. LUDWIG.

Gramina accepi per Cunonem & nonnullas Diſſertationes, quæ cum gratus accipiam, nonnulla Tibi reddo, quæ in alma noſtra hactenus prodiere, medica. Mea inprimis benigne, ut ſoles, dijudices, quæ variis laboribus intentus non tam accurate diſquiſivi & perfeci, inprimis quæſtiones academicas, quarum elaborationem a reſpondentibus exaratam, brevitatis cauſſa non adeo

digerere & polire potui, ut ſemper cogites hæc non eſſe ſpecimina eruditionis, ſed exercitia, quæ in commilitonum excitamentum ſuſcipere ſoleo, ſi tamen circa unam alteramque meditationem aliquid urgere velles, rem faceres mihi gratiſſimam. Si conſilio meo in colendo Horto uti velles, ſuaderem, ut uno alteroque anno experimentum facias, quæ per ſemina acquiri poſſunt commercio amicorum ſolum conquirenda, & tum demum deſideratiſſimas plantas ex prima claſſe in Belgio coemeres. Dabunt interim horti vicini nonnulla, & forſitan ex horto Boſiano quædam plantæ minori pretio haberi poſſunt, ſed certe non adeo coluntur, quam in Belgio, ubi inuſitata plane hortulanorum cura & diligentia. Sic enim ſenſim excreſcet hortus, inprimis ſi hortulanus talem plantarum in augendis ſurculis curam habeat, ut quædam cum amicis communicari queant. Inprimis vero curam intendas, ut helveticas plantas per amicos accipias, ſunt enim quædam in hortis noſtris deſideratiſſimæ, e. gr. Gentiana vera & aliæ ſpecies, Aſtragalus alopecuroideus &c. Scio equidem, quantis ſumtibus Waltherus plantas ſuas conquirat, ſed rariſſima ſemper ex Belgio magno pretio colligit, & uno quaſi impetu cuncta habere allaborat. Minoribus ſumptibus certe is hortum augere poteſt, qui per commercium amicorum pauca hinc inde conquirit, partaque tuetur. Plantæ helveticæ præter eas, quas Tibi debeo, in herbario meo non exſtant, diſquiram interim an per amicos quædam ex deſideratis tuis colligere queam.

Per

Per Cunonem intelligo, Te Ruppii Floram Jenenſem in Germanicam transmutare velle, & labor ille quam maxime mihi placet. Quum vero multæ exoticæ in Ruppio deprehendantur, optimum meo quidem judicio foret, ſi neglectis omnibus illis, germanicæ tantum & his nexæ helveticæ tantum diſponerentur, illæ enim a Ruppio egregie diſquiſitæ, hæ Tibi ſatis cognitæ ſunt. Si Flora mea Lipſienſis jam perfecta eſſet, facillime eandem Tecum communicarem, ſed prima delineatio rudis illa indigeſtaque moles nulli uſui Tibi eſſe poſſet. Vale, Vir Celeberrime, & me ama. Dabam Lipſiæ d. 10. Octobr. 1740.

205.

## P. H. G. MOEHRING.

Mille rebus turbatus ſum, ut reſponſorias in hunc diem differre coactus fuerim. Et ſane ut luctum tuum, e morte conjugis dulciſſimæ conflatum, tantiſper lenirem, medium eligendum fore tempus duxi. Ut enim, Plinio teſte, crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur, atque ultro requirit: ſic recens animi dolor conſolationes rejicit ac refugit, mox deſiderat, & clementer admotis adquieſcit. Quum tamen ſapiens altioribus ſemper ſtudiis addictus fueris, ſola futurorum ſuavi oblectatione Te ſummi Numinis placita libenter laturum, pietatisque totum fore, mihi perſuades. Erepta mihi eodem temporis intervallo, ſimili puerperio

atrociſſimo, conſobrina, quam ſororis inſtar germanæ ſemper habui. Sic miris quandoque fatis diſturbati, ad unum tandem ſolatium trahimur omnes.

Sed ad quotidiana noſtra negotia veniam, quæ & certitudinem laborum noſtrorum evincunt, & aliquem forte boni nominis odorem poſt fata ſpargunt. Synopſin tuam ſtirpium helveticarum forſan abſolviſti. Incredibili deſiderio illam perluſtrandi ſuſtineor. Etiamſi planta deſcripta chamæmelum marinum Bauhini non ſit, nullibi tamen ſcio obſervatum fuiſſe, hanc Europæ, quid? quod Friſiæ indigenam eſſe. Eſt certiſſime Lanciſia.

Siccas tuas, una cum diſſertationibus, gratiſſimus adcepi, deſidero adhuc Segneri diſſertat. de nupero frigore hyberno. Nondum enim placent thermometra Fahrenheitiana, quæ nimium ſpatium graduum faciunt exorientis gelu, quod ego ad unicum gradum determino.

Fungorum tuorum diſtributionem ſcire aveo, & an methodus aliqua ſit, molles ſiccandi & adſervandi in herbariis. Vale, Vir Optume, meisque nugis conniveas quæſo. Scribeb. Jeveræ Friſ. 1740. a. d. 12. Nov.

206.

206.

## TRAUGOTT GERBER.

Illam, quam mihi, Vir Cl. tua humanitas per literas ad Cl. D. D. Schreiberum, amicum meum optumum, miſſas, ſalutem attribuit, ſumma gratiarum actione reddo, & omnem incolumitatem, proſperrimumque tuorum in Alma Gœttingenſi conatuum eventum pia mente apprecor, & voveo. Neque deeſſe debebam, quin tuo deſiderio, ſemina quædam ex noſtris terris mittendo, tantum, quantum per vires licebat, ſatisfacerem. Si grata acceptaque Tibi habeantur, operæ tulerim pretium: plurima elapſo anno, peregrinando Wolgæ ripas collegi, quædam huc nata addidi. Aſt veniam precor conſignationis, cum eo tempore hortulano opus mandare exigebat mea neceſſitas. Interim tamen officioſiſſime rogo, ut quibusdam ſeminibus, quæ forte cenſes, nos illis carere, iterum me beare velis, eligere nequeo, quum veſtri horti divitias hucuſque nondum compotes ſciendi evaſerimus. Unicum quod noſtrum inſtitutum luget, exoptat, æſtumatione, & induſtria attentione auditorum fundatur. Sic quoque ſcripta, ſtudiaque noſtra limites tranſire regionis vix conceditur. Sentire aſt non ſcribere. Anno 1737. jam Botanices Compendium conſcribebam, aſt quanta, poſt illa tempora eheu! ſexualis orta fuit methodus? hæc ſine præceptore modo perſpicillis addiſci vix poterit. Flora Moſcuenſis *a)* & Horti

*a)* Hujus codicem MS. miſit, qui inter meos eſt.

Horti Catalogus cum Floræ Wolgenſis adpendice ſunt in promtu, aſt promotores carent, ut ſoli Academiæ, gloriæ brabæum relinquamus, quæ akribia noſtra ruminat. Quod ſupereſt rogo, ut memor noſtri, noſtrorum ſtudiorum quæſo ſemper eſſe velis, & me commendatum habeas. Vale & fave. Moſcuæ d. XIII. Nov. ſt. v. HOR. MDCCXL.

207.

## JOH. FREDER. SCHREIBER, Regiomontanus.

Ecquid, o Optume, tandem ſenties de illa mea ſcribendi oſcitantia? Quæ adceptiſſimis tuis litteris, fere ante annum ad me datis, nihil hucuſque reſpondi. Ego adhuc in priſtino ſum ſtatu, niſi quod, elapſo menſe Februario, uxorem duxerim hic Moſcuæ virginem Frankenbergiam, de nobili ſtirpe Sileſiaca. Ecce Tibi de Gerbero noſtro cum litteras, tum ſemina. Sequente æſtate herbas ſiccas per naves eſt miſſurus. Aſt, quantum ardeam, ſcripta tua legendi; exponere non valeo. Per Deum immortalem, & per manes Boerhaavii Te ſupplico, velis mihi, ſumtibus meis, quanti quanti fuerint, quam primum huc transmittere per nuntium publicum (Poſt) Scripta tua anatomico-medica, una cum tuo Commentario in Inſtitut. Boerhaavii, in quantum proſtat. Noli omittere tuum tractatum de *Diaphragmate*, quem mihi in Polonia furati ſunt.

Repeto

Repeto preces, illa ſcripta mihi mittendi per Poſtam quantocyus . . . . . Antonius Ribeiro Sanchés, Luſitanus, diſcipulus Boerhaavii, Medicus ſecundus perſonæ Imperatoris Ruſſiarum, & in praxi medica exercenda ut ſingularis, ita feliciſſimus, me per litteras Petropoli rogavit toties, velim ipſi procurare tuum in Inſtitut. Med. Boerhaav. Commentarium. Sed quo pacto eidem ſatisfacerem? Promiſit Tibi ex adverſo omne, quod de ſupellectile Petropolitanorum docta quæſiveris. Adeoque, ſi pro D. D. Sanchés aliqua mittes, Commentarii illius exemplar tuis Botanicis ac Poëmatibus germanicis pro me addideris. Si quæ habes mihi hic jubenda, ea omnia fideliſſime exſequar. Quamprimum ſcriptulum meum *de peſte* Petroburgi prodierit: illud per nuntium publicum Te tenere illico efficiam. In eo probavi, opinor, ſufficienter; bubonaceam peſtem a lue venerea non differre, niſi miaſmate ſolo; atque in eo convenire mercurium dulcem, cum camphora miſtum, conciſis doſibus exhibitum ſæpius: vel & mercurium alkalizatum &c. quin & docui, morbum peſtilentem eo flectere, ut fiat bubonaceus. Peſtis carbuncularæ, in qua corticem Peruvianum commendavi, cum variolis convenientiam oſtendi. De cetero, ſi quæ habueris, de ſtatu veſtræ Academiæ mihi communicanda; ea non ſine voluptate animi reſcivero. Cura, ut cum Tuis ſemper optume valeas. Dab. Moſcuæ, ipſis Kalendis Decembris, A. 1740.

208.

208.

## J. JACOBUS DILLENIUS.

Litteræ tuæ 30. Maji & 9. Oct. 1740. ſcriptæ cum faſciculo ſtirpium & Itinere Helvetico anni 1739. rite ad me, neſcio cujus beneficio, perlatæ ſunt. Ago gratias, quoniam ad palatum ſunt, quæ ſcribis, & ſemper aliquid ex iis addiſco. Interea Catalogus ille ſtirpium transmiſſus non eſt ejusmodi, ut ſpecimina exſiccata, ſed ſemina earum pro Horto noſtro deſiderem, cui Horto inſigne damnum attulit gelu ſuperioris anni inſolitum, quod omnes Galliæ Narbonenſis, Italiæ, Hiſpaniæ & Africæ citerioris plantas, quæ alias nobiſcum aërem liberum ferunt, & in ſolo læte creſcunt, peſſumdedit. Doleo vero quod ex Catalogo deſideratarum Helvetiæ indigenarum, nil quod mittam, habeam. Ipſe Alpes Helvetiæ nunquam vidi, habeo autem non paucas ex rarioribus Angliæ, ex quibus faſciculum paravi data opportunitate ad Te deferendum. Adibo intra menſis ſpatium Londinum, ubi de occaſione mittendi diſpiciam. Totus per aliquot annos inter Muſcos delitui, nec ex iis adhuc emerſi. Deſcriptiones jam ab anno abſolutæ, omnes etiam Tabularum figurarum lineæ Horti exeſæ ſunt, 50. cælo abſolutæ, reſtant 30. perficiendæ, quod hac hyeme fiet. Interim opus prelo ſubjiciam ſub initium inſtantis anni. Muſcus ille in Itin. Hercyn. 1738. ſculptus, non eſt ea planta, cujus nomen fert, ſed Syn. III. p. 94. n. 13. cujus Synopſeos

Synopſeos dum mentio incidit, nolim ejus auctor haberi, cum nihil ad eam præſtiterim, præter diſpoſitionem illam plantarum inferioris ordinis, Fungorum, licheum & Muſcorum, ſi mei laboris opus eſſet, multa mutarem, plura delerem, pauca adderem. In Itin. Helvet. 1739. non poſſum hariolari, quodnam ſit Bryum illud pluribus per caulem capitulis, ni forte ſit Syn. p. 97. n. 31. quod ſane plura interdum per caulem capitula oſtendit, ſi nempe vetera, quæ pedetentim inferiorem caulium locum occupare ſolent, reſtent *a*). Scribis in Itiner. me vidiſſe & novum pronuntiaſſe: non recordor, nec invenio inter Muſcos a Te transmiſſos. Bene quidem Bryum illud Syn. n. 31. ſub duobus nominibus obſervo, primo: Bryum Alp. capillaceum majus, capitulis ſphæricis, dein: Bryum trichoides vireſcens, erectum capitulis majuſculis maliformibus. Specimina ſane, quantum ego videre poſſum, ſunt unius & ejusdem ſpeciei: quodſi vero diverſum habeas pro Bryo capillaceo confertis capitulis per caulem exeuntibus Itin. Helv. p. 80. velim mittas, etiamſi litteris incluſum fuerit.

Quatuor invenio exemplaria Muſcorum inter plantas nuperrime transmiſſas, quorum unus mihi novus eſt, nempe Lichen Alp. glaucus, ſquamis craſſis & breviſſimis.

Lichen pulmon. Alp. cinereus punctatus mihi vocatur Lichenoides coriaceum nebuloſum cinereum punctatum, ſubtus fulvum Hiſt. n. 127. quod

*a*) Planta nova eſt, & 1802. helv.

quod in Micheli Gen. Tab. 54. Ord. xxxv. f. 1. deſignari exiſtimo, ſed ſub alieno nomine. Lichen pulm. minimus, inferne albus &c. Mich. p. 85. Ord. xii. n. 12. Tab. 48. f. 3. eſt mihi Lichenoides parvum vireſcens, peltis ſeſſilibus nigricantibus planis Hiſt. n. 209. Lichen pulmon. Alp. terreſtris glauco-vireſcens, receptaculis florum fuſcis Mich. mihi vocatur Lichenoides Lichenis facie, peltis acetabulis immerſis Hiſt. n. 121. cujus mira & mihi nondum ſatis perſpecta eſt natura. Recens & virens planta verum Lichenem ſimulat, ſicca faciem mutat & craſſior facta videtur. Lubens quidem credo Muſcum pennatum majorem C. B. eſſe Hypnum 47. Syn. III. ſed nunquam me inducas ut credam, Muſcum filicinum majorem C. B. eſſe Bryum 15. Syn. Judico hic C. Bauhinum ex icone Tabern. quam citat, quæ certo eſt Muſci filicini & vel 35. vel 36. Syn. ſpecies, nunquam cum Bryo illo 15. conciliandа. Utinam vero omnes explicaſſes vel adhuc explicares in libro tuo Plant. Helvet. C. Bauhini Muſcos fateor me eos magis, quam reliquos omnes ignorare.

Maxime aveo videre Tabulas tuas & plagulas eo pertinentes, in quibus de Muſcis agis; facias rem gratiſſimam, ſi harum tabularum & ſchedarum unum tantum exemplar, quamprimum poteris, ad me mittas, ad illuſtrandam & perficiendam Hiſtoriam meam, multum enim tuo judicio tribuo. Eam initio ſequentis anni prelo ſubjiciam. Ante ſex menſes Hamburgum miſi ſpecimina plura Hiſt. Muſc. Plagula eſt dimidia cum quatuor Tabulis.

Tabulis. Eorum unum alterumve ad Te deferendum inſcripſi. Si non accepiſti, poteris petere a Joh. Seidel, qui impræſentiarum Halberſtadii degit, & mittet Tibi, quot exemplaria deſideraveris. Vale. Scribebam Oxonii 11. Decemb. 1740.

209.

## D. LUDWIG.

Sterbeckium accepi & incluſas literas acceptiſſimas, & Hænelio ſuas tradere curavi per fratrem. Accipias nunc ſemina quædam, & licet non omnia rariora ſint, nonnulla tamen placebunt, addidi & ſchedulam tuam, in qua leviter notavi plantas, quæ vel ſemina præbent inpoſterum tuos in uſus colligenda, vel quæ ſemina immatura proferunt, vel flore & ſemine in noſtris hortis deſtituuntur. Hoc tantum eum in finem feci, quo me excuſatum habeas, quod pauciora ex prima claſſe Horti Walther. Tecum communicare potuerim. Faveat interim Flora horto tuo. Si fieri poteſt conficias in horto tuo tumulum vel colliculum ex ſaxis, parcius interſparſa terra, in loco non nihil umbroſo, quo periculum facias, annon montanæ plantæ quodammodo conſervari poſſint: tuus enim hortus Waltheriano ſpatioſior erit. De Flora Lipſienſi nihil certi promittere poſſum, cum variis negotiis inprimis praxi clinica occupatus, botanica ardentius proſequi haud poſſim. Perplacent nova anatomica, quæ in literis addidiſti, inprimis de arteria ſper-

matica ex emulgente oriunda. Vidi nuperrime eandem arteriam ex aorta ſub emulgentibus oriundam, aſcendentem & circa emulgentes flexam, antequam deſcenderet. Vidimus nuperrime renem ſiniſtrum in pelvi ferme ut Bellinus Fig. 14. ſed ſacra non tantum ad renem tendebat, nonnulli etiam ramuli ex iliaca interna in renem ducebantur. Erat hydropica a menſium ſuppreſſione, quæ forſitan orta erat ab utero quodammodo in dextrum latus preſſo. In eodem cadavere venam azygos duplicem, & ductum thoracicum in dextram venam ſubclaviam inſertum vidimus.

Joh. Bapt. Mazini conjecturas de reſpiratione fœtus Brixiæ 1727. 4to. maj. editas, in bibliotheca Platneriana vidi, & fugitivo oculo perlegi, id igitur inveni, Mazinum multis experimentis demonſtrare intendere, fœtum pro modo incrementi magis magisque reſpirare poſſe: ſed cum multa experimenta enumeret, pulmones fœtus ſub antlia non examinavit, ſuſpendam tamen judicium, donec accuratius examinavero.

Andreæ Paſtæ Bergomatis epiſtolæ ad Aletophilum duæ, 1) de motu ſanguinis poſt mortem, 2) de cordis polypo in dubium vocato, Bergomi 1737. 4to. Prior epiſtola brevior eſt, ita ut, ſi deſiderares, levi negotio excerpi poſſet. Semper dubitavi an Jacobi Berengarii Carpenſis anatome Edit. Bononienſis de anno 1523. exiſtat, cum Lippenio non ſemper fides habenda ſit, & Lindenius nullam ejus mentionem injiciat, nec in

editione

editione Veneta de anno 1535. ulla editionis præcedentis mentio fiat. Cum vero Tu illam in Auctario Tom. I. Commentar. Boerhaav. citaveris, non amplius dubito. Nova & multo auctior editio Dn. Aſtruc de morbis venereis Lipſiam acceſſit. Diſſertatio Dn. Külbel de cauſſa fertilitatis terrarum, quæ præmium Acad. Burdegalenſis obtinuit, Dresdæ impreſſa brevis, omni tamen cura elaborata eſt. Vale, Vir Celeberrime, & me ut ſoles ama. Dabam Lipſiæ d. XII. Jan. 1741.

## 210.

## P. H. G. MOEHRING.

Adcipiens nuperrimas Tuas, de pulcris tuis in anatome detectis gaviſus ſum. Mihi deeſt corporum ſecandorum occaſio, quem in laborem alias inſigni deſiderio feror. Sed notitia muſcorum Dillenii præ reliquis novis placuit. Utinam ſcirem, quo pacto modove hunc nanciſci poſſem!

Seguierii labor omnes amplitudine & copia librorum narratorum ſuperat: germanicos auctores e vitio linguæ ſuæ ſæpius vitioſe ſcripſit. Menſtruo ſpatio in eo ſupplendo ex ſuppellectile mea, & corrigendo occupatus fui, & ultra 300. jam addidi, aut emendavi.

Vellem, Vir Optume, reſcriberes mihi, an Anthericum noſtrum novi ſit generis, an vero character Linnæi genericus ampliandus ſit. Num

Ruppiæ noſtratis ſubmarinæ deſcriptionem Tibi miſi? & hæc vix ad Ruppias pertinebit, in plurimis ſane diverſa.

Præter hæc de ſequentibus judicium tuum ſcire aveo. Graminum namque ſpecimina mea ſicca diſtribuenti, hæc dubia obſervata ſunt:

1) Species Bromi, a Linnæo & Royeno tradita, vera erit Feſtucæ ſpecies, quum, teſte antopſia & Scheuchzeriana deſcriptione, ariſtas ex ipſo apice exſerat. Econtra Feſtuca glumis hirſutis & glabris, quam Royenus prodr. Leyd. ſpeciem ſecundam Feſtucarum facit cum Linnæo, ad Bromos pertinebit, quoniam ariſta ſinus baſi valvulæ bifidæ inſidet, adeoque infra apicem valvulæ exoritur. Inde Dillenius Giſſ. Ægilopem jam fecit.

2) Poa ſpiculis ſubulatis, panicula rara contracta Linnæi & Royeni eſſet Aira, ſi calyx biflorus eſſentialem Airæ, & calyx multiflorus eſſentialem Poæ characterem efficeret. An itaque ariſta, Airæ floribus adtributa, ſecernit has a Pois muticis deſcriptis a Linnæo? Sed neque hanc eſſentialem notam generis efficere, colligo ex Royeni ſpecie ſexta Airæ, quæ prorſus mutica eſt. Quis ergo in his character eſſentialis?

3) Agroſtis quintæ Royen. prodr. duplex mihi exemplar eſt, per omnia ſibi ſimile, excepta ariſta: in altero enim ariſta ex ipſo apice glumæ alterutrius

alterutrius floſculi exſurgit, ut Scheuchzer. hiſtor. 144. habet; in altero autem ariſta ex baſi ſeu ſinus radice glumæ bifidæ exſurgit: adcederet itaque ad gramen arundinaceum &c. Scheuchzer. hiſt. 146. ſed baſis floſculorum in meo non pappoſa eſt. An ergo hæc duo gramina varietates ſunt, aut diverſæ ſpecies?

4) Specimen arundinacei graminis habeo, quod vocatur mihi: Arundo panicula laxa, calycibus bifloris, ariſtis ex utroque *medio dorſo* valvulæ exterioris corollæ: valvulis brevioribus. Hæc ſane, quoad reliqua, eadem prorſus eſſet cum Gramine ſegetum panicula arundinacea Bauh. pin. & Scheuchzer. hiſt. 244. niſi ille ariſtarum ortum e dorſi glumarum *baſi* pingeret ac deſcriberet. Quid ergo de hac arbitraris?

Ad ſingula hæc ut humaniſſime reſpondeas, etiam atque etiam rogatum Te velim. Quodſi omnia gramina maritima noſtratia, aut fucos, aut milleporas, ſiccas nondum habes, futura æſtate eadem pro Te colligere poſſem. Seminum tuorum catalogum promiſſum exſpecto, ut videam, num forte ſupplendorum tuorum copia mihi ſuperſit. Vale & fave. Scrib. feſtinanti calamo, Jeveræ 17 $\frac{23}{1}$ 41.

211.

# CHRISTIANUS FRIDERICUS HÆNEL.

Quod non ingrata acciderint & ſemina & diſſertationes præterito autumno ad Te miſſæ, ex literis humaniſſimis menſe Decembr. ad me exaratis lubens percepi. Acerbe vero dolui dolorem tuum ex morte Conjugis dulciſſimæ virtutibusque ornatiſſimæ perpeſſum, qui qua ratione omnia viſcera, ipſamque medullam osſium penetrare queat, olim triſti experientia, domi meæ edoctus fui. Verum nolo refricare vulnus beneficio temporis coaleſcens, id omnibus precibus a Te contendens, ne homine Philoſopho & Chriſtiano indigno modo dolori nimium indulgeas, ſicque Te & Tuis, & toti ordini medico, qui tot egregia a Te expectant, præmature ſurripias. Id vero averruncet Deus!

Quæ de anaſtomoſi vaſorum hæmorrhoidalium ad me perſcripta voluiſti, gratiſſima fuerunt. Pace vero dixero tua, ex his Stahlium & Salzmannum neutiquam conciliari poſſe, quippe ſemper de venis, nunquam vero de arteriis locutos. Neque video, quomodo illi conciliari queant, cum Stahlius aſſerat: ſemper ex V. P. propaginibus quædam vaſa ad uterum deferri, Salzmannus autem ore rotundo clamet: nunquam quosdam ex Vena P. ortos ramuſculos eo usque progredi. In propoſitione contraria utra-

que

que quidem falſa eſſe poteſt, uti & hic utraque talis eſſe videtur, ſed nunquam utraque poteſt eſſe ſimul vera, hinc neque propoſitio Stahlii & Salzmanni ſimul ſtare queunt. Aſt hæc obiter.

Ad me quod attinet, vix habeo memorabile quid, quod doctis tuis auribus ſit dignum. Corticem Peruvianum ter cum fructu a me adhibitum eſſe in ſphacelo a cauſa in- & externa Te latere nolo. Camphora & nitrum magna ingeſta copia pluribus ex febre maligna decumbentibus ſalutarem locaverunt operam. Fœminam cum hernia inguinali exulcerata ipſiusque inteſtini ulcere conflictatam ſanitati reddidi ope tenuiſſimæ diætæ, multum adjutus a natura fautrice. Commotionem cerebri absque leviſſima cranii fractura ſanguinisve effuſi vel guttula minima, quod ſectio me docuit, obſervavi, poſt duodecim horas lethalem, adhibitis licet ſanguinis miſſionibus, clysmatibus ſtimulantibus, topicis, reſolventibus internis, externisve. Quæ vero ſunt ſigna diagnoſtica talis absque ſanguinis effuſione factæ commotionis? quæ efficax & tuta medela?

Günzius, Lipſienſium Profeſſor, vir ſolide & eleganter doctus, me valdopere rogavit, pararius eſſem tuæ amicitiæ, commerciique, quod vocant, litterarii Tecum inſtituendi. Tractatum minatur de viis lacrymalibus earumque morbis, alium etiam de ligamentis oſſium, utrique figuras additurus. Dabam Schnebergæ, XVII. Martii 1741.

212.

## D. LUDWIG.

Prorſus ex voto acceſſit Icon Diaphragmatis, adeo ut nihil nunc deſiderari poſſit in delineatione partis difficillimæ, fornicem enim aliquo modo etiam exprimere tentavit artifex. Gratias ago, quod hæc & Huberiana benigniſſime mecum communicare volueris, quæ remunerare poſſim nunc non habeo, habebo forſitan nundinis autumnalibus, ubi ſemina & diſſertationes Tecum & cum Hubero Cel. communicare potero. Geſnero Tigurino literas dedi his nundinis, perplacuit enim diſſertatio de vegetabilibus, quæ forte in manus incidit, & commodiſſimam inveni occaſionem commercio literarum alendo, ſi ipſi ita viſum fuerit. Meditationes quædam de tranſitu œſophagi per diaphragma mihi cum Walthero differenti natæ ſunt, ſed nolo nunc moleſtus eſſe rebus adeo agitatis, cum Te occupatum eſſe rebus majoris momenti ſentiam. Vale & me ut ſoles ama. Dabam Lipſiæ d. IX. Maji 1741.

213.

## JOH. GESNERUS.

Penultimas Tuas menſe Octobri præteriti anni accepi cum catalogo ſtirpium deſideratarum; ſed ante hoc tempus faſciculum ad me miſit Ba-

ſileenſis

ſileenſis bibliopola Imhof, cui incluſus erat Tomus II. Commentarii tui eruditiſſimi in Boerhaavianas prælectiones. Paravi deinde plantulas nonnullas. Catalogum locorum, in quibus rariores Helvetiæ plantas aliquando reperi, per mercatores noſtros Lipſiam miſi, cum vero hæ merces renunciarentur, factum eſt, ut tam longo tempore deſideratiſſimo tuo in literis colloquio caruerim partim mea, partim eorum culpa, per quos noſtra admitti cupiebam. Tu vero, Vir Amiciſſime, non tantum pro humanitate tua literas meas antevertis gratiſſimis, quas ex nundinis Lipſienſibus attulerunt mercatores noſtri, ſed iteratis muneribus plantarum, foſſilium, librorum, ſeminum non me modo, ſed & amicum meum D. Ottium adeo devincis, ut plane me reddendis his in me meritis imparem agnoſcam. Maxime cum jam accedat ad innumera tua in me beneficia, quod immortalibus ſcriptis tuis nominis mei memoriam immortalitati quoque tradere cupis. Ego quamquam talia & inſignia beneficia rependere nunquam poſſim, efficiam tamen quicquid potero, ne in me immerentem tanta benefacta collata dici poſſit. Ad plantarum ſynopſin quod attinet, Leida accepi a D. Gronovio eam maximo Eruditorum deſiderio exoptari, poſtquam & nonnullas icones viderint, & ſummam in his accurationem tuam & ſtupendam atque invictam induſtriam cognoverint. Quæ nobis ſuperſunt plantulæ tuo propoſito ſervientes, & notitia ad catalogum tuum & indice locorum cum Muralti Paradiſo proxima occaſione ad Te mittam; quæ

 ſi diu-

ſi diutius retardaretur, indicem ſaltem Tabellario committere vellem. Quod vero ex aliquo tempore Alpes adire non potuerim, non tam negotia mea, quam cura valetudinis impediverunt. Ego enim quamquam ex aliquo tempore non gravioribus morborum acceſſionibus per Dei gratiam liber fuerim, tamen ſubinde levioribus veteris morbi reliquiis infeſtor, ut laborioſo & difficili itineri me committere vix poſſem, efficiam tamen quicquid potero, ſi firmiorem ſanitatem recuperavero: eam his diebus non parum fregit triſtiſſimus & luctuoſiſſimus obitus cariſſimi Fratris Medicinæ Doctoris & Poliatri, qui d. 10. Jul. placide obdormivit, poſtquam febri acuta correptus maligna & contagioſa, qua ultra XXX. qui in pago Albisrieden ejus curæ commiſſi erant, ægros feliciter reſtituit, ipſe ſanatis omnibus in graviſſimum hunc morbum incidit, ſuperaccedente comate, & deinde delirio per duos integros dies, in quo ſe, uxorem gravidam, liberos, millies atque millies Salvatori ſuo tradidit, multum ingemiſcens, clamoribus qui etiam ſaxeum pectus frangere poſſent: tandem poſtquam anxietates ſummæ & jeſtigationes ceſſabant, quietus & veluti obdormiſcens hora poſt quietem hancce quinta animam Salvatori ſuo tradidit. Triſtiſſimum ſui deſiderium uxori amantiſſimæ, liberis, parentibus, fratribus, ſorori, affinibus & aliquot mille ægris, quos feliciter reſtituit, relinquens: poſtquam enim praxi medicæ valedixi, nos omnes ejus auxilio, indefeſſo labore, ſalutaribus medicamentis in morbis noſtris juvabamur, vivebamus

una

una conjunctiſſimis animis; in maximo ætatis vigore & affluentiſſima benedictionis divinæ copia inopinato nobis ereptus eſt; quod quantum nos ejus jactura affecerit, dici non poteſt. Videtur tamen apud ipſum aliquam mortis præſenſionem fuiſſe, cum vegeto adhuc corpore multa imprimis noctu de morte locutus fuerit, & ſalutem æternam anxie quæſiverit; ſua etiam cuncta ita compoſuerit, ut cum nunc e vita diſceſſerit, ne quidem vel minimas res inordinatas inveniamus. Nos vero ſuo exemplo docuit fluxilitatem hujus vitæ, & quam beatum ſit etiam ſano corpore ea facere, quæ morienter feciſſe cupimus. Solatium nobis unicum eſt in ſapientiſſimo noſtro & clementiſſimo Parente DEO T. O. M. qui etiam dura & vix ferenda ad meliores fines dirigere novit in commodum eorum, qui eum amant. Majori enim vi ſentimus in ſimilibus afflictionibus, quam juſtum dolorem alii ſentiant, quibus aut cariſſima uxor, aut liberi, aut parentes eripiuntur. Scribebam raptim & in luctu, Tiguri, d. 13. Jul. 1741.

## 214.

## D. LUDWIG.

Plantæ Petropoli ad nos perductæ nobis gratiſſimæ ſunt, quoniam aut hyemem ferunt aut ſemina copioſiſſima exhibent. Semina plantarum Galliæ meridionalis & Hiſpaniæ vix ad nos transferuntur, mercatores enim, ad quos ſcripſimus, nihil ad nos mittere poſſunt, quoniam nullus medicorum

dicorum eſt, qui ſtudium amat, & illis manus præbet auxiliatrices. Nec Monſpelii, ubi ſemper ſumma fuit plantarum cultura, poſt Niſſolium, qui varia Horto Carolsruhano dedit, amicum invenit Flora Germanica. Boccone olim hortis noſtris, imprimis Boſiano, & ſemina dedit & plantas exſiccatas. Multa ex his & ferme omnia perierunt. Et ex illis plantis, quas ex itinere Africano mecum adduxi, plurimæ rariores perierunt. Felicem ſucceſſum itineris botanici in Buctrerum montem apprecor, o nos felices, ſi Tu viridaria noſtra ſalutares, fac quæſo, ut proximo anno voti participes reddamur. Quæ nova habebo, proximis nundinis Tibi tradam; interim vale, & me, ut ſoles, ama. Dabam Lipſiæ d. XXII. Jul. 1741.

215.

## D. LUDWIG.

Icones tuæ perfectiſſimæ ſunt, in muſcis inprimis & minimis illis ſtupendam invenio & pictoris & ſculptoris diligentiam, & perfectiores erunt, quam in horto Cliffortiano vel alio ſcripto belgico inveniuntur. Optimum igitur eſt, ut in Germania prodeat liber, ne exteri de ſplendore operum tantum glorientur, tu etiam majorem habebis curam, ut accurate & nitide exprimatur, quam ſi abſens eſſes. Opus hoc tuum botanicum & alii & ego maxime deſideramus, in plantis imperfectis vulgo dictis in minimis illis ſtudii botanici

botanici capitibus Tu maximus eris, & ego in his quaſi hoſpes, maxima exinde acquiram cognitionis incrementa. Commentarius D. van Zuwiten in Boerhaavii aphoriſmos, quem his nundinis expectabamus, nondum prodiit, ſed accepimus Geofroi materiam medicam, quæ tamen regnum vegetabile & minerale tantum continet. Scriptum illud *die Beluſtigungen des Verſtandes und Witzes* non eſt opus ſocietatis teutonicæ, Swabius cum aliis, mihi ignotis, ſocietatem iniit, in qua hæc elaborantur, ſocii igitur noſtri omnes me admonuerunt, ut Te hac de re certiorem redderem, & Te rogarem, ut occaſione ita ſe exhibente, amicis in Helvetia idem oſtenderes. In conſeſſu ſocietatis noſtræ ex Swabio quæſivimus, cur ea quæ injuria eſſent, in ſocios noſtros immiſceret, at ille reſpondit, ſe eſſe collectorem & editorem, nec ſelectum ſpeciminum in ſuo arbitrio eſſe poſitum. Libere etiam defendere volebat, hanc parodiam non injuriam eſſe, ſed ſtrenue contradiximus & contrarium oſtendimus. Quicquid ſit, credas velim vanis his malevolorum auſibus gloriam tuam non inquinari, cordatiores enim hos infelices ingenii fœtus dijudicant, & ex partibus tuis ſtant. Binas literas Linnæo ſcripſeram, ſed nullas reſponſorias accepi, miror certe, quod Philoſophiam ſuam botanicam non in publicum prodire jubeat, forſitan aqua hæret circa fundamenta pandenda, quibus tamen jam magnum ædificium ſuperſtruxit. Bellum inter Siegesbeckium & Gleditſchium nunc finitur, hic enim ad vaniloquentiam prioris non reſpon-

reſpondebit, ut ex literis amici cognovi. Controverſiæ tales, ut ego quidem opinor, parum emolumenti afferunt ſtudio. Ego quidem in nova, quam paro, aphoriſmorum editione, ſine omni controverſia mota fundamenta ſtudii enucleare tentabo, controverſiæ enim ut plurimum in rixas inextricabiles mutantur. Dabam Lipſiæ d. VII. Octob. 1741.

216.

## J. JAC. DILLENIUS.

Literæ tuæ 1. Sept. ſcriptæ, rite ad me perlatæ ſunt, cum ſpecimine plag. F. Tabula vero II. & III. in quibus Muſci. Verum non eſt mihi integrum Tua meis adjicere nomina, quoniam Hiſt. Muſc. ad Lichenes veros uſque typis exſcripta erat tempore eo, quo tuas litteras accepi. Impræſentiarum præter indicem ſynonymorum ſchedæ tantum quatuor imprimendæ reſtant, index vero ille ſynonymorum ſatis prolixus eſt.

Si Tibi nota ſit Byſſus illa 5. Michel. N. G. p. 210. velim obſerves, an ſuperficie plana, qua pingere videtur Michelius, vel an per glomerulos naſcatur inſtar ſpeciei 4to. Michel. p. 210. Tab. 89. f. 2. in qua tamen glomeruli non admodum bene expreſſi ſunt. Mihi non conſtant de illa Hercynica, noſtram vero Anglicam probe novi. Velim particulas aliquas Hercynicæ habere. Bruckmannus de ea quædam habet in Epiſt.

ad

ad Luc. Schroeck de lapide violaceo, & in Epiſt. Itiner. XIII. ad Buchnerum, ſed non ſatisfacit mihi.

Quodſi velis catalogum ſeminum deſideratorum pro Horto veſtro mittere, lubens impertiam, quæ nobis ſunt, ego vero viciſſim deſidero montanas veſtras & alias Germaniæ indigenas plantas, quæ non habentur in Synopſ. Stirp. Brit. Raj. Eas indiget Sylloge Stirp. exter. Raj. Vale. Oxonii Octob. 29. 1741.

217.

## CHRIST. FRID. HÆNEL.

Gratias decentiſſimas Tibi iterum perſolvo pro miſſis ad me diſſertationibus, atque volumine etiam tertio ſcholarum tuarum in Boerhaavium recte adlatis, id acturus omni modo, ut aliis quibusdam ad Te curatis animum gratum Tibi reddam teſtatum. Poſſideo quasdam obſervationes anatomicas, maxime angiologicas, a Bertino factas, nondum in lucem miſſas, quas, ubi ita juſſeris, Tecum lubens communicabo. Seeligius, quem probe novi & compatrem honoro, præterito vere ſedem mutavit, & in regionem Baruthianam conceſſit, faciam tamen ut ſciat ea, quæ ejus cauſa nuper ad me ſcripſiſti. Copia plantarum in hortulo meo adhuc nec crevit, nec decrevit, cum ſub duro praxeos jugo gemens parum curæ ei impendere poſſim. Rem tamen facies

cies pergratam, ubi & ejus curam habeas, atque vel plantis vel ſeminibus quibusdam eum amplificare volueris. Non erit ingratus, ſed & de penu ſuo quædam depromet, Tibi forſan ad palatum futura. Quamprimum horulam a practicis laboribus vacuam lucratus fuero, mittam catalogum earum, quibus abundo, plantarum, inter quas omnino rariores quasdam reperies. Ad locum Morgagni quod attinet, videor Tibi non indicaſſe eum, quem indicatum volebam, intellexi vero eum, qui habetur adverſ. Anatom. I. §. 21. pag. mea 24. in quo de vena umbilicali ſermo eſt, atque hæc habentur:

Quo fit porro, ut admodum mirer, ita explicatum eſſe ab Anatomico, cæteroquin hujusmodi in rebus exercitato, quare ſanguis a Vena umbilicali &c.

In tertio volumine Commentar. in Boerhaavium Caſſebohmium aliquoties ex Kieſewettero laudatum vidi, cujus ſcriptum neque vidi, nec novi, noſſe vero vellem. In eodem loco pag. 112. & 113. aliquoties ſcribis Trew vel Heiſter, Tu vero cur Heiſtero tribuis, quæ Trewio videntur deberi. Excitatam etiam a Te vidi Diſſertat. Loquet de arteria hepatica, hactenus ſexcenties, incaſſum tamen, a me quæſitam, quam ubi poſſideas, eam in meos uſus ut calamo deſcribendam, & ubi icones adjectæ fuerint, eas delineandas cures omnibus a te contendo precibus.

Quotidiana etiam praxis nil ferme notatu dignum ſuppeditavit. Febres urticatæ Medicorum vulgo

vulgo dictæ per aliquot menſes male mulctarunt infantes pucrosve, nunc miteſcentes. Quamprimum febris mitior facta erat, in omnibus copioſi ſudores erant movendi, ſin minus omnes breviſſimo temporis ſpatio hydrops enecavit. Medicus noſtras, cui nomen eſt Zimmermanno, duos filios intra octiduum perdidit. Sectio omnia viſcera ſalva monſtravit, ſed aderat hydrops interius, abdominis, thoracis potiſſimum, cum immani auriculæ dextræ dilatatione venæque cavæ ſuperioris a ſanguine infaritu.

Aſt nunc vale & a me plurimum ſalve! Dabam Schnebergæ pridie Calend. Nov. MDCCXLI.

218.

## JOH. FREDER. SCHREIBER.

Longe ultra annum eſt, ex quo exoptatiſſimas Tuas Gottinga adcepi, Amicorum Optume. Effluxerunt quoque menſes, opinor, decem, ex quo non nihil litterarum & ſeminum, a Botanico noſtro, Gerber, adceptorum, per nuntium publicum ad Te miſi. Denique hebdomadæ ſex præterlapſæ, quum, ope bibliopolæ Regiomontani, Eckart, volumen ſecundum prælectionum H. Boerhaave in Inſtitutiones proprias medicas, cum adnotationibus tuis doctiſſimis; novam tuam Tabulam diaphragmatis, & Huberi de medulla ſpinali Tractat. a Te haud dubie miſſa, recepi. Quoniam vero illas litteras, una cum ſeminibus, per-

ditas conjicio: paucis, pace tua, quæ tum ſcripſi, repetam: iisque, quæ ad Te præterea ſcribenda puto, adjungam. Gratulabar Tibi honores, quos mereris certe: atque ſecundum matrimonium. Nuntiabam, me hic ſimiliter, a. 1740. iniiſſe conjugium cum nobili Virgine Franckenbergia, cujus Parens fuit Baro Sileſius, ad hujus Imperii limites jam diu interfectus a Tartaris. Illis nunc addo ſequentia. Sum adhuc in antiquo ſtatu conſtitutus: quumque intelligam, quam eximia hodie in Germania moliuntur Medici: non diffiteor, augeri animum ad recipiunda ſtudia, quæ pæne intermiſi: nec, ſi in Academia quadam cum conjuge honeſte vivere poſſem, officium nullum recuſarem; ſcilicet medicinæ theoreticæ vel practicæ. Hæc ad Te eo fidentius ſcribo; quum cognoverim non uno experimento, & me a Te fieri plurimum, & Te ipſum magnum nomen habere. Quid enim? Annon me pudeat, qui etiam non omnino nullam operam olim impendi litteris; hic deliteſcere, atque æternæ forte oblivioni tradi; quum ſtudiorum ſocii Tu & Bohlius, ambo Archiatri, Profeſſores celeberrimi: alterque, ille Bohlius, poſt paucas hebdomadas jam Rectoratu Academiæ ornabitur. Paſſi graviora, dabit DEUS his quoque finem. Volumen primum prælectionum in Inſtitutiones editionis ſecundæ non vidi, uti nec primæ. Hoc, ut & quæ ſequentur: quæque a Te ſunt edita reliqua, nec non incomparabile tuum Poëma germanicum de Alpibus, videre & legere adeo cupio; quum impoſſibile ſit, eorum unum vel ullo ære hic redimere.

mere. At adnotationibus tuis ad *Prælect. Boerhaavianas* facile ſentio nihil doctius, nihil fere perfectius ab ullo homine dari potuiſſe: nec ſatis exprimere poſſum laudes, quas illis in litteris de eo argumento ad me datis, tribuit Antonius Ribeiro Sanchés, Olyſſiponenſis, Vir ut experientiſſimus, ita litteratiſſimus, Imperatoris Ruſſiarum Auguſtiſſimi Perſonæ Medicus. Sunt hæc apprime vera: forte tamen in poſterum emendabis quædam. Quidni legeris hiſtor. natur. viæ lacteæ D. J. Bohlii? Ibi non, niſi magna, deprehendi: epiſtolas manuſcriptas H. Boerhaave & Ruyſchii ad Auctorem; ſtylum valde ſublimem, & ſæpe tropicum: methodum propriam detegendi ductum thoracicum ſupra venam iliacam: villos Lieberkühni internæ inteſtinorum tunicæ adpenſos: explicationem papillarum Helvetio-Ruyſchianarum: Verbo, ſcripſit, prout decet Archiatrum. Magnis illis hæc parva adpono. Ante annum miſi Petropoli in lucem *obſervationes & cogitata de peſte, quæ in Ukrainia graſſata eſt.* Cogitata eo redeunt: peſtem in bubones finientem convenire cum lue Veneris, in qua ſerum ſanguinis coagulatum. Commendavi mercurium dulcem, cum camphora mixtum, doſibus repetitis. Peſtem carbunculoſam convenire cum variolis peſſimis. Commendavi corticem Peruvianum, præcipue ſequutus *J. Arbuthnot.* Exile hoc ſcriptum, qualecunque teſtimonium illis, qui me olim noverunt, me non omnino abjeciſſe litteras; Regiomontem Bor. miſi ante menſes quinque, quo per Eckartum bibliopolam ad Te deferretur. Nulla mihi

D 2 ſpes,

ſpes, vel Regiomontem perveniſſe. Adeoque ſi de eo ſcripto aliquando reſciveris: abſolve me nec crede, me ingratum muneris tui oblitum fore. Haud ita pridem Petropoli prodiit Siegesbeckii vaniloquentiæ botanicæ ſpecimen, contra Gleditſchium. Ego vero uti non amo ſcripta eriſtica: ita longe minus amo botanica: & minime gentium Siegesbeckiana. Quamquam a. 1731. Societati Petropolit. Scientiarum adſcriptus fuerim: attamen demum ante duas hebdomadas diploma, eo nomine, recepi. De cetero ex animo voveo, ut omnia Tibi Tuisque fauſtiſſime eveniant; meque amare ſemper pergas. Vale. Moſcuæ, 17 $\frac{17}{9}$ 41.

219.

## D. C. G. LUDWIG.

Teichmeyeriam chariſſimam a Te thori ſociam electam eſſe, ex toto pectore gratulor, faxit Deus, ut diu cum illa beatus vivas, ut triſtitiæ veteris veſtigia prorſus ex animo tuo deleantur, & ut conjugii tranquilli & felicis ſpecimina etiam in poeſi tua decantes. Si quædam ſunt ex tuis, quæ collectionibus Societatis germanicæ accedere poſſunt, fac ut ad me transmittantur; proxime enim quædam prelo ſunt ſubjicienda. Valde miror, quod auctor *der Beluſtigungen &c.* ad hunc diem Tibi moleſtus ſit, nondum eum vidi nec cum eo loquutus ſum, poſtquam nuperrime Tui cauſa acriter cum eo dimicavi, & jejunum ejus judicium, pruritu inclareſcendi junctum, perſtrinxi.

ſtrinxi. Repeto adhuc ſocietatem noſtram, illud opuſculum nec approbare nec adjuvare, nam omnia quæ controverſiis anſam præbent, maximopere evitamus. Sepoſui nunc tantiſper botanica, & anatomica quoque rarius tracto, cum praxis clinica & collegia conſueta multum temporis requirant, quod tamen ſupereſt chymicis exercitiis conſumo, quæ optime procedunt, dum Cramerus, ex Docimaſia clarus, per aliquot menſes mecum vivat, & ſuo conſilio atque auxilio conatibus meis adſit. Diu jam optavi, ut etiam in hoc ſtudio fundamenta paulo accuratiora ſtruerem, maximi enim uſus eſt in univerſa medicina, & inprimis materiæ medicæ & Praxi multum lucis accedit. Evolvo quæ Geoffroi in materia medica propoſuit, pauca vero accuratiora inveni, quam in ſcriptoribus materiæ medicæ præcedentibus Copia rerum abundat, ſtudium nullum ferme eſt, qui pauciora & ſelectiora disquirat. Ego quidem poſt aliquot menſes labores botanicos iterum ſuſcipiam, & poſtquam in chymicis quodammodo exercitatior ero, ad nonnulla capita materiæ medicæ animum convertam, quo, pro virium modulo, & Hiſtoria naturali & Chymia & Praxi adjutus nonnulla vegetabilia ex noſtratibus perfectius diſquiram. Interim vale, & me, ut ſoles, ama. Dabam Lipſiæ, d. XXVIII. Dec. 1741.

220.

## J. F. SCHREIBER, Regiomont.

Accepi a Te, Vir Celeberrime, qua erga me uti humanitate ſoles, cum epiſtolam, tum ſcripta; Tomum ſecundum prælectionum H. Boerhaave in proprias Inſtitutiones: Huberum de medulla ſpinali: Tuam novam diaphragmatis tabulam, bis: obſervationes de ductu thoracico: & denique tomos 3. prælectionum Boerhaaveanarum, Te edente. Sed poëmata tua non recepi. Legi ipſa, iisque quod comparari queat, a gente noſtra nunquam editum tunc credidi. Recepit ſua Amiciſſimus A. R. Sanchés: atque ſemina forte Gerberus noſtras. Quæ Gerberus rurſum miſit ſemina, ea Petropolim miſi ad Stæhlinum, Profeſſorem, qui ea ad Te curabit. Sanchés meus multas Tibi refert gratias pro munere tuo, ut elegantiſſimo, ita adceptiſſimo. Quamprimum vocaveris, ad Te ſcripturus eſt. Redhoſtimenti loco, pro Te, tradidit illi ipſi Stæhlino thermometrum mercuriale de l'Ilianum, les Mémoires phyſiques & mathématiques de Mr. de l'Ile: denique tom. VII. & VIII. Commentar. Academ. Petropolit. Ego autem nil habeo, quod reddam. Scripſi Regiomontem Bor. ut bibliopola, Eckart, velit ſcriptum de peſte, Petropoli impreſſum, inſtantibus nundinis vernalibus veſtro bibliopolæ tradere. Honorem interpretabor, ſi ſincere perſcripſeris tuum de ſcriptiuncula judicium. Quæ egi Tua, teſtantur eruditionem conſummatam, expe-

experientiam exactam vel minutiſſimorum in corpore humano; lectionem ſtupendam librorum multorum varii generis; acre judicium &c. verbo: nil intermiſiſti eorum, quæ decebant interpretem Magni Boerhaavii. Sed verendum, ut deſtruant corpus tuum tanti labores: neque leve indicium dediſti nimiæ jacturæ ſpirituum, quod nunquam læto Te eſſe animo ſcripſeris. Multum indoleo. Interim ægre tulerunt plures, quod ad majora natus, tantum temporis tribuas & ſtudii doctrinæ botanicæ. Dixerunt, quantus fuiſſet Boerhaavius, ſi minus dediſſet ſtirpibus cognoſcendis ac diſponendis? Nempe hi ipſi a Te flagitant, ut ipſis largiaris incomparabiles Præceptoris lectiones de morbis nervorum. Quid vero? An ſecundum viduus? Ego quidem per omnia in antiquo ſum ſtatu rerum. Vix aliquid nunc meditor: niſi tractationem de aneurismatibus: ut & forte de venenis. Priorem tractationem certe non exhauſit Lanciſius. Quod reliquum eſt, cura ſollicite, ut valeas: & ne noceas liberis tuis, dum famæ ac gloriæ tui nominis tantum prodes. Meque veterem ſodalem ac non fucatum amicum tuum ut ſemper amare velis, rogo. Dab. Moſcuæ, 17 $\frac{18}{2}$ 42.

221.

## TRAUGOTT GERBER.

Ex ſeminibus, ad Te miſſis, propullulaſſe quasdam plantas, quæ in deliciis deſideriisque habebantur, lætor. Inſimul de iſtis ſeminibus, qui-

bus, grata mente, denuo noſtras ſupellectiles reſarcire anniſus fuiſti, humaniſſimas reddo gratiarum actiones, quid? quod de eruditis botanices Herciniæ ſpeciminibus; quæ ſat ardua tua ſtudia, & profundiſſimam in re herbaria ſcientiam teſtantur. Age, perge, quæſo, & nobis hiſtoriam ſtirp. helvet. communices. Mihi in chao ruthenico verſanti, majus gaudium vix exoriri poteſt, quam ſi cum doctis botanicis (quorum vacat noſtrum ſidus) rem per litteras habere queam. Quare in grati animi teſſeram, faſciculum ſeminum remitto, qui alias Cl. Ammanno, jam autem beate defuncto, deſtinatus erat. Operæ tulerim pretium, ſi grata habeantur (uti certo confido) iſta rara munera, quæ optuma elegi. Aeſtas elapſa, occaſionem dedit, ut ex mandato, iter ad 2218. leucas ruthenicas, (5. cenſentur ad 1. milliare German.) perficerem, ubi iſta ſemina collegi. Amplum & limitibus valde diſſitum imperium Ruſſicum, multas plantas & novas nutrit, interim tamen & plurimæ plantæ ſunt Germanicæ & confinium terrarum, quibus ſe ſemper aliæ orientales T. C. & novæ usque per Sibiriam maritant, & per Tatariam magnam. Quoniam vero gens noſtra non curat amœnitates R. H. utilitates *apothecarius* (parce ſtylo!) quærit, pro lucro, imo ſi forte aurum poſſem parare; medici etiam, qui adſtipulare debebant, oſores; peregrinationes feſtivæ, mille impedimentis, rei bene gerendæ, concomitatæ ſint, non licet corpore laſſo, ſine termino, in deſertis ſub dio, caſis ventis fumoque perviis, ullam doctam deſcriptionem

nem facere plantæ. En! iſta noſtra calamitas, multi apud vos optarent, prohibitum vides. Et plurima adjumenta haberemus viliſſimis ſumtibus, quam apud vos, ſed eſt res ſcientiæ, quæ contemtui habetur, meras artes volunt Rutheni didiciſſe. Forte ſtatus Ruſſ. poſt Petri I. obitum, qui eruditorum Mecænas dici poterat, Tibi ex hiſtoria innotuit.

Plantarum ſemina, quæ miſiſti, plurima poſſidemus; attamen gratiſſima ſunt, quoniam æſtatis brevitas per tres annos maturationes prohibuit apud nos. In poſterum flagito ut nobis, quæſo, communices quicquid ſit, & ſi ex Anglia nova quædam habeas, communices. Vale quam diutiſſime & fave! Moſcuæ d. 3. Febr. ſt. v. A. 1742.

Hinc tuo judicio relinquo an nos felices in novis terris prædices, nec ne? Dudum habeo collecta Floræ Moſc. it. Itineris ad Wolgam ad Tanain, quæ publicæ lucis reddere vellem, aſt timeo, extra mittere, & de Academia nihil ſperandum multis annis. Zu rechtem Nutz der Nation habe einen alphabetiſchen Indicem tetraglotton, latein, ruſſiſch, deutſch, franzöſiſch geſchrieben, cum doctrina Uſ. Præp. & Vir. med. breviſſima; aſt in hoc edendo & Schreiberi dubia vexata injuſte culpa fuit.

222.

## JOH. GESNERUS.

Mitto ad Te, Vir Excell. quæ ante aliquot menſes deſtinaveram, loca plantarum ex Collectaneis meis excerpta, quæ cum inter plurimas turbas cum prima mihi diſtracta ſuerunt, rurſus ex variis meis ſcriptis & itineribus colligere neceſſe erat, quod etiam in tam variis & duris fatis meis nonniſi raptim perficere potui. Nam poſt obitum Cariſſimi Fratris mei immenſa negotiorum moles me preſſit, quæ inde expedienda reſtabant. Parentes & amici me impulerunt, ut medendo ipſis aliisque ægris opem ferrem, unde praxis medicæ occupationes me detinuerunt, quæ hic multo magis quam alibi ob diſpenſationem medicamentorum moleſta. Inde vix emerſus, parens optimus febri continua maligna oppreſſus, demum quarta hebdomada petechiali correptus, & ex ea in lentam abeunte morbo adhuc decumbit; mater cariſſima, eo ipſo morbo dolore & mœrore confecta, ægrotat, & ſoror; ut jam per aliquot menſes multæ vigiliæ, labores, ſollicitudines & curæ ita me detineant, ut pauca momenta amicis vel mihi ſuperſint. Occupavi novas ædes Canonicas, in quibus etſi jam commodiſſima ratione habitem, multas tamen horas perdidi. Orationem dixi de ſimulacris divorum a lapidibus; & diſſertationem habui de principiis Philoſophiæ naturalis, quam cum Valſalvæ ſolis, quæ in opere deficiunt, curante D. Ottio, (cui ſe

Te humaniſſime ſalutat) hiſce nundinis proximis accipies. Quæ ad me miſiſti omnia, literas, libros, & donaria accepi, & continuo tuis benefactis ita cumulate fruor, ut nec ſpes mihi ſuperſit, debitam Tibi gratiam referre me unquam poſſe. Neque enim Tibi ſufficiebat, me privatim pluribus ornare beneficiis tuis, doctiſſimisque tuis & aliorum ſcriptis, ſed etiam publicum aliquod tamque honorificum tui in me amoris monumentum in dedicatione doctiſſimorum tuorum in Boerhaavianas prælectiones Commentariorum, ſtatuere, ex quo plurimi cognoſcere poſſent noſtram amicitiam, qua mihi nihil unquam optabilius nec magis fructuoſum fuit. Neque enim memoria mea unquam excidet, qua humanitate primum nos Leidæ exceperis; quomodo conſiliis tuis ſaluberrimis auxiliisque fratris meaque ſtudia adjuveris, quæ inde Lutetiæ, & multo magis Baſileæ & itinere Alpino ad augenda ſtudia mea contuleris; quam arcta deinde amicitia ſimilis ſtudiorum & plantarum amor nos junxerit; quantis deinde & continuis beneficiis abſentem & præſentem Bernæ multis modis deviceris, ut innumera alia taceam, quæ tuæ in me amicitiæ documenta fuerunt. Scias etiam me meosque non exiguam Tibi gratiam debere, quod ultimis literis tuis in juſto noſtro dolore iis argumentis erigere volueris, quæ efficaciſſime ad nos conſolandos erant comparata, & non parum eum dolorem minuerunt. DEUS Optimus Maximus Te cum Tuis in rei medicæ & literariæ incrementum, totius Helvetiæ ornamentum proſperrime conſervet & tuea-

& tueatur. Id ſane innumeri mecum fovent & maximi inter nos Viri, in quibus numero Conſulem noſtrum Magnific. D. Fſcherum, qui præterito anno, cum Bernæ degeret, pluribus ibi teſtatus eſt, quanti Te faciat, & quam honorificum Patriæ, ſibique gratum foret, vocatione tuis meritis digna Te in Patriam revocari. Pollicitus etiam eſt mihi, ſe impoſterum literis ab hoc ſuo propoſito non deſtiturum. Attulit Berna novum Infuſum Theeforme, quod Vener. D. Erlach familiam dixit ex fol. Ribeſii nigri, quod præter vim aperientem, diureticam, roborantem, quoque ad coitum facit. De obitu D. Wyſſii, amici tui, ſine dubio Tibi renunciatum eſt. Hic per aliquot hebdomadas degit D. Meiners, Ophtalmiater, qui magnam ſibi famam apud quosdam noſtratium comparavit. Theoriæ plane ignarus nonniſi peritia deponendi cataractam pollere videtur. Viſitur per octo dies apud nos h. 2. ad 4. matutinam ſtella nova candata, quam pro Cometa, qui viderunt, habent. Ego cum nondum viderim, nil accurati de eo referre poſſum. Hiſtoriæ plantarum Helvetiæ ſpecimine tum quoad diſpoſitionem, quam elaborationem & Iconum præſtantiam, nil pulcrius aut præſtantius unquam vidi, & nihil magis optandum, quam ut brevi lucem aſpiciat; id imprimis in magna felicitatis parte numerandum eſt Helvetis, quod tantum opus tam dignum in Te authorem invenerit, quo nullus alius fuiſſet, qui majori diligentia, accuratione, acumine & eruditione tale opus perficeret, & quem omnia impedimenta, quæ alias

hæc

hæc opera habere ſolent, immenſi ſumptus & plura alia, nunquam impediverunt. Mihi ſat glorioſum erit, ſi vel exiguam aliquam particulam ei attulero. Duos plantarum Indices, quos accipis, loca memorant plantarum rariorum, in quibus vel ipſe eas inveni, vel quæ in Hiſtoria ſua plantarum adnotavit D. Scheuchzerus, prout ante aliquot annos inde excerpſi; videbis enim in appendice, quot cujusque generis ſpecies numeret, inter quas tum plurimæ continentur dubiæ aut varietates. Vale, Vir Excellentiſſime, & priſtino tuo amore & favore me porro proſequi dignare.

Scribebam raptim Tiguri d. 24. Febr. 1742.

P. S. Statim cum menſe Septembri ultimas tuas literas accepi, plantas quasdam, quas deſideraſti, cum Muralti paradiſo Helvetiæ & Iconibus ruditer ex Scheuchzeri hiſtoria plantarum depictis, miſi D. Renier ad Te, quas Te accepiſſe nullus dubito.

223.

## D. CHRISTIANUS GOTTLIEB LUDWIG.

Accepi ſemina gratiſſima, quæ Horto Waltheriano inferenda ſunt, & nonnulla reddit nunc Waltherus, inter quæ nonnulla Tibi grata fore ſpero, gratias ſimul agit, & inpoſterum ex meſſe proximæ æſtatis plura colligere promittit, cujus rei

rei curam lubenter ſuſcipiam. Libros jam cum curru publico Tibi transmiſeram, cum literas tuas acciperem. Spem nobis feciſti Te hoc anno Lipſiam ſalutare velle, fac quæſo, ut non inanis ſit, multi enim Te maximo cum deſiderio expectant, inter quos non ultimus ero. Videbis hortos noſtros, a quibus varia Tibi grata erunt, & eo melius ſemina deſiderata annotare & Tibi ſuo tempore mittere potero, ſi etiam in Flora Germanica aliqua ex parte Tibi uſui eſſe poſſim, faciam quam lubentiſſime, poſtquam eorum deſiderata cognovi. Jam dudum Flora Germanica exoptata a me fuit, poterunt enim, fundamentis poſitis, varii Botanici hinc inde per Germaniam diſperſi, ſupplere, quæ in prima editione prætermiſſa ſunt, poterit etiam Materia Medica inde perfectiſſima colligere, maxima enim in his eſt confuſio. Sed de his coram plura. Vale & me ut ſoles ama. Dabam Lipſiæ d. VII. Mart. 1742.

## 224.

## ADRIANUS VAN ROYEN.

Gaudeo Hiſtoriam tuam ſtirpium helveticarum hoc anno proditurum, mirorque ſimul tot indefeſſos non ſine ſucceſſu labores jam pene exantlatos, aliosque meditabundo ſemper animo conceptos. Ericarum 30. Tabulæ æri nunc inciſæ ſunt, reſtant 10. vel 12. antequam deſcriptiones earum prelo ſubjicere queam, ita & ego ultra meam vexor patientiam.

Linnæi

Linnæi Characteres plantarum aucti emendatique, ut noſtræ curæ fuere commiſſi, abſoluti ſunt & brevi prodibunt. Utinam haberemus ejus Philoſophiam Botanicam, quam dudum meditatus eſt, & pro qua jam toties ipſi aures vellicavi propter utilitatem & fructum, quem inde mihi polliceor uberrimum. Ejus antagoniſta propterea, quod ſyſtematicis non ſit accenſitus, tenax propoſiti, dicam, an pertinax pergit glandibus veſci, poſt fruges inventas, mihique ad tædium uſque mille difficultates objicit, ſed ex falſo principio natas, hinc nullas, quod tamen hactenus ipſi perſuadere non potui, licet multoties jam incognita ipſi genera tum ex meis, tum ex aliorum principiis vere ſyſtematicis, indicaverim & planiſſima fecerim.

Siegesbeckius quid agat, ignoro: me enim ab aliquo tempore ut videtur, negligit, licet erga eum me ſemper gesserim humaniſſimum & liberalem, ſed talis genii hominem temno, maxime cum Gerberum, a quo omnia nova obtinere poſſum, habeam ſine fuco faventem & amiciſſimum.

Me quod attinet, Tecum in ſinu gaudeo, ut & cum omnibus bonis, qui facilem ſolummodo & ſimplicem veritatem eruere ſatagunt, nec aliorum laboribus uti erubeſcunt cum grata animi recordatione. Dillenii Hiſtoriam Muſcorum hodie per Gronovium nuper hujus urbis Senatorem conſtitutum, accepi necdum evolvi totam; ſi ex fronte leonem, videtur opus ſat abſolutum & elaboratiſſimum.

Tertius

Tertius Tomus Hiſtoriæ ſtirpium Amboinenſium Rumphii, ut a Burmanno heri per litteras accepi, jam prodiit.

Suaſu Gronovii, meoque heic in linguam belgicam vertitur & ſplendide imprimitur Dictionarium Anglice a Millero conſcriptum, uſus non contemnendi, quantum ad culturam & curam quorumcunque vegetabilium. Vale meque ama. Dabam Leydæ ad d. 13. Aprilis 1742.

225.

## JOH. GESNERUS.

Me quod attinet dura & triſtia fata premunt. Parens optimus febre petechiali d. 25. April. poſt mediam noctem variis viciſſitudinibus morbi agitatus, intermixta quandoque alienatione mentis, plenus tamen divina gratia & in nos affectu pius & placidus vitam finiit, maximo noſtro dolore. Spem concepimus reconvaleſcentiæ, cum febris petechialis ſymptomata leniter decurrerent, cum ſudore levante & diarrhœa critica quarto decimo die. Secutus deinde tumor eryſipelatodes faciei cum magno levamine. Brevi vero lachrimæ multæ, involuntariæ & fletus ſubinde ob morbum DEI gratia levatum, ſubinde ob aliorum infortunia; ſubito deinde tumor una nocte receſſit cum magnis anxietatibus aut horum loco ſudoribus colliquativis, quibus corpus plurium ſeptimanarum morbo fractum & debilitatum ſuccubuit. In beata Matre idem morbus, & animus per

per totum ejus decurſum præter conſuetudinem erectus; & plena in DEUM ſpe & deſiderio cœleſtis gaudii, ut vix morbi vim ſenſerit: per duas ſeptimanas urinæ criticæ & ſudores critici, maculæ minus copioſe prodeuntes, nec criticæ urinæ oppreſſionem pectoris aſthmaticam quam ſenſit, penitus tollebant; tertio ante obitum die ſubito ceſſarunt criſes, ſed ſimul periit ſenſatio moleſtiæ, vox, loquela, perceptio imminuta & tertio die obdormire potius quam mori viſa eſt. Contigit hoc decimo poſt b. patris mortem die, ſummo cum noſtro luctu & mœrore, qui Parentes pios, fideles, noſtri amantiſſimos & ſtudioſiſſimos (quod ipſe expertus ſcis) amiſimus. Piæ vero admonitiones, benedictiones & conſolationes, quas ex ipſis in morbi decurſu, & morti jam vicinis audivimus, non parum nos in mediis his doloribus erexerunt. DEUS Opt. Max. ſit nobis parentum loco, & ad beatam cum his vitam nos bene præparet. Methodum plantarum a Te elaboratam plurimas Claſſes naturales continere vel primo conſpectu videbam; Hiſtoriam plantarum helveticarum omnes maximo cum deſiderio exſpectant, nec minus laudant tuam, quam Hiſtoriæ ſtirpium Germaniæ promittis operam. D. Stæhelinus fontem Lithontripticum Baſileæ detexit, & in peculiari epiſtola multis experimentis illuſtratum elegantiſſime deſcripſit. Vale, Vir Celeb. & feliciſſime vive cum amabili tua Teichmeiera, quam durabiliorem concedat DEUS Optimus, qui Te diutiſſime in bonum publicum conſervet; iterum vale & ſave.

Raptim Tiguri d. 27. Aprilis 1742.

226.

## D. LUDWIG.

Bohlii ſcriptum de ductu Thoracico ſolus Lipſiæ poſſidet Platnerus, cui auctor miſit, Regiomonti prodiit, ſcripſi per amicum, Regiomontum æque ac Dantiſcum, ſi illud in duplo acquiro, alterum Tibi tradam lubentiſſime. Bellum illud inter Poëtas Helvetiæ & Saxoniæ obortum vehementiſſime agitur, doleo certe, quod ob rixas graviores, ſcopus primarius, perfectio linguæ patriæ & poëſeos cultura ferme negligatur. Sed de his coram plura. Vale, ratione iconum ſcribas citiſſime, & me, ut ſoles, ama. Dabam Lipſiæ d. 31. Maji, 1742.

227.

## A. RIBEYRO SANCHES, M. I.

Deſiderium reſcribendi litteris, quas ſuperiori anno ad me dediſti, Vir Perilluſtris, dudum me tenuit: ſed tam varia tam multiplicia, mihi nata fuere impedimenta, cum valetudinis, frequentiſſime adverſæ, tum itinerum conficiendorum, ut debitum Tecum munus obire haud poſſem: ideo ſpero me, apud Te, ut æquiſſimum judicem, negligentiæ aut malæ mentis fore ut abſolvar.

Commentariorum tomos tres a Te editos in Magni

Magni Boerhaavii Inſtitutiones ſimul cum litteris tuis tunc accepi : gratias Tibi agens maximas, non ſolum pro dono mihi, equidem, gratiſſimo, tanta ſcientia, eruditioneque elaborato, ſed ob humanitatem, benignitatemque, quibus ad me Tibi penitus ignotum mittere voluiſti. Etſi D. Schreibero, qui apud Te ita commode me commendavit, multum debeam, plus Tibi vere obſtringor, cum doctrinam, mentisque gaudium, quod ex Commentariorum lectione repetita percepi, a Te tantum acceptum referam. Per D. Stehling in Academia Petropolitana Eloquentiæ Profeſſorem poſtremos ab Illa editos tomos, cum thermometro artificio D. de l'Isle fabrifacto, ejusque Commentaria phyſica, & aſtronomica ad Te miſi: Te illa accepiſſe lætarer, ut intelligeres me ita Tibi liberalitate eſſe devinctum tua, ut omnes perſequar vias, quibus putabo me Tibi poſſe commendari: ideo doctiſſimorum opera, quæ hic inveniri potuere, lætus miſi, animo magis, quantum Tibi debeam, teſtificandi, quam Tui obligandi cauſa.

Illud adhuc a Te, Perilluſtris Vir, petam, ut ſequendos Commentariorum tomos, & reliqua, quæ animo edere paras, Magni Præceptoris opera, tuaque omnia ad me mittas, nec non illa, quæ noſtris favere ſtudiis poſſunt, a Celeberrimo Gesnero (qualem virum potiſſimum ob Quintilianum ſuum plurimum colo), inprimis promiſſum Plinium, edita. Dabo operam, ut mercator Caquot Berolini degens pecunias emendis libris ſuppeditet : ſed timeo ne gravius flagitem onus,

quam permittent negotia ; ideo ſaltem ut D. Schreibero quidquid in re medica & litteraria ibi a Te & Celeberrimo Gesnero editum fuerit, notum facias, rogo ; hoc modo omne, quod a Vobis ibi edetur, prenſare affectanti ſat erit, ut per mercatores adquirere illud poſſimus.

Et ſi in hoc muſarum orbo cœlo putas me Tui cauſa aliquid præſtare poſſe, Tui, qui beneficia gratiori memoria proſecuturus ſit, fore neminem, ut Tibi ſuadeas, rogo atque etiam rogo. Vale, Vir Perilluſtris, & ſave! Dabam Moſcuæ, 2. Junii 1742.

228.

## CAROLUS LINNÆUS.

Quo diutius tuas, Vir Colende, exſpecto literas, eo vehementius has deſidero, utinam modo valeres, qui laborioſiſſimam omnium vitam agis.

Reperi apud nos *Sedi* ſpeciem minus vulgarem, ubique in rupibus, petris & montibus obviam, & vulgatiſſimo acri ſimilem facie & floribus, a quo differt.

1. quod annua ſit, & fere minor reliquis.
2. quod erecta, non procumbens, nec multum ramoſa.
3. quod folia maculis inæqualibus rubeſcentibus adſperſa ſint.

Stamina

Stamina decem, flos luteus pentapetalus.

Quænam hæc apud authores? an iſta Raj. ſyn. tab. 12. f. 2. Figura bona, ſed flos omnino luteus, ut in reliquis.

Alia nobis Sedi ſpecies & vulgatiſſimæ acri ſimillima tota facie, magnitudine, colore, ſtructura, ſed folia propiora & quaſi ſexfariam imbricata, ſeu in ſex ordines longitudinales digeſta.

An Sedum minimum luteum non acre J. B. non reperio authorem, qui vere diſtinxit.

Ubinam habitat D. Stehelinus? ubi Emanuel Bauhinus? an Botanicus? Quo die obiit Dnus. Ammannus?

Floret in Horto Academico planta, quam præterita æſtate ex inſula Carolina adduxi, & eſt

Saponariæ ſpecies, quæ

Caryophyllus ſaxatilis, foliis gramineis, umbellatis corymbeis Bauh. pin.

Symphytum petræum Thal. harcyn. quæ & omnino eadem eſt cum

Polygonum majus erectum anguſtifolium, floribus candidis, Menz. pug. l. 2. f. 2. Vellem ſcire, qua nota differret a

Lychnide alpina linifolia multiflora perampla radice, quam nomine tenus tetigiſti in itin. helv. n. 20. Scheuchz. itin. alp. 137. omnino convenit, non vero notat folia craſſiuſcula & caules procumbentes, nec petala integra.

Floret etiam hodie ex ſeminibus ab Ammanno communicatis

Helleborus fumariæ foliis Amm. ruth. p. 74. l. 12. Neſcio num eandem diſtinguam ab Aquilegia foliis thalictri, floſculis minutiſſimis albis Mentz. pug. l. 8. f. 1. quæ Thalictrum montanum præcox Tourneſ. 271. Ranunculus præcox 2. thalictri folio, Cluſ. hiſt. 233. ſed noſtra longe minor Cluſiana, figura eadem; flores in noſtra virides, in Cluſii albi. Si vidiſti plantas Cluſii, demas ſcrupulam vel mittas foliolum; nobis enim unica modo planta eſt. Hoc certiſſimum, quod nec Aquilegia, nec Helleborus, nec Thalictrum eſſe queat.

Creſcunt præterea in Horto, licet nondum floruere,

Androſace coronopi foliis glabra, floſculis ex verticilli folioſi umbilico Amm. ruth. 13.

Delphinium perenne, aconiti folio ampliori, floribus longioribus pediculis inſidentibus, minus villoſum, Amm. ruth. 131.

Delphinium elatius ſubincanum perenne, floribus amplis azureis, Amm. rhut. 132.

Si poteris tuo cum commodo, mihi mittas oro quæſoque aliquot ſemina; non peto rariora exotica aut indica, ſed indigena, præſertim alpina; & ex plantis quas Tecum duxiſti ex itineribus alpinis Helveticis aut Harcynicis, vel etiam ex plantis Germaniæ, quæ in Uplandia non creſcunt;

cunt; Uplandiæ enim catalogum a Celſio editum poſſides Actis literariis inſertum.

An ex ſequentibus aliquas poſſideas plantas, tum ex his, ſi placeat, mittas.

Alſine muſcoſa Dalech. 1235. lineafolia C. B. 251.
Bellis monanthos autumnalis, iter Hercyn. 5.
Valleriana celtica Spica I. H. 7. Scrophulariæ folio I. Helvet. 2.
Petaſites monanthos.
Dryas.
Silaum flore luteo, I. Helvet. 15.
Oreoſelinum minus I. H. 16.
Cacalia aliqua.
Veratrum.
Rapunculus alpinus aliquis.
Carduus mollis I. Helvet. §. 39.
Androſace alpina perennis anguſtifolia glabra I. Helvet. 56.
Daucus creticus I. Helv. pag. 57.
——— anguloſi caulis, ibid. p. 64.
Bellis alpina rigido folio.
Phellandrium alpinum.
Cherleria, egregia planta; Burſerus habet duas ſpecies diverſas.
Stuchys alpina.
Daucus alſaticus.
Dipſacus foliis laciniatis.
Siſymbrium paluſtre album foliis imis barbareæ Tibi it. Herc.
Trifolium lupulinum minimum.

Doronicum aliquod.

Alſine ſaxatilis multiflora capillaceo folio, itin. Hercyn. 35.

Hieracium caule unifolio unifloro, calyce villoſo H. 1

Gratiola, Verbena, Centunculus, Kali, Salicornia, Rivini Cervaria, Falcaria, Seſeli prat. Angelica tenuifolia.

Polygonifolia Dill.

Anagallis lutea nemorum.

Cruciata hirſuta C. B. NB.

Circæa lutetiana.

Paſſeriana Tragi J. B.

Linoſyris Rivini Rupp. NB.

Spergula graminea annua &c. Rupp. Spergula uncialis Rupp.

Lunaria bulbonac.

Cucubalus.

Caryophyllus arvenſis umbellatus, folio glabro C. B.

Veratrum.

Chondrilla cærulea Tabern.

Stachys major germanica.

Ballote.

Cymbalaria.

Gramen murorum duriuſculum ſpica arcta rigida, Moriſ.

Gramen miliaceum aquaticum.

- - paniculatum minimum molle. Bot. Monſp.
- - amoris, J. B.
- - aquaticum paniculatum latifolium. C. B.

Mittas

Mittas quodcunque velis ſemen ex hiſce, vix credam, quod omni ope me deſtitutum dimittas, quem quondam tanto ardore proſecutus es.

Introduxi in Hortum 200 plantas ſpontaneas in Suecia naſcentes, & inter has 20. gramina, incluſis caricibus & juncis; quo queam ex noſtris, exteris ſemina dare.

Dabam Upſaliæ 1742. die 26. Julii.

Educabo medicinæ ſtudioſum in Botanicis, & quamprimum capax ſit, eum propriis impenſis mittam ad Alpes Lapponicas, ut ibi pro horto plantas colligat; eundem hoc anno miſi (tentaminis gratia) in Norvegiam proximam.

229.

## JOH. GESNERUS.

Nob. Teichmeieram (Soerum) Tibi ereptam doleo, lætor vero Tibi inde natam occaſionem Jenæ ſtirpes Germaniæ inveſtigandi, quibus non exigua ad utiliſſimum & eruditum opus, quod moliris, acceſſio fiet. Hiſtoriam tuam plantarum Helvetiæ prelo liberatam eſſe impenſe gaudeo, cum jam deſideratiſſimum hoc opus in manus Botanophilorum pervenire poſſit, unde non exiguum rei herbariæ, imprimis helveticæ incrementum jure præſtolor, cum jam manu veluti duci poſſint cultores Herbarum ad cognitionem ſtirpium helveticarum, ad quas ob penuriam librorum & horum diſſenſus

impedita admodum erat & difficillima via. Tibi vero gratulor, quod non minori ſtudio, labore & eruditione quam ſumptibus tuis & conatibus ſuſceptum abſolveris utiliſſimum hoc Patriæ ſcriptum. Fit inde, ut cum incredibili deſiderio cupiam quamprimum ejus exemplum habere. Niſi inſtructus ſis Criticis poëticis, quæ ſucceſſive a D. Bodmero & Breitingero eduntur, ea ad Te lubenter mittam, aut quæ alia apud nos prodeunt, ſi Tibi grata fore intellexero. Quas offers plantas rariores, gratiſſimæ erunt, præcipue ſemina aut ſtirpes exoticæ, quas hortulo meo inferre vellem. Spero enim me plantas alpinas ipſi inferre poſſe commode, cum affinis meus nuper Præfecturam Knonavienſem a Magiſtratu acceperit, ex quo loco breve & commodum in Alpes iter. Ex priſtino meo morbo exanthematico, qui has ſeptimanas me detinuit, reconvaleſco per Dei gratiam, cum ab eo per tres fere annos immunis fuerim. Dabam prid. Kalend. Aug. 1742. Tiguri ex Muſeo.

230.

## P. H. G. MOEHRING.

Adeo me rerum tuarum mearumque oblitum cenſebis, ut amicitiæ omnes regulas neglexiſſe me, perſuaſum Tibi habere debeas. Eſt, fateor, eſt profecto aliqua mea incuria, quæ humanum Te amicum, peſſimoque errori meo ignoſcentem, poſcit: neque enim promiſſas ſtirpes ſiccas, neque

que Floram Jeveranam miſi, neque demum vel litteras excuſatorias. Sed ex ipſo laborum tuorum acervo optume judicabis, quam arduum in arduis cumulatisque negociis practicis, quæ variabilis hujus anni tempeſtas plurima ſane conflavit, ſit, ad aliena animum ferre, aut calamum; quum vix ad debitam corporis nocturnam requiem ſpatium ſit mihi conceſſum. Acceſſere frequentia in vicinos locos itinera, & phyſici provincialis in terris Jeveranis munus, & illud medici apud Sereniſſimum noſtrum, Joannem Ludovicum, Principem Anhaltinum, & in vicinis præter ea aulis quibusdam; has inter eſt illa Illuſtriſſimæ Comitis Bentinckiæ, Kniephuſæ ſedem habentis, poëmatum tuorum inſignis amatricis.

En, quæ moras adhuc nectant! fient tamen certiſſime cuncta ad palatum tuum, quamprimum tantillum otii dederit benignus Apollo.

Vidiſtin nugas meas botanicas in Act. Nat. Cur. Vol. VI. & Illecebri characterem in Comm. Litt. Nor. h. a. initio? quæ in iis deſideres, candide ſcribas velim. Werlhofius noſter forte, uti ab ipſo petii, miſit epiſtolam de mytulorum veneno.

Vale, Tuumque porro ama. Scribeb. Auricæ a. d. 31. Aug. 1742. brevi tamen ad patrios lares reverſurus. ***.

Jeveræ biduo poſt redux, ecce inopinato litteræ Linnæi noſtri, Upſaliæ a. d. 26. Jul. ſt. vet. ſcriptæ, adveniunt, e quibus hæc habe exſcripta: „ Diſceſ-

„ Diſceſſere amici mei inter Germanos om-
„ nes, & inimici, ne hoſtes dicam, etiam
„ horrendi facti ſunt omnes. Egregius Hal-
„ lerus & tu ſolus ſupereſtis : ſufficiant hæc
„ lumina mihi, modo conſtanter luceant. Re-
„ dux praxi ampliſſima diu diſtractus fui ;
„ tandem bene latere Upſaliæ obtinui ; hic,
„ remotis curis, totus Floræ redditus ſum.
„ Hortus publicus, qui boum & pecorum pal-
„ pabatur pedibus, nunc repullulare incipit ;
„ hypocauſta egregia & domus Profeſſoris ma-
„ gnifice hoc anno exſtructa ſunt . . . . Oc-
„ cupatus ſum colligendo animalia regni Sue-
„ ciæ cum ſynonymis omnibus, quæ potero
„ colligere. Viciſſim & ſpecies plantarum
„ conſcribo & colligo, quo tandem exhibere
„ queam ſpecies omnes ſub ſuis generibus,
„ uti quondam in Horto Cliffortiano tentave-
„ ram. "

Utinam Vir dexterrimus tuam Floram Helveticam videret ! ſic multum laboris deceſſurum ipſi eſſet in ſpeciebus & ſynonymis evolvendis. Sed quod ad ſiccas fatuasque controverſias, a Germanis quibusdam ipſi motas, adtinet, miror ſane, bonum Heiſterum iis nomen ſuum dediſſe, quamquam reſpondentes auctoris nomina adfectaverint : pleraque logomachiis repleta cerno, quædam hilo leviora notata, quædam tandem, quæ ipſe Linnæus probabilia tantum dicit, neque certa luce fulgentia, ſed neque ab adverſariis emendata. Laboraverint modo hi litium amatores tantum,

tantum, quantum ille in generibus enucleandis, & obſervandis differentiis ſpecificis, tumque facile conceſſerint, facilius eſſe, aliena carpere ac increpare, quam vera indefeſſo labore obſervando detegere. Latere mallem honeſte, quàm effrenata facie invehere in alios, leviſſimarum præſertim rerum cauſſa. Unica methodi reformatio ipſis infeſta eſt, ſed retineat quilibet ſuum ſyſtema artificiale, donec naturale verum ſit inventum. Adeo mortales ſola ſæpe excitat invidia!

Cæterum addidit Linnæus, creſcere in alpibus plantulam, e qua ille genus ad nomen meum in gen. plant. edit. ſecunda, jam Leidæ impreſſa, effinxiſſe perhibet. Eſt illa Alſine montana capillaceo folio C. B. quam ſiccam mitteres vellem, aut ejus ſemina. Eſſentiam ejus generis in piſtillis 2. petalis 4. & ſtaminibus octo conſiſtere ſcribit; an vero hæc tanti ſint, ut a Saginis ejusd. ſejungendam hanc opinetur, adhuc dubito. Quærit ſimul, an non ſecundum data hæc Alſinellæ Dill. Giſſ. adpend. num. 1. 4. 6. 7. & Alſine verna glabra Bot. Monſp. ad Mœhringias, ut ipſi tales plantulas, me vix conſentiente, vocare placuit, pertineant. Certe Alſinella muſcoſa flore repens Dill. eſt Sagina Linn. quia 4. piſtilla &c. obtinet. Tu vero, Vir Optume, uti hactenus abunde comprobaſti, amorem tuum, favoremque in me conſerves iterum iterumque rogo. Vale. Scribeb. Jeveræ, a. d. 3. Sept. 1742.

231.

231.

## CHRIST. FRID. HÆNEL.

Tertius, niſi fallor, lapſus eſt menſis, ex quo literis ad Te datis rationem longius a me per Deum! invito protracti ſilentii Tibi expoſui, commiſſique peccati veniam Te oravi. Currui publico, ſi recte memini, iſtas commiſi ita, ut omnino ſperarem, eas bene Tibi traditas eſſe, niſi id, quod nil reſponſi ad eas abs Te adhuc tulerim, aliud metuere juberet. Verum quidquid ejus ſit, cum pertinax illud tuum ſilentium diutius æquo animo haud feram: hoc vel furtive de negotiis limatum momentum temporis haud ulli alii rei, quam exarandis ad Te literis impendendum eſſe cenſui. Nolo crambem bis coctam addere & prolixius recenſere, quæ hactenus id ita jubente, num propitio? an irato Numine? neſcio, mecum geſta fuerunt, quæ ad Te in ultimis literis me perſcribere memini. Unicum addo: me totum ver labentemque æſtatem itineribus huc illuc factis ducem militum ſummum dum ſecutus ſum perdidiſſe, & in ampliſſima etiam Dresdenſium civitate a conſortio eruditorum ita fuiſſe remotum, ac ſi inter barbaras gentes in ultimo terrarum angulo animam miſeram traherem. His ita ſe habentibus facile conjicies, quod nihil eorum, quæ in Republica Literaria & Medica geſta ſunt, reſciverim, præſertim cum tantum non omnes mei amici in ſcribendis ad me literis ſuo defuerunt officio. Id unicum mihi

ſuper

ſuperfuit ſolatium, quod uberiorem nactus fuerim occaſionem artem faciendi ſalutarem, ſicque lætiſſimos quosdam fructus decerpſerim. Verum patiaris rogo, Amiciſſime Hallere, hiſtoriam rarioris, ut puto, morbi Tecum communicem, tuumque de illo mihi conſilium exorem. Quidam militum præfectus quinquaginta circiter annorum a pluribus annis Gonorrhæa virulenta laboravit, a qua tandem liberatus fuit vario medicaminum genere & maxime Unguento ſequenti: ℞. Axungiæ porcinæ recentis ℥iij. Balſami Peruviani Mercurii dulcis ana ℥i M. D. ad ollam applicetur ope Cerei. Viſus eſt ægrotus per ſex menſes belle valere, poſt quod temporis ſpatium ſurdum quendam dolorem lenemque tumorem perſentiſcit in haſta virili, nempe in corporibus cavernoſis majoribus, maxime ſiniſtro, duorum transverſorum digitorum ſpatio poſt glandem. Non ſolum vero ſupra memorata perſentiſcit, ſed & id ſimul animadvertit, quod quoties penis oeſtro venereo percitus ſe erigere vellet, iſte curvus redderetur eum in modum, ut convexitas perinæum & anum reſpiceret, concavitas abdomen, ſimulque glans verſus femur dextrum detorqueretur. Ægrotus ſibi aliisque perſuadere voluit detorſionem neſcio quam, factam fuiſſe ſub coitu in ſitu admodum incommodo celebrato, mihi vero ſtatim ab initio viſum fuit malum forſan originem traxiſſe a corroſis conſolidatisque lacunis urethræ per uſum unguenti ſupra memorati, unde impedita excretione humoris excerni ſueti dicta mala nata. Probe quidem novi, nullas in corpo-

corporibus cavernoſis detectas adhuc eſſe glandulas, quæ humorem illum excernant, ſed quid ſi præſens caſus eorum præſentiam evincat? Varia in uſum vocata fuerunt remedia, Venæſectio, Catharitica, Decocta, Ptiſanæ, potus emollientes, reſolventes ejusdemque indolis emplaſtra, unguenta ex Vgto Dialtheæ Verbaſci & oleo Ceræ compoſita exterius interiusque applicanda eo effectu, ut tumor dolorque diſparuerint, ſuperſtite ſub erectione incurvatione, minore licet. Velim nunc ſequentia me edoceas:

*a*) Unde malum originem traxerit probabiliter?

*b*) Quomodo phænomena memorata mente diſtincte concipi & explicari queant?

*c*) Num unquam ſimile quid obſervaveris aut obſervatum legeris?

*Nota:* Deſſaltum in Libro de Lue Venerea huic haud abſimilem caſum exhibere, ſed rem levi pede tranſilire, Col. de Villars etiam phænomenum meminiſſe, ſed ejus explicationem mihi haud ſatisfacere.

*d*) Quid conſilii ſit capiendum, ut æger cum ſanitate in gratiam redeat?

Unum adhuc, antequam finiam, ex Te quærere liceat, ſcilicet, quid de Cataractæ maturitate ſentias? num ſit aliqua Cataractæ maturitas? in quo conſiſtat? & an ſit expectanda antequam opera-

operationi Te accingas? Vale cum lectiſſima tua Conjuge chariſque thori pignoribus, & a me plurimum ſalve! Dabam Dresdæ IV. Sept. 1742.

232.

## JOH. GESNERUS.

Tandem ad humaniſſimas tuas binas literas reſpondere mihi licet. Miſi in Alpes veterem quondam diſcipulum D. Sulzerum harum rerum ſatis peritum; is vero in itinere febri acuta correptus, demum in tertianam & tandem in paſſionem iliacam incidit, ex qua nunc reconvaleſcens apud me degit, a propoſito ſuo plane impeditus. Sollicitabat quoque apud me alpinas plantas D. Linnæus, cujus petitioni perlibenter quoque ſatisfeciſſem. Upſaliæ in Profeſſorem Botanices electus eſt; parat hiſtoriam omnium plantarum ſpecierum, & ſynopſin animalium Sueciæ ſe abſolviſſe ſcribit.

Scribebam raptim ad d. 30. Sept. 1742. Tiguri ex Muſeo.

233.

## D. LUDWIG.

Te, diu expectatum, triſti tamen fato impeditum, hac æſtate non videre potuerunt Lipſienſes, qui Te venerantur & amant; ſperamus tamen omnes, fore ut Lipſiam videndi cupido Te

proximis annis nobis ſiſtat, quod de ſalute tua & eruditione lætari poſſimus. Splendidiſſimum tuum opus botanicum magni laboris eſt, interim eo ipſo etiam de Patria tua, de conditione univerſa & inprimis de ſtudio Hiſtoriæ naturalis, bene promeritus es, quod quidem nunc Tibi gratulor, & debitas gratias ago, quod me munere hoc ſplendidiſſimo ornare volueris. Sed quid Tibi, Vir Excellentiſſime, reddere poſſum? En tenue munuſculum, Inſtitutiones meas hiſtorico-phyſicas regni vegetabilis, quæ tum demum mihi placebunt, ſi Tibi in ſtudio botanico verſatiſſimo non prorſus diſplicent. Peto interim majorem in modum, ut id quod a ſummis Botanicis in præfatione petii, impleas, & me moneas, ſi quæ minus certa, & minus evidentia ſunt. Dabo operam, ut omnia in commodum ſtudioſæ juventutis convertantur. Pauca ex noſtris addere poſſum. Quæ Gleditſchius præſtitit & præſtare inpoſterum vult, ex Diſſertatione videbis, monui ut opus tuum evolvat, antequam Hiſtoriam fungorum edat. Gerberus non amplius Moſcuæ vivit, ſed, ut ex literis Fiſcheri ad Waltherum datis cognovi, cum exercitu in Finlandia verſatur, neſcio igitur, an unquam ad Floram redire poterit. Miſit ille jam anno 1740. menſe Julio plantulas ſiccas & alia curioſa in itineribus collecta, quæ tamen omnia uſque ad hodiernum diem fruſtra expecto. Vale & me ut ſoles ama. Dabam Lipſiæ d. XIII. Octobr. 1742.

## 234.

# JOANNES BURMANNUS.

Exotica pro Te parabo ſemina; quæ data prima occaſione Tibi transmittam cum Decadibus plantarum Africanarum, ſi Tibi non diſpliceant; nuper a me editis. Rumphii tomus tertius ac quartus jam jam impreſſus eſt, ob tabularum vero numerum tantum exegit temporis, antequam paratæ eſſe potuerunt, multumque ob praxin clinicam frequentiſſimam mihi ſubvenit hoc, quod temporis, ac laceſſit laboris, ſed quod ſuſcepi, ſubeundum eſt, quum vires largiatur ſummum ac benevolum Numen.

Si plantas quasdam ſiccas ſolo tuo proprias, ac proinde hic rariores pro Herbario meo augendo & ſupplendo in poſterum transmittere velis, erit mihi quam gratiſſimum, præſertim ſi ipſarum ſemina quædam ad Hortum publicum exornandum addere poteris.

Si autem Tibi aliqua in re, Vir Celeberrime, officia quædam porro præſtare poſſim, erit mihi quam gratiſſimum, paratumque me ſemper, quum deſideres iſta, habebis; cæterum vale, meque tuo commendo favori & amori.

Dabam Amſtelæd. xx. Octobr. MDCCXLII.

235.

## JOH. GESNERUS.

Incomparabile & immortale opus tuum de plantis Helvetiæ, tandem a Zundelio mihi redditum eſt, & non modo maximam de eo exſpectationem meam explevit, ſed pluribus modis vicit ſummâ rerum copiâ & accuratione, quam ubique præ ſe fert, tum in plantarum numero, tum deſcriptione, quæ omnia de plantis ſcitu neceſſaria continet breviter ſimul & nervoſe; ut nihil dicam de generum determinatione, de nominibus ſpecificis, de infinito labore in conquirendis & dijudicandis ſynonymiis, de ordinibus ad naturæ exemplum excogitatis, ut taceam ſplendorem externum, quo nulli Botanicorum operi cedit. Feliciſſimam ſane hanc Epocham ſtatuo renatæ in Helvetia Botanices, habent enim cultores rei herbariæ in Helvetia, unde & plantas facili opera dignoſcant, & quæ hactenus ab omnibus authoribus de iis vera tradita ſunt, cum elegantiſſimis tuis obſervationibus legant. Hinc eo majorem Tibi gratiam debeo, quod adeo honorificam in eo mei mentionem feceris, ego ſane non intermittam, quantum valetudo mea permittit, in tam caro ſtudio operam ponere, tanto autem lubentius, ſi ea Tibi grata futura eſt. Det DEUS, ut una in annum, quem itineri helvetico deſtinaſti, incolumes alpes conſcendamus; nihil vero mihi gratius futurum eſſet, quam Te hoſpitio meo excipere. Vale & favere perge.

Dabam raptim Tiguri d. 28. Octobr. 1742.

236.

236.

## CHRIST. FRID. HÆNEL.

Literas tuas XIX. Septembr. ad me exaratas recte accepi cum additis Programmatibus & Diſſertationibus, pro quibus Tibi gratias perſolvo, donec occaſionem nactus fuero miſſis libris quibusdam nomen meum apud Te liberandi. Pro ſolutione problematis propoſiti Tibi pariter me obſtrictum profiteor. Dubito tamen, num incurvatio illa a relaxatione involucrorum penis, nempe anteriore eorum parte, in hoc ſubjecto oriatur? cum, quoties haſta erigitur, in ſuperiore ejus parte duarum unciarum a glande diſtantia, omnia tenſa ſint ita, ut vel vi adhibita maxima eam in lineam rectam redigere nequeas abſque metu rupturæ. Eſt utique chordæ ſpecies ſine dubio a tumore in interno penis involucro, nempe in tertio, texto illo celluloſo, radices agente orta. Rem gratam faceres, ſi rem iterum accurata mentis lance expenderes, atque cogitationes tuas mecum communicares. In urethra nunc omnia ſana & ſalva ſunt, nullum enim adeſt puris vel etiam lymphatici ſaltem liquoris ſtillicidium, nullus dolor, anguſtiæ nullæ, verbo nihil, quod morbi quid indicet. Puto tamen ab uſu mercurii ſublimati dulcis orificia lacunarum urethræ eſſe eroſa & clauſa, quæ eſt fundi noſtri calamitas. Scilicet accumulantur humores in ſuperiore & corporibus majoribus ſpongioſis contigua urethræ parte, quæ inde craſſior facta non obedit

 motui,

motui, unde hæc chordæ ſpecies neceſſario oritur. Quod penultimas meas literas non acceperis, id vero me male habet. Neſcio tamen, quid illis acciderit, cum frater, mercator Lipſienſis, me vel nunc certum eſſe jubeat, ſe eas currui publico tradidiſſe. Verum iſtam jacturam facile feres! Scripſeram ſaltem, quod ſpartam Conſiliarii aulici & Archiatri Ducis Saxo Leucopetræi vel invitus in me ſuſceperim, meque Tibi de neglecto literarum officio purgaveram. Doctor Grauel, per quem libros Pariſiis editos accipere ſoleo, contra datam fidem diu ſiluit, nihilque omnino etiam eorum miſit, quæ ipſum rogaveram, Tibique mittere decreveram. Promiſit autem nuperrime, ſe proxima quavis occaſione varia miſſurum eſſe, quæ mecum communia habebis. Quamprimum iſta accepero, catalogum eorum ad Te curabo, quo ſcilicet ut ſciam facias, quæ Tibi grata ſint futura. Seminibus ferme careo partim ob hortulani incuriam, partim ob injurias tempeſtatum & præſentis & duorum præteritorum annorum, ſed ſpes eſt accipiendi plurima, id quod & mihi curæ erit, cum cura horti noſtri ex parte mihi ſit demandata. Habemus etiam hic ſpeciem dicam? an umbram Theatri Anatomici naſcentis, quod a mea tenuitate aliquod ſibi incrementum promittit. Magno me Tibi ære obſtringeres, ſi ſupellectilem meam anatomicam, quæ adhuc exigua eſt, quibusdam præparatis augere velles. Oſſibus abundo omnino, cætera tantum non omnia deſidero. Herniotomiam nuper inſtituendam curavi in duobus ſubjectis Epiplocele incarcerata laborantibus

rantibus methodo poſt plures alios a Vogelio Lubecenſi tradita. Unum convaluit, alterum altero poſt operationem die ad plures migravit. Docuit tamen ſectio, operationem rite fuiſſe peractam, ligato nempe & reſecto ſacco herniæ ſalvis & incolumibus funiculo vaſorum & teſticulo, ſed gangræna totum omentum corruperat ob dilatam juſto diutius operationem.

Vale, Amicorum Optime, & a me plurimum ſalve! Dabam Leucopetræ VI. Nov. MDCCXLII.

237.

## D. LUDWIG.

Verbis vix exprimere poſſum, quanto cum oblectamento tuum perluſtraverim Opus Botanicum, cum illud deſiderium meum multis modis ſuperaret. Invenio enim non tantum inſignia diligentiæ ſpecimina, ſed & judicii vim in eligendis, definiendis & dijudicandis generibus plantarum. Fateor equidem, methodum tuam mihi non ex omni parte probari, ſed forſitan, ad alia magis artificialia attentus naturalem ordinem invenire non poſſum. Hic quidem in colligendis & ordinandis plantis in Te enatus fuit, dubito vero, an quidam Botanicus, cui non datum eſt obſervationes proprias tanta in copia inſtituere, illum ſequi, vel tam felici labore Te imitari poterit. De uſu vero hujus libri ampliſſimo nullus dubito, quippe qui ipſemet in laboribus Mat. Medic. ſpecies plantarum inde feliciter extricare potui.

 Audio

Audio Te recenſionem acerbiorem Editionis Germanicæ Baylii in Diario Gallico exhibere velle, peto vero, ut illud intermittas, ſi ullo modo fieri poteſt; vereor enim Te eo ipſo Bello critico inter Germanos orto immiſceri poſſe, quod Te in laboribus anatomicis & botanicis, quos omnes anxie deſideramus, aliqua ex parte impedire poſſet. Amicæ hæc ſcripta ſunt, eo etiam nomine excipias velim. (Nunquam de ea cenſura cogitavi).

Data occaſione me certiorem facias an Diſſertationes de Circulo ſanguinis Joh. Anton von der Linden ſint 29. an tantum 27. vix enim credendum puto Almelovcenio, qui prius aſſerit.

Dabam Lipſiæ d. 9. Novembris, 1742.

238.

## FRIDER. ZIEGLER.

Præter voluntatem & non alia ex cauſa hactenus ſilentium obſervare coactus fui, quam quod ſperarem, de nundinis ad nundinas quas Mercatores Helvetici in aura Francofurtenſi frequentare ſolent, ex Patria accipere Herbarium meum, quod juxta Tabulam Valentini in ſuo Tournefortio contracto indicat & loca natalia & menſes florentium plantarum, quæ in agro Scaphuſienſi proveniunt, forte illi opuſculo amicis concredito accident illa fata, favori nimio alias conſueta, interim habeo adhuc quædam folia Herbarii Alpini Ann. 24. & 25. in Monte Pilati, Angelo monte & tractu vicino

cino collecti. Si Tibi placent, transmittam una cum ſupplemento indicis ad Caſp. Bauhini catalogum plantarum circa Baſileam naſcentium, quas cum Cel. Prof. Stehelin tempore commorationis Academicæ ad Natalia perſcrutatus fui, & chartæ mandavi, dum otio a Cœlo conceſſo tandem cogitabam Patriæ meæ utile opus proferre, hinc rariſſime Nomenclaturam nunquam locum natalem plantis adjeci, memoriæ nimis confidens, ut eo melius Herbarium tale ſancte hactenus cuſtoditum ad mentem Eclecticorum uno quaſi halitu deſcribi poſſit.

Diſpone itaque, Amice ſuaviſſime, in ea, quæ Tibi offero, & quovis momento parata ſunt, deſiderio ſatisfacere.

Non ſolum de faſciculo pretioſo, ſed & de humanitate Cel. Prof. Vietori larga manu præſtita gratias Tibi porrigo maximas, ſtudebo quacunque occaſione pari modo amicitiæ teſſeram dare.

Si quædam in Seminario tuo ſuperſunt ſpecies, lubentiſſime inſtante vere ſuſcipiam, ut hortus meus & tua monumenta horizonti noſtro monſtrare poſſit; pergo in Eremo & deſcriptionem Fontis novi prelo committam, ut pro novo anno in Miniſterio appareat, implorando, an tempora meliora nec ne, ſint ſperanda? utinam tales mihi eſſent Mæcenates, ut apud Te uberrime venerantur.

Interim fiat voluntas Domini, qui ex Patria me duxit, & hactenus mirifice conſervavit contra

tra omnis generis molimina, etiam heroes quaſi ſupprimentia. Vale & ama &c. Rintelii, luce $\frac{23}{42}$ Novembr.

## 239.

# J. G. SIEGESBECK.

Faſciculus plantarum alpinarum exſiccatarum prior, quem anno præterito miſiſti, cujusque in litteris, die 28. Septembr. 1741. exaratis, mentionem facis, bene huc appulit, Cl. Ammanno adhuc inter vivos exiſtente; alter vero demum acceſſit die $\frac{21}{10}$ Sept. anni præſentis 1742. Quum vero initio menſis Decembris ann. 1741. Botanicus iſte Celeberrimus e vita diſceſſerit, & poſtea Profeſſio Botanica, cum Horti Academici Præfectura ad me delata ſit, merito non ſolum illius nomine pro benevole transmiſſis, (quæ cum reliquis beati deceſſoris Mſtis Botanicis in Academiæ noſtræ Archivum reponentur,) grates Tibi perſolvere, ſed & Commercii litterarii botanici pro Horto noſtro Academico ulteriorem efflagitare continuationem mearum eſſe partium duxi. Quumque in ultimis tuis litteris plantarum indigenarum Imperii Rutheni tam ſemina, quam exempla ſicca exoptes, en jam mitto in Horto Academico hac æſtate recenter producta & conlecta ſemina varia plantarum Sibiricarum, quas B. Dn. Dr. Ammannus in Tractatu a ſe evulgato recenſuit & deſcripſit. Exemplaria vero plantarum quarundam exſiccatarum, quæ non tam facile ex ſemi-

ſeminibus progerminare ſolent, alia occaſione, quando nimirum libri hic impreſſi per mare Lipſiam mittentur, impoſterum accipies. Sed jam etiam ex Horti Veſtri Academici Sporophylacio, cum primis vero plantarum quarundam in Germania ſpontanearum, quarum incluſum hic cernis catalogum, quæque adhuc in Horto noſtro Academico deficere obſervo, ſeminum permutationem a Te nunc expeto; quæ ſi non omnia ſimul, attamen per vices a Te impetrari poſſe confido; quæque cum aliis, quæ forte a nobis reciproce deſideres, libenter compenſare paratiſſimus ero futurus. Cæterum perſuaſum habeas velim, mihi nihil fore jucundius & optabilius, quam ſi celeberrimorum noſtri ævi Botanicorum, quibus Te, Vir Clariſſime, jure meritoque hic accenſemus, favorem ac familiaritatem per litteras mihi queam conciliare. Cura ut valeas! Petropoli ex Horto Academico, ad diem $\frac{16}{5}$ Octobr. ann. 1742.

P. S. Si reſponſionem una cum ſeminibus ad me dare decreveris, probe notandum, inſcriptionem epiſtolæ exteriorem ad Academiam hic Imperialem dirigi debere; addita tamen ſimul ſubſcriptione, quod mihi reddendæ ſint litteræ.

In planta Sibirica, quam Jacobæoidis ſemen producet, ſingularem deprehendes circumſtantiam quoad florem, quam, quæſo, impoſterum mecum communices, ut videam, an meæ obſervationi reſpondeat? planta iſta ſub aperto perennat olympo, ſicuti omnes reliquæ; excepto ſolo Phaſeolo Perſico, ſemine piſiformi, qui planta eſt annua, & in vaporarium veris initio ſerendus.

240.

## JOH. GESNERUS.

Redditæ mihi ſunt humaniſſimæ literæ tuæ & brevi poſt eas intervallo faſciculus duplex ſeminum alter, alter rariorum plantarum cum non paucis ſchediasmatibus ſcriptorum medicorum. In plantis perplures fuere, quas antea nunquam conſpexi, & in ſeminibus multa etiam ex rariſſimis. Innovavit apud me veterem ſtudii botanici amorem, ſed longe magis deſiderium Te in patria videndi, & iter alpinum inſtituendi, a quo ſi DEO ita viſum fuerit, nil me impediet, ſi valetudo ſit firma, quæ quidem mihi admodum vacillans eſt, ea nempe quæ niſi diligentiſſime curetur, me protinus lecti vinculis adſtringit. Cæterum beatiſſime vivo cum cariſſima mea conjuge, prole licet adhuc deſtitutus, ſtipendium profeſſionis meæ ſatis amplum eſt, & ædes commodæ, nec hortulus & villa deſunt, fruor etiam amicis, paucis vero qui Medica aut Phyſica ament. Hinc fere ſterili & inglorio otio deliteſco, ſi inſtitutiones meas publicas & privatas excipias. Accedit quod valetudo mea diuturnas meditationes longe minus lucubrationes permittat.

Ante ſex hebdomadas Horgæ in Villa montana natus eſt infans duplex, ventribus connatis, vivum utrumque mater enixa eſt, dum alter flebat, alter quieſcebat, facta ſic quadam reciproca-

tione

tione, fæces alvinæ una ab utroque egerebantur. Altero die unus ex his mortuus eſt, alter 8. poſtea horis inter continuos fletus. In Noſocomium delatus eſt, & perlubenter ejus ſectionem inſtituiſſem, ut tua ſuper ſimile monſtrum cogitata confirmarentur; verum D. Landoltus, ad quem delatus fuit, maluit in ſpiritu vini monſtrum hocce aſſervare. Theatrum Anatomicum noſtrum, in quo D. Abeggius proſecat, ſibi vendicare voluit, ſed fruſtra, ita ut rariſſimæ obſervationis occaſio ſeſe ſubrepſerit.

Scribebam raptim Tiguri 21. Decemb. 1742.

## 241.

## D. LUDWIG.

Irregularitatem floris & regularitatem maxime facio in characteribus plurimorum generum. Præter pyrolas, Gerania & umbelliferas, objectiones pauciſſimæ erunt, hæ tamen plantæ ex charactere eſſentiali cognoſcuntur. Character naturalis, quem Tu adeo amas, nimis difficilis eſt; & non niſi ab illis diſcitur, qui longo uſu & exercitio rem herbariam didicerunt. Sed in his non tanta neceſſitas methodi, tyronibus eſt ſuccurrendum, quo ex characteribus plantas diſtinguere diſcant, & ita demum ad naturalem diſpoſitionem accedant.

Diſſertationes de circulo ſanguinis Hippoc. von der Linden, Platnerus noſter habet 27. & putat, adhuc

adhuc eidem quasdam deeſſe. Prodiit Petroburgi Weitbrechti Hiſtoria Ligamentorum corporis humani, ut ego quidem opinor perfectiſſima. Varia cum meis præparatis contuli & vera inveni. Pretium eſt 2. Rthl. quod reſpectu iconum XXVI. moderatiſſimum mihi viſum fuit.

In ſectione epileptici juvenis, plexum choroideum marcidum, contractum & exſanguem inveni, ſerum in ventriculis anterioribus inventum 2. cochlear. vix æquabat, magis derivabatur verſus infundibulum. Vidi vaſa lactea in puella ſeptem annorum, quæ glandulas meſenterii ſcirrhoſas habebat, cognovique in quibusdam tantum glandulis non adeo ſcirrhoſis ſtrias lacteas, undiquaque diſſeminatas. Cum ſectiones corporum morboſorum tantum ſuſcipio, anatomica magis repeto quam excolo. Omnis labor nunc poſitus eſt in hiſtoria ſimplicium ex regno vegetabili, chymica non intermitto, ſed omnia in uſus practicos converto, curioſa in meliora tempora differo. Seeligius nondum reſponſorias dedit. Vale & me ama. Dabam Lipſiæ d. 23. Dec. 1742.

242.

## T. GERBER.

De miſſis tuis ad me ſeminibus, gratias reddo. Botanice autem hoc ævo ex horto Moſcuenſi migravit, ſic ut officinales modo plantæ colantur,

pro

pro uſu pharmacopolii. Hinc factus fui (nulla alia ſede conſtante) medicus caſtrenſis. Elapſa æſtate de plantis aut ſeminibus nihil legi, nec novi quid in Finnia obſervavi. Vale & fave. Wyburgi d. 1. Febr. 1743.

Conſcripſi catalogum plantarum omnium in Ruſſia viſarum ab me, cum loco natali & tempore florendi.

243.

## J. F. SCHREIBER.

Dum ex ſcriptis tuis doctiſſimis, quæ plura a benignitate tua recepi, intellexi, Te, in Germania, communem Medicis Præceptorem fieri, unde nomini tuo tantus honos, ut a Principe, ita a cæteris omnibus: id me adfligit, quod diu vixeris, animo non læto. Adtamen ſpero, curas tuas multum diminutas eſſe, poſtquam Elegantiſſimam Teichmeyeriam in torum recepiſti, ut mihi retulit Cl. Kaltſchmidt, qui haud ita diu huc advenit. Illud verendum, ut incredibilis tua diligentia corpus tuum ocyus deſtruat. Hac in re minus ſatisfacere videris perſpicacitati tuæ & doctrinæ, qua nos imbuis. Hinc ſuadeo, ut tanto ſtudio temperamentum adhibeas. Enimvero, ne quid ſimulem, neque ego contentus vivo, niſi ſolo voto, ut in Academia Tibi conjungi aliquando poſſem. Perilluſtris de l'Eſtocq, Fiſcheri, qui in patriam urbem, Rigam, conceſſit, ſucceſſor, novum officium conſtituit, cui me, avoca-

avocatum Moſcua, ante annum, admovit, docendi hic publice Anatomen ac Chirurgiam in hiſce noſocomiis, ſtipendio annuo 800. Rublonum, ſic, ut in horto Medico ædes publicas, quas Siegesbeck olim habitavit, incolam, & ligna candelasque adcipiam. Dati mihi ſunt Proſector & Operator van Melln, qui artem injiciendi vaſa eleganter callet. Cadavera mihi quotidie, ex voto, ſuppetunt. Siegesbeckius locum Ammanni in Academia occupavit. Gerberus, caſtra ſequi ante annum juſſus Medicus, diem obiit. Reliquit elegans Herbarium, & Floram Moſcuenſem, manu ſcriptam. Qui honor Botanicæ hic olim ſtatuebatur, ille nunc ad alias artes migraſſe videtur, Anatomen & Chirurgiam, Imperio utiliores. Tabulam tuam novam diaphragmatis conferendo cum cadavere, exactiſſimam deprehendi, longe præſtantiorem Senaciana. Inter demonſtrandum partes corporis humani, rariora vix offendi. Arteriam hepaticam vidi ſolam ex arteria meſenterica ſuperiore prodeuntem. Vena ſine pari duplex ſingulari plane modo ſe habuit. In eodem cadavere vena ſeminalis dextra e vena emulgente, ut & cava (*ſic*) naſcebatur. Utrimque fuerunt ureteres duplices. Repleto ductu thoracico, viſum eſt, hydrargyrum per aliquod vaſculum, prope veſiculam, verſus renem dextrum tranſiiſſe. In mentem venerunt obſervationes *Pecqueti.* Enimvero van Melln, cui inquiſitionem commiſeram, retulit, fuiſſe inſulam. Non recordor, legiſſe, & ibi inſulam ductus thoracici quandoque obtinere. In cadavere mulieris junioris

ris vidi ovaria, tubasque ſcirrhoſa, ac tubarum in uterum aperturas abolitas, vel nullas. In alio ſimili cadavere, integra ovaria in abſceſſus ſanguifluos mutata fuere &c. Quid judicas de Bohlio, Archiatro? Libellum meum *de Peſte* Tibi miſi, Optume Amicorum, & bibliopola Regiomontanus, me certum fecit, ſe exemplar, credo veſtro bibliopolæ, recte tradidiſſe. Si Tibi vacat, examina rem, & vel publice, vel privatim, mihi perſcribe ſententiam. Meretur res aliquam inquiſitionem, & haberem aliqua, quæ non infructuoſe addere poſſem. Sane, diu optavi, ut publica aliqua epiſtola impreſſa Tibi ſignificare poſſem, atque omnibus, quantum Te reverear, quantum Te colam atque amem; ſed mihi deficit argumentum, quod Tibi maxume omnium placere poſſet. Illud Tu mihi ſuppeditare poteris. De venenis, ut & de aneuriſmatibus aliquando ſcribere conſtitui. De hiſce frigide ſcripſerat *Lanciſius.* Ante octo dies ex Sibiria huc rediverunt tandem Gmelinus ac Müllerus: quorum ille, præcipue rei naturalis ac botanicæ opibus, dives, Te multum ſalutatum voluit. Hermannus Kaaw Boerhaave, Abrahami frater, hic vivit Aulæ Medicus. Scripſit Abrahamus, ſe, proſequendo experimenta avunculi H. Boerhaavii, quæſiiſſe in cupro remedia contra morbos hereditarios: & inveniſſe, quæ operæ pretium tulerunt. Idem promiſit, ſe in Anatome aliquid, neſcio quid, editurum. Dum enim iidem propoſuiſſent, qui conſenſus eſſet inter caput & ventriculum: inter hunc & inteſtinum rectum: in-

 quiſivit

quiſivit in rem in juniori cadavere; & negavit, eſſe inter nervos conſenſum, ſed tantum communis ſenſorii ope: atque miſit ſcriptum, quod qui legerunt, perpulcrum prædicarunt. Hoc una cum aliis prodibit.

Vidi apud Cl. Sanchés tuum opus botanicum magnificum. Adtamen inter omnia nihil adceptius mihi futurum, quam recipere duos ultimos Tomos prælectionum in Inſtitutiones, una cum tuis notis, Diſſertationes tuas cæteras: nec non doctiſſimi Segneri, quem ignotus homo ſaluto quam plurimum. Vale & me amare perge.

D. Petropoli $17\frac{8}{111}43$.

244.

## CHRISTIAN. FRID. HÆNEL.

Si a me poſtules rationem temporis hac hyeme collocati, en Tibi eam! Maximam ejus partem itineribus non fefelli, ſed perdidi. Factum tamen eſt favore Ducis Weiſſenfelſenſis, ut duo cadavera in Theatro noſtro ſecuerim, variasque partes conſervaverim e. gr. caput, in quo arterias cera repleveram, ductum thoracicum, venam ſine pari, pariter cera repletas. Renem, hepar quadruplici cera repletum, partes genitales utriusque ſexus, pelvim utramque cum muſculis ani, penis, vaginæ, vias lacrymales, laryngem, pharyngem cum muſculis, & varia alia, de quibus forſan aliquando

aliquando publice agam. Portionem duram paris ſeptimi diligentius inveſtigavi, & uti figuram pedis anſerini vulgo dicti aliam omnino reperi, ac ab auctoribus omnibus depicta habetur, ita etiam plures ſurculi adfuerunt ad poſteriorem auris partem properantes, quidquid etiam Valſalva & Morgagnus clament & Verneyo oggannıant. Arteria maxillaris interna Winslovio dicta cum ejus deſcriptione non convenit, quod & alio tempore animadverti, & emendatum vellem. Arteriam vidi, ni fallor haud deſcriptam, palatinam vel pharyngæam poſticam dicendam. Venam quoque vidi cum emulgente & ἀζύγου ſiniſtræ ramo dimidio communicantem plane inſignem, ne in Tabulis Euſtachii quidem depictam, varias licet diverſitates tradentibus. Reperi etiam alia quædam vaſa Bertino ſaltem memorata, Walthero etiam per tranſennam viſa. Ureteres ab utroque latere ab origine usque ad inſertionem erant duplices. Epiplocelen inſignis magnitudinis, quo vir laboraverat, adhuc dum conſervo. Omentum tuæ iconi & deſcriptioni maximam partem reſpondit, in utroque tamen cadavere plurimis omnino glandulis abundans, quarum nonnullæ cum liene quod ad colorem omnino conveniebat. Niſi me omnia fallunt, Lieutaud Te prævenit in deſcribenda portione omenti colica, cujus etiam meminiſſe videtur Winslovius in codice Mſpto, in quo ſexcenta deprehendi, quæ in libro impreſſo incaſſum quæras, maxime ſi uſum partium ſpectes. Cryſtallinæ lentis circulum Petito canal goderonné ou goudronné dictum facile reperiundum bis nuper demonſtravi.

Aſt vale & a me plurimum ſalve! Dabam Weiſſenfelſi XII. Martii MDCCXLIII.

245.

## H. D. GAUBIUS.

Nobilem Juvenem, tuum γραμματοφορον, ut vidi, amavi. Tantum apud me potuit ingenua illa modeſtia, quæ in facie ejus, imo in homine toto elucet. Optabam hinc a quovis alio potius, quam a Te, commendatum fuiſſe, ut quem non ſui, ſed Tui ſolius cauſa, amare mallem. Sed hoc habet: nec Tu, ſpero, ægre feres, cum in tanto etiam temporum locorumque intervallo ſupereſſe animorum noſtrorum conſenſum, certior inde, quantum apud me valeat tua commendatio. Quam benevolus miſiſti, Hiſtoria Stirpium Helveticarum tam grata & accepta mihi fuit, quam quod maxime. Utinam & huic & aliis, quibus me ad pudorem usque cumulaſti, donis par aliquando rependere poſſem! Stupeo ſane in omnibus diligentiam indefeſſam, judicio acri & ſummæ accurationi junctam, & dum quæ ego ab eo tempore, quo in publicum productus ſum, præſtare potui, Tuis comparo, immane diſcrimen nimis plus animadvertens pudore profecto ac triſtitia quadam adficior. Scilicet, ut divus Senex ait, φυσιος αντιπραττουσης κενεα παντα. Me αλλότρια ad delirium uſque delectant, ut, quæ juſſus ſum, tardiſſime, nec niſi repugnanter, faciam. Sic tempus tero, ſoli mihi, non

non publico, natus, nec infelix tamen, ſi cond'tiones, in quibus Providentia me collocavit, circumſpicio. Etenim anno 1726. ex itinere per Galliam, Helvetiam partemque Germaniæ redux, Amſtelædami per annum commoratus, Daventriam demum me contuli, Praxin medicam, a qua alieniſſimus eram, facturus: unde tamen ſub finem anni 1727. morbo epidemico per Belgium atrociter graſſante, revocatus ab amicis, Amſtelædamum redii, ac ſede ibi locata ſanandis ægris, ut potui, operam addixi; donec anno 1731. moleſtiſſimæ praxios tædium levaret oblatum Boerhaavii favore Lectoris Chemiæ in hac Academia munus: quo per triennium & quod excurrit functus, exeunte anno 1734. ordini Profeſſorum Medicinæ tandem adſcriptus ſum. Inde anno ſequente uxorem duxi Patrui, Practici Amſtelædamenſis, filiam, qua cum ſuavem ago vitam quatuor liberorum etiamnum ſuperſtitum pater. Exoptatiſſima Reipublicæ libertas, urbis, quam guſtaſti, amœnitas, Academiæ privilegia, annuorum ex munere & praxi redituum ſumma, frugali vitæ ſufficiens, dulciſſima conſuetudo paucorum amicorum, inter quos Junckerum, Royenum, Schultenſium & Hemſterhuſium numero, afflictæ patriæ memoriam fere delent, ut forte mea contento vix reliquum ſit, quod deſiderem. Quam vellem Tibi, Dulciſſime Hallere, meliora etiam merito, haud obtigiſſent injucundiora! Bohlium Regiomonti Profeſſoris dignitate nuper ornatum eſſe, dubio procul accepiſti. Ex quo is Amſtelædamo diſceſſit, nihil mihi cum eo, ut nec cum

Schreibero, commercii fuit: miſit tamen anno ſuperiore per Medicum quendam ſtudiorum cauſa huc profectum ſalutem & diſſertationem de Viis Chyli &c. Rumpfii Operum Tom. 3. & 4. ſcias nondum prodiiſſe, hinc negligentiæ culpa vacare Wishoffium: monui tamen, ut quam primum editi eſſent, ad Te mitteret; quod recepit. Denique ſi qua porro in re mea Tibi opera utilis eſſe poſſit, mandes velim liberrime, & fac, quæſo, ne, quam inchoaſti, literarum inter nos ſocietas mihi exoptatiſſima poſthac dirimatur aut frigeſcat. Vale, Vir Celeberrime, & me, ut amas, ama. Dedi Leidæ 17 $\frac{23}{3}$ 43.

246.

## JOH. GESNERUS.

De Itinere Helvetico Tibi firmiter conſtitutum eſſe impenſe lætor, ut ſpero valetudo me non impediet, me Tibi comitem per aliquam itineris partem adjungere, ſi quidem ea mihi, qualis jam per tres continuo annos mihi fuit, porro per DEI gratiam concedatur. Michelius nondum prodiit. Theatrum noſtrum Anatomicum pene defecerat ſub D. Abeggio, qui demonſtratoris vices agebat; quæ poſtmodum D. D. Lochmanno concreditæ fuerunt, ſed diem ſuum obiit, antequam opus inchoavit. Tandem ad me confugiebant, ut Præſidis officio hic fungerer, & bis per ſeptimanas ſingulas demonſtrationes inſtituerem, ſtipendium ad 40. Ludovicos aureos extendere volebant.

lebant. Sed valetudo, quæ præcipue hyberno tempore mihi parum firma, negotia, & amici diſſuadebant. Tandem Demonſtratoris munus D. D. Mejero concreditum fuit.

D. D. Lochmanni hæredes ſuppellectilem ſuam medicam vendiderunt. Ego inde amplam collectionem mineralium, petrefactorum, conchyliorum, plantarum, fructuum & ſeminum redemi, quæ a D. D. Muralto (cujus filiæ nupſerat) colligebatur. Catalogi a D. D. Scheuchzero conſcripti ſunt & cuncta nitide conſervata. Numerus plantarum ad 3000, foſſilium ad 1900, marinorum ad 700, fructuum ad 400. ſurgit. Multa ſunt, quibus collectionem meam augere potero, multa quæ ad Scheuchzeriana illuſtranda mihi ſervient, cum maxima pars ex Scheuchzerianis fuerit deprompta.

D. Cappeler hiſtoriam M. Pilati typis publicis exſcribere cupit, multa ibi habentur a ſe obſervata, ſed multo pars maxima ex variis collecta, quæ opus inſigniter augent.

Scribebam Tiguri d. 23. Martii 1743.

247.

## D. C. G. LUDWIG.

De reſtaurata ſanitate ex animo Tibi gratulor, gratulantur omnes, qui Te amant Waltherus & Platnerus noſtri. Ille morbum nimio tuo

ſtudio in rebus anatomicis adſcribebat; & ego Te nunc ejus nomine adhortor, ne inpoſterum ob nimiam diligentiam in rebus anatomicis ſanitati tuæ inſidias ſtruas. Jam rumor ad aures noſtras pervenerat, Te mortuum eſſe, ſed Treueri veſtri obitus hujus forte cauſa fuerat.

Commentarii Boerhaaviani IV. vol. avide expecto, nec non alia quæ pro tua in me benevolentia promittis. Audio tamen Cel. Weiſium, Prof. Altorfinum, novam editionem Commentarii tui in Boerhaavii inſtitutiones parare, quæ textu auctoris addito in quarto imprimitur. An Te concedente illud fiat, ſcire exopto, & neſcio an ſuas quoque meditationes potius quam obſervata addere velit, illis enim abundat, his non raro deſtituitur. Sed hæc inter nos. Albinianum Euſtachium Anatomicis exoptatiſſimum fore nullus dubito, ſed an Petrioli Romanus commentatoris vices explere queat, vix crediderim; audio quidem Morgagnium in adornando novo commentario in Euſtachii tabulas occupatum eſſe, qui labor ut Morgagni reliqua non ſine fructu eſſe poterit.

Garengeotus, ut ego quidem opinor, injurius eſt in Heiſterum, licet enim hic in Anatomicis cenſuram talem mereatur, cum boni Verheyni errores acrius quam par erat, perſtrinxerit, tamen Garengeotus, qui ſine Winslovio nunquam Anatomicus exſtitiſſet, is non eſt, qui cenſuram anatomicam impune exercere queat. Tu ſolus es inter

ter Germanos, qui audaciam Chirurgi illius refrenare poteris, & ſi per tempus licet, fac ut tuam ſentiat caſtigationem.

Nuperrime attento oculo fœtum quadrimeſtrem vel potius ejus ſecundinas examinavi, remota igitur ſpongioſa chorii lamina, quæ jam quodammodo dilacerata erat, alteram laminam, quæ concavæ placentæ parti reſpondebat, facile detegebam, quæ cum membrana amnios cohærebat. Contextus interpoſitus vix cellularis dici poterat, nam cum in alantoidem chorio & amnio interpoſitam, quam aliis in majoribus & partu perfecto enixis ſecundinis cognoveram, inquirere vellem, non niſi lamellas quasdam hinc inde deglubere poteram, integram vero ſeparare fruſtra tentavi; an allantois a quibusdam deſcripta in ..... (ſic) amnii præſens eſſet, non diſquirere poteram, liquor enim amnios putridus haud permittebat.

Cum itèr pares Islebiam, fac, quæſo, ut Lipſia Te videat, Waltherus & alii maximo cum deſiderio Te expectant. Quod ſi vero hoc impoſſibile ſit, Islebiæ vel Querfurti Te ſalutabo, niſi forſitan praxis clinica vel alia impedimenta haud præviſa me retinent. Collegia enim per aliquot dies differre poſſum.

Dabam Lipſiæ d. v. April. 1743.

248.

## D. LUDWIG.

Qui Tibi has literas tradit, eſt Dn. Zopf, Juvenis ornatiſſimus & Medicinæ cultor perinduſtrius. Annuum hic curſum tum in anatomicis, tum in botanicis me duce abſolvit, & ubique diligentiam haud vulgarem oſtendit. In utroque ſtudio Te duce majores adhuc progreſſus facere poterit, igitur patrio nutu ex ſcholis noſtris ſecedens, ejus deſideriis deeſſe non potui, ſed Tibi eundem maximopere commendo. Obſervavi in eo propenſionem quandam ad altiora ſtudia, quam, ſi Pater ejus, Medicus practicus, non ſupprimit, Præceptores facile ſuſcitare & altius evehere poſſunt. O quantum diſtat methodus addiſcendi medicinam a vero ſtudio. Intra triennium Medicum formare cupiunt, qui omnibus ſcientiis imbutus, jam de vita & ſanitate hominum judicare debet. Sed magis adhuc recedunt a vera medicinam tractandi methodo, qui in Academia nobis vicina intra biennium medicum formant, praxi exercendæ, ut credunt, aptum. Ego vero auditoribus meis ſemper oſtendo, quod aptiſſimum quoque ingenium vix intra quinquennium ad medicinam cum laude faciendam admitti poſſit. Sed ſurdis narratur fabula. Ignoſcas quæſo, quod dum Zopfium noſtrum Tibi commendem, ad aliud ductus fuerim. Vale & porro me ama. Dabam Lipſiæ d. x. Aprilis 1743.

249.

249.

## B. FELDMANN.

Benevolentia, qua me publice in Vol. IVto. Prælectionum proſequi non dedignatus es, omnem ſuperat expectationem. Tanti certe non eſt in Præceptorem ſervare pietatis officia, ut in diſcipulum inde redundare poſſet nominis aliqualis claritas; tanti vero eſt laudari publice a viro optimo celebratiſſimo, ut id Magnatum laudem longe excellat. Meo quidem functus ſum officio, non ſatisfeci, nomini Præceptoris id tantum reddidi, quod ab eo acceperam, nec levius huic diſcipulus offerre poteſt munuſculum. Tua ergo virtus & gratia magis celebrabitur benevolentia illa mihi publice præſtita ac mea pietas. Gaudeo tamen, quod debita Præceptori pietas & tua gratia ad ſplendorem Nominis Boerhaaviani & Halleriani meum inopinato aliquantum inclareſcere jubeat, idque grata memoria proſequor: aſt magis gaudeo, quod Numen ſupremum Te a morbo noviſſimo per Celeberr. Werlhofium liberare, & ſanitatem tuam reddere voluerit in incrementum artis ſalutaris, ubi jam ſcripta tua limatiſſima omnibus Philiatris ſitim accendunt reliquorum. Mox a morte Caſſebohmii noſtri dolebam invidioſum rei anatomicæ morbum tuum in novellis publicis indicatum, & verebar ne fatum Prælectionum Boerhaavianarum & animadverſionum tuarum complimentum addere Tibi interdicat, & Codices perirent. Aſt DEUS

ter

ter Optimus Te nobis reddidit, nec illas mancas eſſe, nec ab alio, qui labori huic impar eſſet, ſuppleri voluit. Hæ per Te jam optimam omnium quæ exſtant Phyſiologiæ doctrinam exhibent. Niſi vero Pathologiam cet. addideris, mancum eſſe hoc tuum opus plurimi notabunt, quod non Prælectionum in Phyſiologiam, ſed in Inſtitutiones rei medicæ titulum præ ſe fert; nec video quo titulo ea, quæ Præceptor ipſe in eodem Inſtitutionum volumine, in eodem Collegio conjunctim tradidit, ſejungere potueris; nec deerunt, qui novæ ſuæ harum Prælectionum editioni illegitimæ prærogativam aliquam acquirere conabuntur addendo illud ſupplementum, licet judicio, doctrina, diligentia & codicibus careant ſufficientibus. Adhæc non diffido Te communicaturum eſſe cum Publico cogitationes, quæ Tibi dum in ſexto Volumine parando verſaberis ſuppeditabunt. Dabam Neo-Ruppinis die 20. Maji 1743.

250.

## D. LUDWIG.

Nundinarum ſtrepitus, & negotia non magna, ſed multa reſponſorias ad litteras tuas humaniſſimas, hactenus prohibuerunt, expectabam etiam varia nova Tibi forſitan mittenda, ſed his ipſis nundinis magnus fuit rerum medicarum defectus, nihil certe habui quam Vol. IV. Commentarii & iconem ſplendidam Baſeos calvariæ, quos gratus accipio, & occaſione ita ferente aliqua

qua ex parte remunerari non intermittam. Si areas fimo ſubſtructo calefactas hortulanus tuus conſtruere poteſt ex arte, non differas impoſterum ſemina terræ committere circa finem Martii uſque ad medium Aprilis, ſi enim finem Aprilis vel initium Maji expectas, tenellæ plantæ ſæpius ſole exuruntur, & aliæ lentius creſcentes vix ſemina exhibent. Weiſii Altorfini editio Commentarii tui certe ſub prelo eſt, nil ille mutabit nec nomen ſuum addet, indicem tamen addet. Vol. I. abſolutum eſt, non tamen in publicum emittetur, quam Vol. II. abſoluto; ego jam per amicos ipſum certiorem feci, Te non probare ejus conſilium, titulus igitur non Altorfium, ſed vel Londinum vel aliam celebrem urbem in fronte geret. Botanicam in Moſcua negligi valde quidem doleo, illud erat Fiſcheri & Waltheri conſilium, ut Moſcuæ cultura plantarum ſuſciperetur, quæ certe ex celeberrimis Aſiæ Provinciis eo deferri poſſunt, commodiorem viam neſcio, & nunc neſcio ullam; ſed quomodo de rebus medicis & botanicis in ſpecie judicare poterit chirurgus, licet conſiliarii intimi dignitate ornatus? Ante hos tres dies inveni Tithymalum cypariſſium vulgarem illum florentem, & ſimul ex ejus radice propullulantem Eſulam ſic dictam degenerem Rivini; veriſſima igitur eſt obſervatio tua in plantis Helvetiæ. Vale. Dabam Lipſiæ d. XXIV. Maji 1743.

251.

251.

# JOAN. GEORG. GMELIN.

An, Vir Clariſſime, litteras meas acceperis, adhuc in Sibiria ex officinis ferri Alapaichenſibus ad Te ſcriptas, nondum intellexi; opto ſaltim, ut acceperis, magis opto, ut memoriam veteris amici in Te vel iis vel hiſce refricare liceat. Dudum reditum Petropolin Tibi nunciaſſem, niſi certiora tandem de Te ſcire perpetuo optaſſem. Novelliſtæ Hamburgenſes bis morbo graviſſimo Te decumbere nunciarant, alii inter mortuos collocarunt, quo certe durius nihil mihi contingere potuiſſet. Animo tamen tali ſum, ut vivus cum vivo loqui amem. Tandem Cel. Sanches ſpem optimam vitæ tuæ fecit, quam faxit Deus, ut ſit longiſſima & ſanitatis inconcuſſæ fructibus perpetuo dives. Salivam movit doctiſſimum tuum opus de ſtirpibus Helvetiæ, quod hoc ipſo die a Cl. Sanches ad perlegendum accepi; ſpero, me illo profuturum, cum totus in eo ſim, ut ſtirpes Sibiriæ in ordinem redigam. Audio de alio opere Botanico, quod prius edidiſti, continente itinera per ſylvam Hercyniam. Paulatim & fere præter opinionem incidi in lucubrationes (labores potius dicerem) botanicas; ut vel ea re, quæ & Tibi tantæ curæ eſt, amicitiæ veteris vinculum nullam relaxationem pati poſſit. O quam vellem hic Petropoli tali amico frui. Siegesbeckius nec primis labris Botanicen deguſtavit, nec quid ſcribant alii, nec ſe ipſum intelligit, contentus

ſolis

ſolis plantarum denominationibus, quas ſterile & doctrina orbum ingenium ipſi ſuggerit. Sic neminem habeo, quem in re dubia conſulam. Quin moroſitas hominis facit, ut me plurimum mecum contineam ejusque colloquia evitem. En primum ſcopulum, cui allidere iniquitas rerum noſtrarum juſſit, unde & impedior, ne deſiderio tuo, per Cl. Sanches mihi ante aliquot dies ſignificato, ſatisfacere penitus queam. Semina enim in horto Academico legere aut plantas ad exſiccandum decerpere, memoratæ circumſtantiæ vetant. Ne tamen, quod penes me eſt, detrectare Tibi videar, plantarum a me in Sibiria collectarum brevi faſciculum una cum ſeminibus ibidem lectis ad Te mittam, qua occaſione, dubia etiam quædam Tecum communicabo, quæ me de una & altera planta ſuſpenſum tenent. Miratus ſum opus Ammannianum, clanculum & me inſcio editum, tot mendis ſcatens, quot ſunt paginæ. Ne talia & mihi accidant, tua amicitia, ſi aſſentiris, cavebo. Vale, Amiciſſime Vir, & tua me porro amicitia dignum judica. Dabam Petropoli d. XVIII. Jun. CIↃ IↃCC XLIII.

252.

## CAROLUS LINNÆUS.

Diutius quam par fuit a literis ad Te, Amice colende, dandis abſtinui, exſpectans quotidie librum, quem præterito anno, mihi dono dabas; impatiens moræ juſſi Bibliopolas menſe Aprili

Aprili quocunque ære mihi librum comparare, ſed inde non levatus, exſpectabam librum fruſtra. Tandem tandemque ante triduum acceſſit ſplendidiſſimum & pretioſiſſimum donum, mihi omni auro magis gratum; gratias pro hocce opere ago habeoque, quas umquam poſſum devotiſſimas. Stupeo & vix poſſum intelligere, quomodo Tu, unicus homo queas ſcribere & elaborare tot opera propriis obſervationibus.

Dum video Te, ſtricto calamo, omnes & ſingulos Botanicos pro meritis punire, Tibi iterum grates agam, quod in me tam miti animo fuiſti, & ſingulari pro ſolito favore; video facile, quoties potuiſſes me caſtigare, ſi voluiſſes. Quod ad opus ipſum attinet, eſt certe immortale, propriis obſervationibus utpote totum quantum conſtans; utinam haberemus plures ejusmodi floras, eodem ſtudio elaboratas.

Liceat tua pace de his aliquid Tecum loqui, & nonnulla quærere.

p. 151. SALIX *ſtamina 3. frequentius quam duo*; quæſo notes numeros ſpecierum, in quibus hoc ſit; certe in nullis circa Upſaliam naſcentibus, excepta pentandra; forte apud vos variat magis quam apud nos; vel forte non noſtræ ſpecies. (*Triandra, etiam alba & vitellina.*

p. 343. Roſa & Rubus vix differunt ſtructura fructificationis, modo pulpa tegit ſemina Rubi, non Roſæ; ſi aperias fructum Roſæ, reperies

ries ſemina nuda intra calicem carnoſum ore contractum & idem omnino in Agrimonia, modo ſemina pauciora; ſi demas huic petala, habebis Alchimillam. Ego inſerui Alchimillam Potentillis & affinibus ob rationes ſequentes:

1. cum calyx quaſi duplicatis laciniis gaudeat.
2. cum receptaculum ſtaminum ſit ad marginem umbilici.
3. cum ſtylus oriatur non ex apice, ſed latere ſeu baſi germinis.
4. cum folia alterna ſcabra.

p. 364. *Oxys* aſſociatur Geraniis. Hoc certe omni jure, idque mutabo in meis fragmentis; a Te certe didici, ſic cæcutimus mortales; qui viderit umquam Gerania Africana, de hac veritate numquam dubitabit.

p. 388. *Alſine nona* ſtamina numeras 10. ſed piſtilla 3ia. quæſo adhuc examines; aut erit tua ſpecies alia a noſtra, aut habebit piſtilla 5. noſtra numquam variat.

p. 391. *Alſine* 20. *ſtamina quatuor*; omnino; hoc mutavi in altera editione.

p. 605. *De Fumaria bulboſa Ludwig de minuend. ſpec. plant. & Moehringius comment. Noric.* 1740. *hebd.* 6.

Lubenter ſcire vellem, quas rationes adducat poſterior, pro ſtabiliendis duabus ſpeciebus. Video radicem in altera cavam, & folia floralia integra, ſed & totius plantæ ſtructura eadem, etiam in minutiſſimis partibus fructificationis. Quæſo examines *Fumariam bulboſam radice non cavam minorem* C. B. quam feciſti varietatem ſecundam ſpeciei; hæc apud nos in omnibus ſylvis, at radix ſolida, & folia floralia ſemper integra, numquam diviſa; examina hanc, & dein dicas mentem tuam; mihi perinde erit, utrum tres ſpecies vel una aſſumatur, certe ad duas referre omnes has bulboſas non videtur. (*Ipſo flore differunt*).

p. 129. *Pilulariam* ejusdem ſpeciei facis cum Lente paluſtri quadrifolia, quod fuere ejusdem generis dudum novi; numquam quod ejusdem ſpeciei; an Stæhelinus in hac obſervatione omnino tutus; cur numquam Lenticula quadrifolia Pariſiis, ubi Pilularia frequentiſſima? (*Error* Stæhelini *fuit*).

In Fungis novum orbem detexiſti, demonſtraſti viam per hanc ſylvam, quam nullus ante intrare potuit certo tramite; & Dillenii & Michelii Fungi nulli ſunt; Hallero debemus omnia in his; opus immenſi laboris.

*Saxifraga petalis latiſſimis luteis lineatis Tab.* 8. hanc habemus in Suecia; pro Breyniana ſemper habui. (*Recte*).

*Aſtra-*

*Aſtragalus Tab.* 13. hunc reperi apud nos in Oelandia; omnes tuæ figuræ ſunt ſplendidiſſimæ.

*Betula nana* p. 158. mirum eſt, quod hanc reperiiſti in Helvetia. De hac diſſertationem academicam me præſide & autore habuit Dnus. Klaſe menſe Junii proxime præterlapſo. (*Paſſim in Helvetia provenit*).

Quæſo quænam ſit *Perſicaria acida Jungermanni?* (*Amphibia*).

Quomodo accipiam Stæhelini ſpecimina anatomica Botanica?

Hæc dum ſcribo, accedit collega meus Dnus. Archiater Roſen, & refert, Te menſe Aprili præterito humanis rebus valedixiſſe; hinc hæreo utrum literas mittam conſternatus & maxime anxius. Si pater aut uxor, aut unicus natus moreretur, non magis me afficeret. Si mortuus eſſes, non capio quomodo hæc mihi laterent ex actis literariis variis publicis. Spero meliora.

Utinam daretur aliqua occaſio mittendi libellos quosdam ſuecicos ad Te, lubenter hoc facerem.

Occupatus hodie ſum in transferendo familiam resque domusque in Hortum Academicum, & in ejus nova ædificia.

Nunc ultima pars Hybernaculi ædificatur, ut ſpero omnia ædificia cum hoc anno fore in Hor-

to abſoluta, ut queam proximo anno excurrere ad Gothos occidentales, quod iter diu meditatus ſum. Ad umbilicum perduxi animalia Regni Sueciæ, quæ proximo vere, volente Deo, typum ſubibunt.

Vale & me porro fave. Dabam Upſaliæ 1743. d. 18. Julii.

A Societate Regia Upſalienſi admonitus ſum indicare, quod obſervatio iſta, quam miſiſti anno 1732. circiter, perierit incuria Secretarii vicarii tum temporis abſente Andrea Celſio, & quod Societas noſtra maxime exoptaret a Te obſervationem aliquam pro ſuis Actis, qui ditior obſervationibus es, quam ullus alius medicus.

Incluſas, quæſo, mittas ad D. Mœhringium, neſcio qui ſit, ut numquam reſponſorias ab eo accipiam.

253.

## JOH. GESNERUS.

Has reſponſorias, quas jam ante hos tres menſes deſtinaveram, Hegneri mei iter retardavit; cogitabat enim circa initium Maji Göttingam proficiſci, ita ut tuto & cito per eum literas ad Te ferri poſſe exiſtimarim; verum ejus Tutor plurima ipſi negotia & lites, quibus ipſum ad hanc usque diem detinet, excitavit, ita tandem ut cum parentibus orbus ſit, adminiſtrationem

nem rerum ſuarum ſua ſponte Fratri tradiderit, homini humaniſſimo, & cum quo fraterno amore intime junctus eſt. His expeditis iter ſuum hac ipſa ſeptimana aggredietur, cui & literas tradendas dabo, & faſciculum 100. circiter plantarum, quæ mihi in herbario Muraltiano ex rarioribus viſæ ſunt; tum etiam ciſtulam lithophytis repletam, in quibus opto, ut aliquid Tibi gratum invenias. Sunt hæ, quas ſaltem ex aliquot plantarum claſſibus ſeligere per tempus licebit, proxima occaſione plures additurus.

Nunc accedo ad ipſas literas tuas, in quibus mihi moleſtum erat intelligere, Te ex morbo exanthematico graviter decubuiſſe. DEO O. M. ſint infinitæ laudes & gratiæ, qui Te ex tanto periculo liberavit, & Tibi ac Tuis & Reipublicæ Literariæ rurſus incolumem reſtituit, is Te porro clementer conſervet. Ego quidem per aliquot annos per DEI gratiam ſine gravium morborum acceſſu vixi, ſed raro ſine incommodis, quæ ſtatim ex mutata tempeſtate & perſpiratione impedita percipio, & quæ potiſſimum ſtricturas præcordiorum & vaga exanthemata producunt. In utraque epiſtola tua mentionem facis de recenſione ſtirpium helveticarum, utrum de hac cogitem. Velim Te explices, quid cum hoc velis, & promptiſſimus reſpondebo. Ex nundinis Lipſienſibus præter ſemina pro D. Ottio (qui cum plurima ſalute Tibi gratias agit) eruditiſſimi tui commentarii Tom. IV. cum egregiis diſſertationibus & Zumbachii planetilabio ex munifi-

centia tua accepi, quæ tua in me benefacta aliqua ratione reddere vehementer cuperem, verum dum novis perpetuo me beneficiis cumulas, nihil mihi præter gratum animum reliquum eſt.

Ex alpibus plane nihil novi habeo; præterito anno D. Sulzerus V. D. M. & Botanices ac Philoſophiæ admodum peritus ex meo conſilio cum D. Hirzelio Med. Studioſ. in Alpes Lucernenſes & Rhæticas profectus eſt, ſed acuta febri in itinere correptus pauca admodum præſtitit, neque unica rara planta allata fuit. Siccas quidem ſat copioſas habeo, nullas vero quibus non ſis inſtructus, niſi éas pro amicis velis. Proximis diebus Affinem meum D. Eſcherum Præfectum Knonavienſem adibo, ibi uſurus Acidulis, unde, niſi id neget ſanitas, in proximum montem Regium & Fractum proficiſcar, plantas in hortum meum translaturus, in quo quæ ex tua liberalitate accepi, pulcherrime efflorefcunt. Neque enim diſſimulare poſſum veterem Botanices amorem plane apud me reviviſcere, poſtquam ex eruditiſſima & judicio & experientia tota plena Hiſtoria tua nova rei herbariæ lux illuxit. Quanto vero gratius erit & hæc & veteres noſtros amores Tecum coram recolere, quando tua in patria exoptatiſſima præſentia lætabimur! Te plurimum ſalutat D. Bodmerus, & Tibi commendat Eruditiſſ. Mathem. D. Sam. König veſtratem, qui otioſæ vitæ pertæſus in Academia quadam Mathematica aut Philoſophica publice docere cuperet; & certo ſcio eum cum laude & fructu hoc facturum, cum in hoc

hoc genere ſcientiarum ſit exercitatiſſimus. Ipſe quidem de ea re nihil ad me ſcripſit, quamvis literas aliquando ab ipſo acceperim. D. Stæhelinus prorſus ſilet. Vale & me veteri amore proſequi porro perge.

Dabam raptim Tiguri 1743. d. 22. Jul.

254.

## J. F. SCHREIBER.

Quamquam d. 8. Martii hujus anni nonnihil literarum ad Te dederim; periiſſe illas jam puto, dum reſponſionem ad illas abs Te non tulerim: vel illud ſilentium tuum adſcripſerim graviſſimo morbo, quem tamen viciſti, auxilio feliciſſimi atque Illuſtris Werlhofi. Hic omnes boni, qui Te norunt, luxerunt illam valetudinem tuam, quæ diu non emendari poſſe videbatur. Tanto luctui noſtro ſucceſſit par gaudium, dum ſanitatem Te rurſum recepiſſe, undique confirmamur. Sis diu ſoſpes ſcientiarum præclarum decus, atque, nimium lucubrando, ne corpus tuum exhaurias ac enerves.

Obſervationes & cogitata mea de peſte, quæ in Ukrainia an. 1738. & 1739. graſſata eſt, ad Te diu jam miſi. Scriptum hoc multum correxi ac novis argumentis amplificavi, dein auxi obſervationibus de peſte, quæ, iisdem annis, Odzakovium vaſtavit. Hanc alteram editionem illius ſcripti perfectam habeo. Legiſti, opinor,

& Tu illud: gratiſſimum foret, ſi tua vel aliorum, quæ reſcire potuiſti, dubia, ad me reſcriberes, ut inter poliendum, eo mentem meam defigere poſſim. Experimentum quod hic cepi cum lithontriptico J. Stephens, non ſucceſſit. Anatomen hominis, figurasque calculi rari, integri & diſſecti, forma Diſſ. epiſtolaris ad Te mittere decrevi, quod amico tuo non recuſabis. Typorum ac chartæ Gottingenſis elegantia me moverunt, ut ambo illa ſcripta apud Vos imprimi optem: fateor tamen, valde diſplicere chartæ veſtræ parvitatem. Scriptum de peſte forte decem plagulas explebit. Adeoque reſponſum ad hæc exſpecto, poſtea conaturus, ut illa manu ſcripta ad Te certo pervenire queant. Academia Scientiarum hic eſt in ſummis anguſtiis: & ſtudia jacent: ipſeque nunc alia cogitatione animum meum demulcere non poſſum, quam optando, ut alicubi in Academia Theoreticæ ac Medicinæ Profeſſor conſtitui poſſem. Deus providebit. Horis ſubſecivis lego aliorum libros: atque pergo in elaborando Almageſto meo Medico, ubi connecto propoſitiones, obſervationibus ac experimentis innixas, fere eum in modum, uti Muſchenbrockii elementa Phyſices conſcripta ſunt. Denique ut mei ſemper memor ſis, atque aliquas lineas reſponſionis loco mihi transſcribas, oro. Vale ac fave. D. 23. Julii 1743. Petropoli.

255.

255.

## A. RIBEYRO SANCHES.

Quia prævideram litteris tuis, quam una cum libris a Bibliopola Hamburgenſi ad me miſſis, non niſi ſub initium hujus anni accepi, me tam cito, quam quidem vellem, atque deberem, reſpondere non poſſe, a Clariſſimis Viris meique Amantiſſimis Gmelino, & Schreibero ſæpenumero petii, ut quum ad Te, Perilluſtris Vir, litteras darent, me Tibi commendare, & ob valetudinis gravitatem, negotiaque aſſidua excuſare etiam vellent: quod ob conſtantem eorum in me propenſumque animum inducor credere, prout optaveram factum fuiſſe: enimvero annus fere eſt, ex quo ita freqaentibus morbi hypochondriaci inſultibus corripior, ut vix mihi conſtantia, vix animi firmitas ſit ad paginam unam legendam, ne dum ſcribendam; & niſi aliunde cognoſſem tam dirum morbum variis placari lenirique auxiliis poſſe, de recuperanda valetudine prorſus deſperarem. Sed ne querelis hypochondriacorum Te vexem, ad gratias, quas Tibi agendas habeo, opportunius me convertam: ago quidem certe plurimas de opere, quod de Plantis miſiſti tuum, mehercle multis nominibus egregium. Maximas equidem ob conciliatam mihi a Te eminentis doctrinæ Viri Jo. Mathiæ Gesneri benevolentiam, quam is mihi per epiſtolam ad me miſſam, una cum libris, quos edidit, teſtatus eſt. Hoc tam propenſo tuo in me

animo officioſaque Celeberrimi Gesneri humanitate ita afficior, ut in referenda utrique veſtrum gratia parem me Vobis præſtare vehementer optem. Ideo majorem in modum a Te peto obſecroque, ut mihi aperte indices, ſimpliciterque ſignifices ea, quæ in hoc Imperio Tibi vel Celeberrimo Gesnero uſui eſſe poſſint, quo facto intelligetis me veſtri oblectandi, devinciendique cauſa nullam omiſſurum eſſe occaſionem.

Cognoſces aliquando non mea culpa accidere, quod Commentaria Petropolitana & Thermometrum alterum Tibi non citius mittantur. Epiſtolam cum faſciculo ſeminum plantarum, quam ſuperiori anno ad me miſiſti, D. Gerbero, ut traderetur, quam primum curavi; & reſponſum, quod paucis ante ejus obitum diebus dedit, Celeberrimo Gmelino tradidi, ut Tibi mitteret; & quamvis immaturam ejus mortem doleam, jam minus acerba mihi ejus memoria eſt, poſtquam a Celeberr. Gmelino cognovi illa, quæ ex Siberia adportavit ad naturalem hiſtoriam ſpectantia, libenter Tecum communicare velle.

Gratiſſima mihi fuit notitia, quam mihi dediſti librorum in Anglia editorum. Jam Bibliopola VerBeek Leydenſis IV. Commentariorum tuorum tomum, quem vehementer cupio evolvere, ad me mittere parat, quemadmodum I. tomum Academiæ Chirurgorum Pariſiis inſtitutæ.

Quia Lectionum a Magno Boerhaave publice habitarum, præſertim de Lue Venerea, & de Morbis

Morbis Nervorum, olim auditor fui, vellem adhuc non ſolum has cognoſcere, ſed etiam reliquas a Magno Viro eodem modo habitas: quare a Te, Perilluſtris Vir, peto ut, ſi (quod vereor) alia majoris momenti negotia non obſtent, quamprimum tua opera opus per ſe jam egregium publici juris facias, & nobis, qui curam morborum pluris ducimus ne invideas.

Non mitterem Tibi litteras tam incomptas, niſi humanitate tua ſingulari fretum eſſem; ſed malo gratus acceptusque eſſe, quam facundus Tibi videri.

Vale, Vir Magnifice & Perilluſtris, & me amare devincereque perge. Dabam Petropoli, d. 2. Auguſti 1743.

## 256.

## D. LUDWIG.

Dum reſponſorias ad priores literas menſe Jul. traditas paro, en alias accipio gratiſſimas literas, quare nunc ad utrasque reſpondeo. Poëmata tua ad nos miſſa & Societati dedi, & alterum bibliothecæ meæ addidi, grates igitur tum Societatis tum meo nomine perſolvo. Fimum in hybernacula inferre plantis exitioſum ſæpius, habere vero tepidarium, fimo ſubſtrato calefactum, omnino neceſſarium eſt in plantis quibusdam urgendis, ſed accuratam hortulani requirit attentionem; vernali tandem tempore areis fimo ſubſtrato

ſtrato calefactis, immittere plantas exoticas annuas omnino neceſſarium eſt, quo menſe Aprili ſatæ, Auguſto tandem menſe vel Septembri matura ſemina præbeant. De his multa Tecum coram agere vellem, quæ crebra obſervatione didici, hic vero non poſſum. Cum Iſlebiam non venias, ego quoque conſilium mutavi, & cras Freybergam petam, quo in mineralogia nonnulla diſquiram, & poſtea Dresdam, quo in Regio apparatu rerum naturalium nonnulla ad materiam medicam pertinentia examinem.

Facile concedo Te Cardaminem pinnis laciniatis apetalam inveniſſe, ſed forſitan luſus naturæ fuit. (*Impatiens rariſſime petala profert*). Ranunculus folio inferiori ſubrotundo, per plures annos in horto noſtro apetalos floruit, inveni eundem ſæpius in pratis uno vel altero tantum petalo præditum, ſed luxuriant ſæpius ſtamina; jam per aliquot annos Plantago anguſtifolia ſine ſtaminibus floret, habet tamen ſtylos & fructum. Virga aurea latiſolia ibidem floſculos ex meris ſquamulis calycinis conglomeratos, ſine floſculis, ſtaminibus & piſtillis, habuit, videbo an proximo anno hic florendi modus per transplantationem mutetur. Tales & plures alias varietates ſeu potius naturæ luſus invenio, ita ut vix rationem mutationis hariolari queam. De arteria maxillari tuas expecto obſervationes & icones, nolo probare Günzii ſcriptum, nam ex illis eſt, qui ipſi ſapientes aliorum ſcriptum contemnunt, & ſi cenſura tua dignus eſt, fac ut ſentiat, quanta

ta cura in diſquirendis corporis humani partibus adhibenda ſit, antequam alios perſtringere velimus. Talia certe ſcripta honori tuo & diligentiæ continuandæ nil detrahunt.

Hac hyeme non niſi chymica tractare volui, ſed oblata mihi fuerunt Collectanea de terris ſigillatis beati noſtri Rivini, quorum editionem parare ſuſcipio, ita tamen ut hoc argumentum de terris amplius pertractem. Si aliqua ex parte conſilio tuo mihi adeſſe poſſes, vel collectanea quædam de terris Helvetiæ mittere poſſes, maximum mihi præſtares beneficium. Vale meque ut ſoles ama. Dabam Lipſiæ, d. 7. Aug. 1743.

257.

## JOH. GEORG. GMELIN.

Occaſione per Cel. D. Sanches oblata, non poſſum non, quin litteras haſce exarem, non ut negotia tua turbem, non ut de re gravi & magni momenti Tecum loquar, ſed ne occaſionem ullam prætermittam, qua obſequium Tibi meum & cultum & voluntatem teſter. Avide tuas hic exſpectamus litteras Sanches, Schreiberus & ego; nam omnes Tibi addicti ſumus. Erravi, quando nuper ſcripſi, Jacobæoiden Siegesb. floſculis hermaphroditis apetalis totam conflatam eſſe. Parvitas partium errorem generavit. Diſcus conſtat floſculis hermaphroditis, tubuloſis, ſupernis in quinque partes ſectis, radii floſculis ligulatis femellis.

mellis. Video jam, generi Erigeri melius accenſeri.

Semina plantarum mittam proxime Dantiſcum, ad Te ulterius transmittenda. Suadeo enim, ut ſub autumni tempus terræ mandes, quæ nimirum vere ſequente multo lætius germinabunt, ac ſi vere demum mandares. (*Non ſucceſſit*). Iter tuum Hercynicum & reliqua botanica ſcripta, inprimis de Pedicularibus, præter jam nominata, videre quam maxime aveo.

Vales, Vir Celeberrime, & porro amore tuo & benevolentia dignare &c. Dabam Petropoli, d. 13. Aug. 1743.

## 258.

## J. G. GMELIN.

Epiſtolam tuam d. 4. hujus menſis accepi, gratias agens maximas, quod petitionem meam in transmittendo opere botanico prævenisti. Nihil tamen accepi, cujus cauſſa ſine dubio in caſſa Academiæ noſtræ fide fundata eſt, propter quam bibliopola Lipſienſis publica Magiſtratus Lubecenſis autoritate fultus libros Academicos, qui Lubeca huc transmittendi erant, retinuit. Noſter bibliopola de tuo libro & de catalogo horti tui nihil omnino referre poteſt. Igitur rogo, ut transmittenda ad me ſcripta meo nomini inſcribere, & ſingulariter nautæ tradere jubeas, ut primo vere ad me pervenire poſſint.

Sieges-

Siegesbeckius de tuo judicio nihil plane compertum habet, adeoque ſemina ab illo accipies. Etiam ego faſciculum ſeminum & plantarum Sibiriæ ad Te miſi. De ſeminibus id ſcias, melius ante gelu hiemale terræ mandari, quam vere, ſolicitamque Sibiricas plantas culturam non ferre. De plantis tuis alpinis aliquas videre geſtio. Acceptiſſimam heri relationem (quam rogo ut ad aliquod tempus ſilentio premas) Kamtſchatka accepimus, Stellerum propter hiſtoriam naturalem cum primo Capitaneo Beringo in Americam miſſum, ſuperiori anno Kamtſchatkam rediiſſe. Multa certe ab hoc homine, omnino indefeſſo & botanices perquam perito, expectanda ſunt.

Scripta Gerberi, quo abierint, me latet, nec de ſcriptis ejus poſthumis hic locorum aliquid notum eſt. A Siegesbeckio accepi, Gerberum æſtate ſuperioris anni ad ſe Floram Moſcuenſem ad perluſtrandum transmiſiſſe, ſeque brevi ante mortem Gerbero reddidiſſe. (*Ad* Hallerum *is codex venit*). In Cancellaria Medica nihil ſervatur. Vidua Gerberi hic in urbe degit, quam autem videre nondum licuit. Curabo tamen, ut quomodocunque notitiam Tibi comparem.

De bene acta amici mei cauſſa gratias Tibi ſummas habemus, amicus & ego. Pappelbaum dicitur & Chirurgi munus in Collegio nobilium ſuſtinet. Pecunias deſideratas brevi & diſſertationem ſub medium Octobris mittet. Quæ de ejus profectibus ſcripſi, veriſſima eſſe perſuaſus ſis.

ſis. Nullo modo Facultati veſtræ dedecori cedet, quando virum ſcientia pollentem honoribus doctoralibus condecorabitis. Habentur certe Doctores Medici, ſcientia multum inferiores. Ille tamen amicus meus hic diu adhuc morari non optat, in patriam redire cupiens, quo in propoſito ne impediatur (nam diſceſſus abhinc non ſine difficultate paratur) rogat, ne ad reliquos tuos amicos, qui hic degunt, præter D. Sanches ea de re ſcribas, aut imprimendam ejus diſſertationem huc transmittas.

Literas D. Schreibero tradidi. Is jam totus in eo eſt, ut diſſertationem de peſte poſterioribus lucubrationibus auctam & emendatam ſiſtat.

Benigniſſima ſors diu jam in patriam me revocavit, & patientia opus eſt.

Adjectam ſchedam amicus tradidit, celeberrimo Geſnero, cujus eruditionem ille veneratur, per Te exhibendam. Si celeberrimus Vir cogitationes ſuper hæc dubia cum illo communicare dignabitur, ſibi ille de hoc quam maxime gratulabitur & plura mittet. Vale, & me porro ama. Dabam Petropoli, d. x. Sept. cIↃ IↃCC XLIII.

259.

## P. H. G. MOEHRING.

Injurius ſane in Te tuamque amicitiam videri poſſem, ſi longius reſponſorias meas differrem. Sed qui antea ſine Jeveranarum enumeratione ſtirpium,

pium, & ſiccis marinarum exemplaribus comparare coram Te nolui, jam id ipſum facere, moleſtia conditionis meæ hodienæ cogor. Redux namque poſt quadrimeſtre ſpatium Serveſta, tot heic inveni in re medica, atque domeſtica labores, ut per omne hocce tempus omne litterarum commercium abrumpendum mihi fuerit. Jamque Sereniſſima noſtra Familia Serveſtana heic ab integro menſe eſt, homagii ſuſcipiendi cauſſa; quæ res multum mihi impedimenti ſuperaddit, quoniam integras quotidie horas in aula verſari debeo.

Sed quod omnes meas curas plane abripuit, fuere & adhuc ſunt ſponſalia cum virgine Juliana Damm, JCti Embdani filia, nuperrime celebrata, nuptiis in Octobris finem dilatis. Quoties ego eas lego, quas Doris tua atque Mariana poſſedit animi dotes, pulcra tua carmina Julianam meam depingere mihi videor. Adeo magnam inter utriusque, corporis & animi, indolem invenio ſimilitudinem. Et ſumme delectatur ſponſa mea poëſi tua germanica, & magnopere gaviſa eſt, quum ipſi dicerem, favore tuo ac amore me frui, & ſalutem Tibi officioſiſſimam ſuo nomine offerrem, candide voluit.

Vides itaque, quantum quamque diverſimode diſtrahar. Neque tamen credas velim, ideo me longiorem valde moram adhuc expoſcere, quia poſt nuptias confeſtim ad omnia promiſſa celeriter expedienda, me certo adcingam.

 Litteras

Litteras tuas una cum Linnæanis adcepi. Urget ille reſponſum meum, & ſemina poſcit; quæ auctumno hoc forte mittere potero. Sed avide exſpecto tuum horti indicem, & ſemina inde petenda jam auguror. Examinavi curate Hydrocharin atque Stratioten; Atriplicem maritimam, vix cognitam, detexi; & unicum exemplar Dortmannæ Rudb. foliis bilocularibus intus fiſtuloſis heic ante menſem vidi. Sparganio ramoſo & non ramoſo nulla intercedit ſpecierum adfinitas: quæ omnia dicto tempore latius Tibi mittam.

Herbarii Rumphiani Amboinenſis tertius & quartus Tomus adlati ſunt, cum Linnæi Oratione inaugurali & Browallii Epicriſi & Gesneri tui diſſertationibus pulcris de phyſiologia plantarum. Rumphii quoque de teſtaceis opus elapſo anno denuo impreſſum eſſe, vix ignorabis. Icones in hac editione parum vel nihil obſcuriores, quam in prima de A. 1705. cognovi.

Bonas Bourgueti operas dans l'hiſtoire des petrifications rudiſſimis petrefactorum figuris deformatas doleo.

Amicas tuas reſponſorias exſpecto, ut videam, num condonare longæ meæ moræ velis. Sera jam veſpera eſt, & ſummo mane craſtino una cum Principibus Sereniſſimis Auricam ad aulam Principis Friſiæ Orientalis proficiſci jubeor. Hinc favori tuo me commendans, rivulos claudo. Vale, Vir Candidiſſime. Jeveræ, a. d. 16. Sept. 1743.

260.

260.

## J. G. GMELIN.

Promiſſis ſtaturus, quæ in ultimis meis, decimo ſuperioris menſis exaratis, feci, mitto ſpecimen amici mei, quo honores Doctoris ambit. In Te & ille & ego unice fiduciam noſtram collocamus, quod res iſta brevi peragetur. Si transmiſſæ pecuniæ expenſarum faciendarum calculum ſuperent, expende quæſo de tuis pecuniis, & certus ſis, amicum meum, quamprimum notitiam mihi impertiveris, promptiſſime repenſurum eſſe. Quod in ultimis meis litteris nomine amici rogavi, ne de re iſta huc Petropolin, niſi forte ad D. Sanches, ſcribas, repeto. Eadem de cauſſa enixe peto, ſi quidem fieri poteſt, ne diſſertatio ante Martium menſem ſequentis anni bibliopolæ vendenda concedatur, ne qua via ad illud uſque tempus huc pervenire poſſit. Prudentia rebus ſic hic ſtantibus ſuadet, ut ille meus amicus propoſitum in patriam redeundi quavis ratione celet. Permiſſio penitus abhinc exeundi difficulter impetratur, at ad tempus valetudinis curandæ cauſſa conceditur. Viam poſteriorem ſequi, illi animus eſt, quo in propoſito obex poni poſſet, ſi res hæc in vulgus emanaret. Scribo cordate & bona fide totius rei nexum, ne aliquem dolum ſubeſſe ſuſpiceris. Diſſertationis duo exempla rogo, ut quamprimum impreſſa erunt, una cum diplomate per curſorem publicum ad me mittas; viginti quatuor autem exempla data oc-

 caſione

caſione cures Dantiſcum ad primum reipublicæ Secretarium Kleinium transferri, quo illa Februario menſe eo perveniant, cum litteris ad Kleinium, ut ille de faſciculo ad ſe miſſo litteris me certiorem faciat, nec antea mittat, antequam reſponſorias de me acceperit.

D. Sanches de tua erga ſe voluntate aliquantiſper dubitat. Ante quatuor dies ad me litteras dedit, in quibus hæc ſcribit: „ Je vous prie de „ me donner des nouvelles de Mr. Haller. Je „ ne ſçais pas, s'il eſt faché contre moi; Il a „ un peu raiſon, pendant qu'il ne ſaura, que je „ le venere & que je lui dois envoyer quelque „ choſe, pour entretenir notre correſpondence. „ Envoyez-moi dire, je vous prie, s'il vous a „ parlé de moi". Reſponſum dedi, Te litteras a ſe miſſas eo tempore, dum ad me ſcriberes, nondum accepiſſe, nec ergo earum mentionem facere potuiſſe, ſperare autem me de indole tua & moribus, quod eum in pectore geras, licet muneribus nunquam provocatus eſſes. Ad quod ille: „ Je ſuis bien perſuadé du ſçavoir de Mr. „ Haller, qu'il aura meilleure opinion de moi à „ ſon égard, que je n'en ai pas penſé. Si j'ai „ voulu lui (comme je fais intention) faire un „ préſent, c'eſt été dans l'intention de lui don„ ner une marque de mon attachement. Je vous „ prie, de l'aſſurer de mes humbles complimens, „ priés-le de publier Lectiones publicas habitas a „ Boerhaave, potiſſimum de morbis nervorum „ cum notis". Ut in emolumentum & ſolatium publici

publici hoc facias, omnes boni contendunt, quorum ego haud poſtremus ſum. Incluſas litteras ut per primum curſorem Berolinum ferre cures, admodum peto. Vale & me amore tuo porro complectere. Dabam Petropoli, d. xv. Octobr. CIƆ IƆCC XLIII.

261.

## J. F. SCHREIBER.

Litteræ tuæ d. 26. Auguſti hujus anni ſcriptæ, multo me adfecerunt gaudio, quod ſanitatem receperis. DEUS Tibi illam conſervet longiſſime. Quæ ad me Te miſiſſe memoras, ea omnia non adcepi: nec novi, ubi lateant. Auſus ſum, ad Te transmittere epiſtolam de lithontriptico Anglico, una cum figura calculi exemti, non docte, ſed prout inter familiares decet, ſcriptam. Si Tibi ibi nihil probabitur, ſaltem probabitur adfectus ſingularis, quo animus meus in Te fertur. Niſi Tu illam rejeceris, quod ſi inſperato es facturus, illam mihi remittes, trades ipſam, meo nomine, Bibliopolæ veſtro imprimendam, quod hunc non recuſaturum arbitror, atque rogabis ipſum, ut mihi exemplorum aliquem numerum largiatur, quod tu facile perficies. Præcipuum exemplar ſumes ipſe, Optume Haller, tamquam a Schreibero tuo oblatum: &, meo nomine, facies transmitti exemplaria ad Werlhofium, Trew, Wagnerum Lubecæ, Hahnium & Tralles Uratislaviæ, Menckenium &

Waltherum Lipſiæ; Ellerum, Buddeum, ac Ill. de Vockerodt, a conſiliis ſecretis Regis, Berolinum. Reliqua exemplaria, ſed in charta magna impreſſa, ad me ut mittantur, operam dabit Inſignis veſter Bibliopola, quem multum ſaluto. De correctione opuſculi, dum imprimetur, nihil opus eſt, ut moneam. Forte quoque Tibi occaſio aderit nuntiandi, an receperis ſcriptulum, & quid ipſocum ſis acturus. Scriptum meum de Peſte nondum dedi exſcribendum typis . . . . Plures Medici hic loci me rogarunt, ut Tibi exponam ſumma ipſorum deſideria recipiundi ad finem Commentariorum in H. Boerhaave ſufficientem indicem Auctorum, & editionum, quibus es uſus: nec non rerum, præcipue in notis tuis contentarum, quum ille liber ita infinities futurus ſit utilior: nec non videndi a Te edi lectiones publicas Præceptoris, quot & quas habes: quia certe omnis ſpes videtur amputata, illa ab aliis, vel etiam propinquis, hic impreſſa videri. Illud non niſi ægre fero, quod ultimo tuo Tomo ſis negaturus notas tuas: ſaltim, precor, ut addas venenorum hiſtoriam, quæ certe illis omnium digniſſima mihi videtur.

Novi, quod hic perſcribere poſſim, nil habeo. Ex Academia Petropolitana diu jam nihil impreſſum exiit in publicum. DD. Sanchés Te multum ſalutat. Vale, meque amare perge. D. Petropoli d. 19. Octobr. 1743.

262.

## J. G. GMELIN.

Ante ſeptimanam ſpecimen miſi amici mei, qui Tibi ſe de meliori commendat. Quoniam finem ejus ſpeciminis feſtinanter admodum tum componendo tum deſcribendo exaravit, aliquot errores irrepſerunt, quorum in ſchedula adjecta ſyllogen dedit, exoptans, ut corrigantur, antequam ſpecimen imprimendum detur. Ex Te porro quærit, annon diploma ad ſe mitti poſſit, antequam diſſertatio imprimatur? Secum enim reputans, hoc ſpecimen propter facultatem Medicam Gottingenſem tantum exaratum eſſe, quo illa habeat, quo collatos honores contra plebem vindicet, facile ejuſmodi dilationem concedi poſſe autumat. Atqui hoc ſibi maxime ex animo contingeret, qua omnis occaſio, qua res cito innoteſcere poſſet, hac unica cautela præſcinderetur. Quod ſi ergo impreſſio ſpeciminis in initium usque Martii menſis retardari poſſet, rem amico meo gratiſſimam præſtares. Si autem forte typographus, advolantibus hiſce litteris, impreſſionis jam initium fecit, annon ad tempus ſuſpendi poteſt? Pro hac ſuſpenſione amicus typographo æquam reſtitutionem offert, ab ipſo typographo ſtatuendam & expoſcendam. Si denique hæc omnia ſuccedere nequeunt, tertium ſupererit conſilium, de quo in ſuperioribus meis litteris ſcripſi. Interim Tibi omnia relinquimus, dum circumſtantiæ Gottingenſes Tibi omnium optime

notæ ſunt. Nam forte hæc quæcunque poſtulata legibus veſtris repugnant, quo in caſu libere facias, uti fieri poteſt. D. Schreiberus heri mecum fuit, & retulit, ſe die xix. hujus menſis diſſertationem epiſtolarem Tibi inſcriptam per mare Lubecam ad D. Wagnerum miſiſſe, ad Te ulterius mittendam, ſi quidem comperierit Wagnerus, Te Gottingæ adhuc morari, retinendam autem & Lubecæ imprimendam, ſi aliquo diſceſſeris: continere illam diſſertationem obſervationes permultas circa remedium lithontripticum virginis Stevens inſtitutas, ex quibus palam fiat, illud remedium non tantum non utile, ſed nocivum eſſe. Scripto calculum veſicæ raræ conformationis in natura adjecit. Cæterum optat, ne Tibi hæc diſpliceant, plurimaque Te ſalute impertit. De Gerberi ſcriptis nihil adhuc comperio. Certum eſt, nullum apud viduam reliquum eſſe. In Cancellaria Medica audio ſupereſſe indicem tri an pentaglotton variorum Ruſſiæ vegetabilium, de quo autem Excell. ejus Cancellariæ Præſidem nondum compellare licuit. Faciam tamen, ut ſaltim ejus videndi copia fiat. Flora Moſcuenſis neſcio quo diſtracta eſt. Præter hæc duo manuſcripta nullum extitiſſe a multis audivi. Forte a Chirurgis poſterius ſcriptum repeti poterit, nec ego hac in re operæ parcam. Herbarium vivum apud viduam ſupereſt, omnes plantas continens, quas Gerberus in peregrinationibus ſuis Ruſſicis & circa Moſcuam urbem collegit, cujus herbarii etiam index exſtat, induſtria ipſius Gerberi concinnatus. Magnam pecuniæ

niæ vim vidua pro herbario hoc exigit, de quo olim plura ſcribam, quando facultatem & tempus obtinuero, illud perluſtrandi. Vale, Vir Doctiſſime, & iterum vale. Dabam Petropoli, d. XXII. Octobr. CIƆ IƆCC XXXXIII.

263.

## D. LUDWIG.

ET ante nundinas & ipſis his nundinis varia accepi gratiſſima, inprimis Catalogum Horti veſtri inſtructiſſimi. Addidi ſcriptum Gleditſchii de Fuco molli, qui cum Aurantio marino Marſiglii convenit. Et ego nuperis diebus in piſcina quadam ſpongiophytum ramoſum inveni, quod magnitudine multum ſuperabat illud, quod a Ruppio deſcribitur, de reliquo vero cum eodem convenire videtur. Aptiſſimus eſt locus ad obſervationem vegetationis ſucceſſivæ, quam ſi obſervavero deſcribam cuncta, ut Gleditſchio, cum quo in quibusdam diſſentio, reſpondeam. Addo his liberis partem hujus ſpongiophyti, ut naturam & ſtructuram perluſtrare poſſis, mittam vero ramulum, ſi hæc planta in oris maritimis ſæpius occurrens in noſtris aquis rarior Tibi videatur. Bene omnino feciſti, quod nec Waltherum, nec me inter Benefactores horti veſtri recenſueris, pauca omnino ſint, quæ a nobis accepiſti, dabimus tamen ſemper quædam Tibi non ingrata. Et ſi forſitan inpoſterum nomina noſtra citare velis, Waltherum nomina, cujus ſub auſpiciis &

ego rebus botanicis incumbo, & quæ Tibi mitto ſemina, ſemper permittente Walthero mittuntur. Quod in Günziano ſcripto reprehendi meretur, publice indicare poteris; ille enim non majori jure pollet quam Tu, & certe credo Te magis in his declarandis deſudaſſe. Ipſe etiam profiteor, illum acerbius ſcripſiſſe, quam quidem debebat, & ideo etiam Tibi ſcriptum ejus de a. max. int. miſi, quippe tua cenſura dignum.

Exoptaſſem certe quædam de vita Drollingeri, ſed pauca ſunt quæ ſcribis, dicunt Te ejus poemata edere velle.

Dabam Lipſiæ d. XXIII. Octobr. 1743.

264.

## CHRIST. FRID. HÆNEL.

Quod ad acceptiſſimas Tuas, easque Majo cum Tomo quarto Commentariorum in Boerhaavii ſcholas, Diſſertationibus ac ſeminibus quibusdam recte ad me perlatas, haud reſponderim, id pro mira tua humanitate & mutua noſtra amicitia haud feres ægre. Sancte teſtor, id neque pigritia, nec ſupina aliqua in Te negligentia contigiſſe, qui potius itineribus perpetuis improbisque laboribus diſtractus vel me invito ſilentium hucuſque protrahere coactus fui. Totam æſtatem cum magna veris parte in Thermis Carolinis & Tœplicenſibus miſere perdidi. Tœplicio Dresdam me contuli cum Duce meo (Weiſſenfelſio)

ſenfelſio), ubi ob abſentiam Heucheri denuo unam alteramve ſeptimanam perdidi. Dresda Schnebergam eo fine profectus ſum, ut res domeſticas diſponerem, uxorem liberosque Weiſſenfelſam comitarer, ubi digeſtio ſupellectilis domeſticæ, librariæ, minerarum, foſſilium, præparatorum anatomicorum, rei herbariæ tantas mihi creavit turbas, tantosque dedit ludos, ut vix libere reſpiraverim. Nunc omnibus per Dei gratiam in ordinem redactis cum veteribus meis amicis, libris, in gratiam redeo, id ſimul agens ſedulo, ut fautoribus meis de ſervato pertinaci ſilentio me purgatum reddam. De cætero nihil memorabile mihi occurrit toto hoc lapſo tempore, niſi memoria dignum judices, quod nuper anaſtomoſin venæ cavæ & venæ Portæ repererim in puero undecim annorum, de qua ſequentia in chartam conjeci:

Exemturus inteſtina cum meſenterio inopinato animadverti quædam filamenta venam cavam trahentia. Iſtis ſtudioſius conſideratis, conſpexi eſſe venas ad meſenterium & inteſtina profectas. Decurſum autem earum penitiſſime conſpexi verſus Ilei principium, cum ſanguine ſic ſatis eſſent turgidæ. Sitæ erant ad ſecundam & tertiam lumborum vertebram, ortæ ex vena cava ea ſuperficie, qua meſenterium reſpicit. Diſcidi illas, atque per eas ex V. C. haud exiguam ſanguinis vim expuli. Diameter earum illa venarum ſpermaticarum non multum erat minor. Hæc de iſta Anaſtomoſi.

In

In eodem ſubjecto ſequentia viſa ſunt:

Exemturus renem, maxime dextrum, inveni venam ſanguine turgidam, quæ a capſula atrabilari orta ad partem hepatis concavam abibat. Diameter magnitudine illam ſupra nominatarum æquabat. In rene ſiniſtro duos ſimiles reperi ramos, muſculo quadrato inſerendos. In eodem ſubjecto in rene ſiniſtro cum occuparer, eximendo tres reperi venas ſpermaticas diverſæ magnitudinis, omnes ex emulgente ortas ejusdem lateris. Verum id ſæpius repertum eſſe me haud fugit. Bertinus, quem Tibi in ultima epiſtola nominaveram, nihil edidit, habeo ſaltem obſervationes ejus manuſcriptas continentes varia haud ubivis obvia. Mentionem ejus factam eſſe memini in Hiſt. Acad. Reg. Scient. occaſione anaſtomoſeos vaſ. epigaſtric. & mammarior. &c. Summa ejus laudatur ἀκρίβεια in Angiologicis & Neurologicis. Editurus erat, cum adhuc Pariſiis eſſet, Angiologiam, ſed in Turciam (Valachiam) opimo allectus pretio ſeu ſalario conceſſit, quod editionem impedivit. Nuper Conſtantinopoli ſcripſit, quod dimiſſus fuerit, atque reditum in Galliam paret. Promiſit, ſe Lipſiam in tranſitu eſſe ſalutaturum, quo quidem tempore id curabo, ut in ejus amicitiam intimius penetrem. Adhuc unicum reſtat, ut ſcilicet pro miſſis libris & diſſertationibus decentes Tibi perſolvam gratias, meque Tibi meliorem in modum commendem. Vale! Dabam Weiſſenfelſæ Calendis Nov. 1743.

P. S. Paro editionem Operum Illuſtris Archiatri,

chiatri, Heucheri, eo quidem ſi non penitus invito, ſaltem inſcio. Sunt inter illa varia hactenus nondum impreſſa, quorum copiam mihi olim fecit mira iſtius humanitas, liberalitasque. Addam quædam de meis illuſtrationis gratia. Magnopere me Tibi obſtrictum profitebor, ſi mihi proxime quasdam animadverſiones mittas in ea, quæ Tibi lecta ſunt, quibus me haud eſſe abuſurum, vel ipſe ſperabis. Iterum vale!

265.

## J. G. GMELIN.

Diu expectata a Te epiſtola d. 25. tandem huc advolavit. Cl. Sanches inſcriptam reddidi ipſo illo die, qui de ſignificatione voluntatis tuæ admodum lætatus eſt. Interim maximopere illum commovit, quod locum honeſtum & celebrem inter criticos illi conceſſeritis, quia nulla id ſua culpa evenit. Ut veneretur eruditionem Cl. Gesneri, plures boni eadem plane mente ſunt. Itaque annotata Gesneriana reddita ſunt amico, ad quem ſpectant, qui magni illa habet & grata mente accepit, nec officio ſuo hac in parte deerit.

Si quæ ſcriptorum tuorum huc mittere geſtis, fac tantum, ut Hamburgum perferantur ad Banquier Johann Ludwig Dorrien, ad quem ſcribere juſſi, ut accipiat & primo vere huc mittat. Si plantas aliquas ſiccas pro me adjicere poteris, rem facies gratiſſimam, quam certiſſime, quoad fieri

fieri poteſt, rependam. Penus adhuc ſupereſt plantarum Sibiricarum, quas paulatim mittam. Præterea occaſionem nactus ſum, ipſe hortum conſtruendi, in quo omnes fere plantas colo, quæ in horto Academico habentur. Eam tantum gratiam a Te peto, ut de plantis, quæ forte Tibi notæ occurrunt, horis ſubſecivis certiorem me reddas.

Quæ de Stellero in nunciis publicis leguntur, veritati minus congruunt. Rediit ex America Kamtſchatkam, ubi adhuc verſatur; nec ſpes eſt, ante duos annos huc redire poſſe. Non uno in loco ad littus Americæ adpulerunt, nec repulſam ullibi paſſi ſunt. In reditu autem, triginta circiter leucas Germanicas ab oſtio Kamtſchatkæ fluv. navis ſcopulis alliſa eſt, in cujus locum nautæ aliam conſtruxerunt. Hæc Tibi.

De laboribus tuis & indefeſſis ſtudiis ex animo Tibi gratulor. Optamus Cl. Sanches & ego, ut iis Te paulum ſubtrahas, ne propriæ valetudinis curam minus quam aliorum habere videaris. Cælum benignius optamus, aut, quoad in frigidis regionibus verſaberis, æſtates mites, ut ſuaviſſima tua flora tædium reliquorum laborum aliquatenus compenſare poſſit. Nonus Commentariorum Academiæ noſtræ tomus ante aliquot dies prelo egreſſus eſt. Ut ad Te ejus exemplum perferatur, curabo. Incluſas litteras rogo Tubingam prima occaſione transmittas. Vale & mihi porro fave. Petropoli, d. 29. Novembr. 1743.

Ut novus annus, qui inſtat, felix & fauſtus Tibi contingat, enixe opto. Vale.

266.

266.

## J. G. GMELIN.

Aliqua Floræ Moſcuenſis Gerberianæ pars reperta eſt; ſpero & reliquam repertum iri. Curo etiam, ut ad Te aliquando perveniat. Index triglottis nihil continet, quo botanicæ juvari poſſet.

Lætamur hic omnes boni de ſucceſſu laborum ſtupenda ſolertia a Te peractorum. Hic, fere uti in Germania, omnia tepent. Siegesbeckius ſcriptum paratum habet de heterodoxia botanica, de quo ſuſpicor, eſſe pro more contentioſum. Neutiquam tamen permittam, ut Academia calculum adjiciat. Ego hac forte hieme tomum I. hiſtoriæ plantarum Sibiricarum abſolvam. Rem præſtares mihi gratiſſimam, ſi de transmiſſis ad Te plantis aliqua moneres. Nec injurius ero in voluntatem tuam, quoties occaſio feret. Schreiberus in noſocomio prælectiones anatomicas multa cum laude habet. Noſter Anatomiæ Profeſſor aliena, & neſcio quæ, curat. Weitbrechtus non plane ſegnis eſt. D. Sanches perpetuo apud aulam verſatur, indigne ferens, quod ſtudiis vix ullum otium deſtinare poſſit.

Dabam Petropoli, d. XVII. Decembr. v. ſt. cIↃ IↃCC XLIII.

267.

# D. LUDWIG.

Cum ex litteris tuis cognoſcam, Te iter in patriam parare, nolo amplius urgere, ut amicis ſcribas de terris variis, potiſſimum crudis, nec lotis, nec alio modo præparatis, cum poſtea ipſemet quædam ex amicorum ſcriniis compilare poſſis, ſi tamen melius Tibi videtur, ſi terras paſſim conquiſitas, in acceſſu tuo promtas habeant atque paratas, etiam in anteceſſum ſcribere poteris. Rem tamen facies gratiſſimam, ſi opus meum de Terris, licet hoc ſtudio non delectaris, tuo auxilio aliqua ex parte promovere velis. Nunc chemicis laboribus detineor, & reliquum tempus ad operis elaborationem impendo. Linnæus bis ſcripſit. Et in Suecia falſa nova de morte tua præmatura habuerunt; dolet mortem tuam Linnæus, ex quo cognoſco magni Te facere, quod omnes genuini ſtudiorum æſtimatores comprobant. Scripſi in reſponſoriis, Te poſt morbum ſuperatum optime valere. Ille poſtquam a Siegesbeckio & Heiſtero adeo caſtigatus fuit, odium habet in omnes ferme Germanos, & me non niſi poſt perluſtratas inſtitutiones Botanicas in numerum amicorum recepit. Sed quid dico caſtigatus, cum nec Siegesbeckius nec Heiſterus tanti ſint botanici, in diſquiſitione vegetabilium ita exercitati, ut Linnæum ubique aſſequi queant. Sed novum in regno animali invenit Adverſarium. Kleinius enim Gedanenſis nuperrime mihi

miſit

miſit dubia circa methodum animalium Linnæi, Gedani 1743. impreſſa. Plurima jure monet, ſed nec meliora ubique exhibet; eſt de reliquo acerbus cenſor, id quod ipſi Kleinio in reſponſoriis objeci. Ego quidem, ob iter quod præterito menſe Auguſti Freybergum & Dresdam ſuſceperam, in colligendis ſeminibus non omnimodam diligentiam adhibui, quæ tamen collecta ſunt, libris proxime mittendis addam. Interim vale, & me ut ſoles ama. Dabam Lipſiæ, d. XXVIII. Decembr. 1743.

268.

## JOH. GESNERUS.

Leida accepi novam Caracterum Linnæanorum editionem & Orationem ejusd. de uſu peregrinationum literariarum, cui me inconſulto diſſertt. de Vegetabilibus adjunxerunt, in quibus multa addenda & mutanda habuiſſem, ſi hoc conſilium mihi prius quam ederetur liber, innotuiſſet. Noſti enim has diſſertationes in uſum ſtudioſorum Theologiæ apud nos conſcribi, & pluribus animum ab hoc ſtudio eſſe alieniſſimum.

Cæterum Te brevi in Patriam rediturum ſpero, maxime cum intelligam novis honoribus Ampliſſ. Senatum Bernenſem Te ex meritis tuis auctürum eſſe. Hoc adventu tuo nihil nobis gratius erit; commodum erit Tiguro excurſiones in vicinos montes Utliacum, Tigurinum, L. Felinum facere; nec non in M. Fractum Lucernen-

ſium. Gratiſſimus quoque eris pluribus Ampliſſ. & Doctiſſimis Viris, qui Te amant & colunt, & per me plurimum ſalutant. Det DEUS, ut auſpicia novi anni Tibi & Tuis ſint ſalutaria. Idem mecum optat cariſſima mea Conjux & Frater. Plurimum vale, Vir Amiciſſime, & me ut ſoles ama. Scribebam raptim Tiguri d. 8. Jan. 1744.

269.

## CAROLUS LINNÆUS.

Te & vivere & bene valere didici ex epiſtola, quam accepi Stockholmia ante octiduum, una cum Horto Gottingenſi; ut vidi literas & nomen tuum, ex toto corde exſultavi præ gaudio, quum Te amiſſum maxime doluimus omnes, ego autem omnium maxime. Mihi injunctum erat a Societate Regia, hiſtoriam tuam vitæ deſcribere Actisque inſerere, a quo munere nunc Dei gratia liberatus ſum.

De Soncho arboreſcente paluſtri, quam ſpecici varietatem facis e Soncho iſto vulgari agrorum, in ultimis monui; contuli plantas, & obſtupui; recte habes; ſed nullus mortalium ante Te hoc vidit.

Do aliquot ſemina, qualia habeo, alia vice plura; recens enim ſum horticola; Tu benigne hæc excipias oro. In altera pagina notavi, quot Te habeas, quas ego non habeo; ut ſi habeas ſemina ex aliqua harum plantarum, & mihi mittere

te velles, mihi ſummo dono afficeres; ſi mittas, facias hoc quamprimum poteris, & ſub couvert ad Societatem Regiam Scientiarum Upſaliæ.

Dabam Upſal. 1744. d. 12. Jan.

Santolina fol. rosmarin.

an Silphium Royeni.

Bellidioïdes.

Doria.

Ranunculus.

Veronica Chia.

Echinopus minor uterque.

Verbena altiſſima.

Si habeas ſemina ex aliqua planta e prædictis, & mihi mittas, ſcias Te, eo, me reddere maxime obſtrictum; ego mittam aliquando, dum ego dives evado. Ante habui plantas, non pecunias, nunc quid juvant pecuniæ, ubi non plantæ.

270.

## J. F. SCHREIBER.

Cl. Wagnerus recte tranſmiſit litteras tuas, quibus mihi ſane nihil fuiſſet optatius, niſi de dubia valetudine tua referrent iterum. Mihi quidem, comparanti corporis tui habitum cum vitæ

 genere,

genere, quod nunc ſectaris, videtur, Te obnoxium eſſe febribus nervoſis, uti eas nunc vocant. Opus eſt, opinor, ut in poſterum muſculi plus agitentur, quam caput. Alias magnam quidem gloriam, ſed nimio diſpendio Tibi adquires. Moderata durant; tranſi in prædiolum; uti agere conſueviſti in Helvetia. Feliciſſimum finem graviſſimi operis Boerhaaveani ex animo gratulor. Det Tibi DEUS vires, ut cætera ſimiliter exſequaris. Quorſum vero ſcripta tua, à Te mihi deſtinata, pervenerint, nulla inquiſitione hactenus detegere valui. Miratus es haud dubie, me in meis ultimis repetiiſſe epiſtolam meam ad Te edendam, vel ſaltim rogaſſe, ne ederetur. Nempe legi interea caſum *Jacobi Jurin*, M. D. qui ſe, calculo veſicæ, (ſed, ut adparet, parvo) ſanaſſe perhibet per *lixivium*, ut vocant pro faciundo ſapone, primæ fluxionis. Adnexus ille eſt fini *Jo. Rutty an Account of ſome new experiments and obſervations on Joanna Stephens's Medicine for the ſtone.* Nactus calculoſum, ipſocum experimenti hujus initium facere conſtitui: adeoque mallem, ejus exſpectares eventum: ſi id autem impreſſionis ergo fieri amplius nequit, eumdem Tibi alia epiſtola perſcribam. Illud vero ne oblivîſcare, per Te ad finem epiſtolæ commonefacere, quæ nunc perſcripſerim de *Jurin*, & quod in repetundo experimento occupatus ſim. Exemplar epiſtolæ Cl. Geſnero Tigurum ut mittas, oro. Non ſuccurrit, quot exemplaria pro me huc, & quidem in bona charta mittenda, rogarim. Vale, & me ama. Petropoli 1744. d. 22. Febr.

271.

271.

## J. G. GMELIN.

Quod Aſia cum America non cohæreat, quindecim jam anni ſunt, quod hoc in Ruſſia certo conſtat. Sed facies littorum illius Americæ partis, ad quam jam iter fecerunt, nunc demum innotuit. Mirum, diſtantiæ Americæ ab Aſia cognitionem in ultima hæc tempora reſervatam fuiſſe. Reputatur nimirum Kamtſchatcicam regionem a proximæ Americæ loco vix quadraginta milliaria germanica diſtare. Quo probabilitatis gradu hoc aſſertum muniri poſſit, ignoro, quare pro certitudine tradere nolo. Et cum nec hoc in vulgus adhuc notum ſit, rogo, ut Tecum retineas.

Rerum Gerberianarum fere jam compos ſum & mittam cum navi; ſed omnino meum nomen ſilendum eſt, uti & alius communis amici noſtri, cujus opera in hoc maxima fuit, ne Medicæ Cancellariæ indignationem nobis ipſi imponamus, quæ eadem ſcripta in ſcriniis ſervat, & reddere promiſit, nec reddidit.

Obſervationes tuas circa plantas ut & poëmata avide expecto. In epiſtola a D. Sanches Moſcuæ 27. Febr. ſcripta hæc continentur: „Je „ vous prie de m'excuſer aupres de Mr. Haller, „ & de lui rendre part de nos voyages, & en „ même tems, que je ſouhaiterois d'ètre reconnoiſſant avec lui, mais que je ſouhaiterois

 „ com-

„ comment ". Addo, quod ex corde hæc ſcripſerit D. Sanches, Tuque gratiſſimam illi rem præſtiturus ſis, ſi occaſionem Tibi inſerviendi ipſe humaniter largieris. Vir enim honeſtus eſt & bonus. De Albini Euſtachio mira ſuſurras. (*ad nervos.*)

Unam forte & alteram terram adhuc mecum habeo, quam Tecum communicabo, multas ex itinere miſi, quæ in gazophylacio Imperatorio continentur, unde jam repetere varias ob cauſſas difficile eſt. De Fabricio Botanico nihil adhuc compertum habui. De abſoluto opere Boerhaaviano Tibi omnes boni mecum gratulantur. Otium præterea commendo, uti jam ante feci, amore Tui ductus. Cl. Schreiberus plurima Te ſalute impertit, & ſignificare jubet, quod a propoſito obſervationes circa effectum calcis vivæ in calculo adfectis inſtituendi partim propter malam reliqui corporis calculo adfecti diſpoſitionem, partim propter lixivii rite parati defectum abſtinere cogatur. Igitur rogat, ne moreris, diſſertationem ejus typis imprimendam concedere, addito tantum in fine monito, ſi ulterius Schreibero aliquid de hac re per experimenta innotuerit, quod ille cum publico olim communicaturus ſit.

Dabam Petropoli, d. x. Mart. cIↃIↃCC XLIV.

272.

272.

## JOSIAS WEITBRECHT.

Tot præclara jam ſpecimina, Vir Celeberrime, exſtant, quibus diligentiam tuam & eruditionem & judicium in rebus ad anatomiam & botanicam imprimis ſpectantibus probaſti, ut, quo plurimi amicorum meorum fruebantur, commercii tui atque favoris participem eſſe, a multis retrò annis optaverim. Acceſſit mira tua humanitas, quam non ſolum jam olim Tubingæ 1723. ſingularem in Te cognovi, ſed & quam in omnibus tuis literis ad B. Ammannum & Cl. Gmelinum datis conſtanter conſervas. Auſus igitur ſum, ſuaſu & hortatu communis amici noſtri, votis meis ſatisfacere, & partim de ſtudiorum tuorum progreſſibus eximiis Tibi gratulari, partim tuum mihi favorem atque amicitiam expetere, & meum Tibi obſequium & ſtudia viciſſim ſignificare. Ex quo enim tempore Cl. Duvernoi hinc diſceſſit, parca ſe offert occaſio, cum aliis reculas meas anatomicas communicandi. Cl. Schreiberus noſter magis delectari videtur problematis & corollariis. Tu vero, Vir Celeberrime, nunc, quantum novi, ſolus es, in tota Germania, a quo dignum quippiam exſpectari poſſit. De notis tuis eruditiſſimis ad prælectiones Boerhaavianas nonniſi Vol. I. & II. vidi. Sed retulit mihi Cl. Schreiberus, Te in Vol. IV. aliqua attuliſſe, quæ ad me ſpectent; viderat ea fugitivis oculis, cum liber Moſcuam ab amico quodam trans-

transmitteretur. Doleo commentarios noſtros nimis ſero publici juris fieri; in Tomo enim IX, qui nunc denique in lucem prodit, multa de muſculis laryngis & pharyngis diſſerui, quæ Tibi, etſi non omnia, aliqua tamen, probatum iri ſpero. Syndesmologiam meam, ubi primum iter maritimum patebit, Tibi transmittam, mediante D. Wagnero, practico Lubecenſi. Si viciſſim Icones tuas anatomicas, & ſi quæ alia habes ad anatomiam ſpectantia, per eandem occaſionem mittere placuerit, rem mihi facies omnium gratiſſimam. Legi quidem novellarum Lipſienſium Num. XI. & legi tuam animadverſionem in Göttingenſibus; ſed ſpero, vulgandi methodum veritati & paritati figurarum nihil detracturam eſſe. Occupatus nunc ſum in adornandis figuris ſinuum & receptaculorum duræ matris. Baſin cerebri autem delineandam nova methodo aggreſſus ſum. Si figura Catti in Tractatu de ſenſibus, de eadem baſi cerebri, aliquibus prærogativis gaudet, certiorem me, ſi vacat, facias, vehementiſſime rogo. Diſquiſitiones meæ glandulis Meibomii ſebaceis, uti vulgo deſcribi ſolent, e. gr. in Morgagno, (Meibomii enim epiſtolam de palpebrarum vaſis non vidi) interitum minitantur. Anguſtia chartæ, quam ampliorem amicus noſter hodie concedere nequit, hæc ſufficere jubet, quæ, ſi non ingrata Tibi fore cognovero, uberiora ſuo tempore inſequentur. Tibi interim, ad tot labores, quibus inſudas, exantlandos, omnem & animi & corporis vigorem apprecor. Ego pauca ſpondeo, opto alemannicum aërem ſpirare, ſi

qua

qua ſe obtulerit occaſio. Vale, Vir Celeberrime, & rerum tuarum admiratori fave. Scribebam Petropoli, d. 10. Mart. 1744.

273.

## D. LUDWIG.

In opere de Terris primo quidem ad terras officinales & ſigillatas attendere volebam, ſed dum has attentius conquiro, & cum aliis comparo, creſcit & terrarum numerus, & obſervationum copia colligitur, hinc ſi fieri poterit, cognitionem hiſtorico-phyſicam terrarum methodice & ad normam ſolidioris cognitionis corporum naturalium diſponam. Difficilis eſt, quem ſuſcepi labor, non tamen impoſſibilis, ſed otium ſæpius deficit, & terras conſiderando non raro in totum regni mineralis ambitum deducor. Animum addit copia librorum, inter quos ferme omnes in Muſeo Richteriano, qui nuper collectionis ſuæ ſpecimen edidit, invenio. Kleinii dubia in methodum animalium Linnæi ad nundinas habebis, deficit enim icon, ſine qua Tibi mittere nolo.

In angiologicis non ſine fructu operam collocare poteris, diu jam deſiderantur icones in angiologicis perfectiores, ſed omnino difficiles ſunt. Credidi omnino Trewium quædam præſtare poſſe, ſed is nimium obruitur praxi clinica. Bertinus, ut audio, in eo eſt, ut opus aliquod angiologicum edat. (*Non edidit.*)

Optarem certe, ut hac æſtate Islebiam venires, nam & ego eo me conferam, ad perluſtrandum apparatum mineralogicum, & varia ibidem notatu digna circa terras. Interim vale & me ut ſoles ama. Dabam Lipſiæ d. x. Martii 1744.

274.

## CAROLUS LINNÆUS.

Nuper literas habui ab amico communi D. Royeno, qui Te nec literas habuiſſe a me, nec reſponſorias a longo tempore refert. Ego viciſſim dolui, quod reſponſorias a Te non obtinuerim, ſed hoc quotidianis tuis curis adſcripſi, quibus omni hora publico inſervis.

Quamprimum accepi Botanicen tuam vaſtiſſimam de plantis Helvetiæ, gratiſſimas ut debui, ad minimum uti potui, exaravi literas; cum autem fama omnis reſonabat, Te humanis rebus fuiſſe ereptum, literas miſi ad Anatomicum, tuum quondam diſcipulum, reſponſorias accepi, quod & vivas & bene valeas, ſimulque Hortum accepi Gottingenſem; tum mox ad Te iterum ſcripſi, ſeminaque numeravi plurimarum plantarum aptarum, quibus ſuperbit veſter Hortus; ſimulque literas miſi ad D. Mœhring ſub tuo involucro, ut aliquando ab eo acciperem reſponſorias, a quo literas non habui poſt reditum in patriam; ſed nec a Te, nec ab illo obtinui. Interim omni die tuis ſcriptis ego proficio, & quo magis evol-

vo

vo tuum opus Helveticum, eo majori deſiderio me quotidie demittit; opus eſt certe tale, quale non exſtitit antea, & quo carere nequit ullus Botanicus; breves enim tuæ deſcriptiones millies ſuperant Botanicas longiſſimas hiſtoricas; nec non in ſynonymis multum præſtitiſti.

Sed dicas mihi quomodo & unde potuiſti brevi temporis ſpatio tot plantas in hortum introducere? Ego in his totus fui annis 1742. 1743. & hoc anno, nec potui dimidiam partem obtinere, quamvis a Gmelino, Ludwigio, Gesnero, Wagnero, Bielkio, Royeno, Gronovio, Sauvages, Dillenio, Juſſievio, Millero, aliisque profecerim. Ædificia & palatia omnia Horti cum hybernaculis his duobus cum dimidio anno abſoluta ſunt.

De Fagopyro recte omnino habes, quod ſit diverſa ſpecies a vulgari & nulla alia.

In ultimis literis petii, quod velles obſervationem ad Societatem Reg. Upſal. mittere, quæ ejusdem Actis poſſet inſeri. Prodiit tomus pro 1740. & 1741. propediem erit abſolutus. Non admittimus poſt hæc alias obſervationes, quam genuinas medicas, phyſicas, mathematicas, ſimilesque dignas, nec poſt hæc nugas theologicas.

Obitus Andreæ Celſii, Secretarii Societatis, multum obfuit Societati noſtræ.

Membra aſſumta ſunt in hac ſocietate Juſſieu, & nonnulli alii Botanici.

Avi-

Avidiſſime evolvo tua commentaria in Boerhaavium; quæſo ne deſiſtas nobis dare ſequentes partes de diæta; in his meæ deliciæ; in his plura collegi, quam quod novi alius ullus; & augmenta habebo ex tuo libro in Boerhaavium.

Si quid curioſi de Ficu noviſti, mihi quæſo ſcribas, qui de ea arbore menſe Auguſti diſſertationem edam; nec non aliam de coralliis maris Balthici.

Sub prelo ſudat iter Oelandicum, ſed lingua ſuecana; in eo libro plurimas habeo obſervationes de plantis, inſectis, avibus, œconomicis.

De Betula nana diſſertationem præterito anno habui; neſcio quomodo queam ad Te mittere, qui remotus a mari habitas.

Ex horto tuo video, me habere aliquot plantas, quas Tu non habes, eas igitur mittam in ſeminibus proximo autumno, ſi liceat tabellarium tuum his præbere.

Abſolvi Floram ſuecanam exceptis modo minimis Byſſis, mucore, confervis, quibusdam ex fungis.

Ter vale & me amare perge. Dabam Upſal. 1744. Maj. 29.

275.

275.

# D. LUDWIG.

Cum id ſemper agam, ut amicitiæ tuæ & favoris dignus evadam, ego libenter controverſiam illam inter Te & Günzium noſtrum ita dirigere voluiſſem, ut in commodo ſtudii anatomici converteretur; ſed profecto non poſſum. Maximo cum ſcientiarum emolumento fieri ſolet, ſi illi, qui commune quoddam ſtudium acrius tractant, amicitiæ legibus continentur, ſed ſi e contrario minutiæ carpuntur, animi magis magisque exacerbantur. Id quod, licet in veſtra controverſia jam accidat, omni mea cura impedire nequeo.

Dum hæc ſcribo, perlegi ulteriorem cenſuram iconum anatomicarum, quam Günzius pl. XXXVI. novarum litt. Lipſ. inſeruit; Boermannum diu non vidi, interim ſuſpicor, præfationem tuam ad Boerh. Comment. irritaſſe Günzium. Quod ſi igitur meo conſilio hac in re uti volueris, non amplius reſpondeas, ſed ſi forte, ut facile prævideo, nonnulla monenda ſunt, Cl. Rollino, qui iconis artifex fuit, hoc negotium committas. Tibi ſemper liberum erit ſimili cenſura ea perſtringere, quæ Günzius in lucem emittet ſpecimina. Ex amicis enim cognovi, illum delineationem habere portionis duræ nervi acuſtici & nonnulla alia, quæ tamen nondum vidi. (*nihil edidit.*)

Lipſiæ, d. VI. Maji 1744.

276.

276.

## J. G. GMELIN.

In Oxyacantha vulgari auriculas ad petiolos foliorum non memini me obſervaſſe, uti in Sibirica.

Melilotus ſupina Amm. 159. germen pedunculatum non habet, uti Falcatam Riv. habere credo.

Gratias ſummas Tibi habeo pro adnotationibus tuis botanicis, quæ magno mihi uſui ſunt. Jam vero enixe peto, ut tali favore me & porro digneris. Circa plantas, quas jam transmitto, dubiis quæſo me exſolve, & ubi aſſentiris, indica. Hieracium n. 3. an rite nominatum eſt? Quid videtur de Draba & Turritide? Hieracium n°. 2. an ſatis diſtinctum a cognitis adhuc ſpeciebus? Annon Dodecandria Tibi cognita? Vale optime & me amare perge. Dabam Petropoli, d. VIII. Maji cIↃ IↃCC XLIV.

*Index plantarum transmiſſarum.*

1. Juncus floribus albis. Sibir.

2. Hieracium foliis ovalibus, caule repente, ſcapo ſæpe nudo paucifloro, interdum unifloro. Cum Hieracio tuo n°. 2. maxima adfinitas, ſed caule multo breviore & molliore, eoque ſæpe unifloro, floribusque, ſi plures ſunt, plerumque vicinis, differt. Ingrica.

3. Hie-

3. Hieracium foliis virentibus piloſis, ovato-lanceolatis, ſcapo ſimplici multifloro. Hall. Stirp. Helv. p. 743. n. 3. Ingr.

4. Dodecandria hexagynia. Floris ſex laciniæ in cylindrum fere diſpoſitæ fundo cohærent. Nectaria uti in Craſſula. In horto Pharmacopœorum viget, & in officinis pro ſempervivo adhibetur. Unde accepta ſit, ignoratur.

5. Saxifraga petalis oblongis, luteis lineatis. An Saxifraga petalis latiſſimis, luteis, lineatis Hall. Sirp. Helv. 399. n°. 2? Videtur foliis crebrioribus, caulem ad extremum uſque ſtipantibus & petalis anguſtioribus differre. Sibir.

6. Sedum minus repens, Chamædryos foliis, e ſingulis foliorum alis radices agens Amm. Stirp. Ruth. 71. n. 93. Sibir.

7. Anacampſeros flore flavo Amm. Stirp. Ruth. 73. p. 96. Sibir.

8. Sedum Cotyledonis facie, floribus luteis Amm. Stirp. Ruth. p. 73. n. 95. Sibir.

9. Acer Platanoides Munting. Phytogr. Ingr.

10. Alſine glabra longis gramineis foliis, floribus albis, umbellatis Amm. Stirp. Ruth. p. 67. n. 86. Sibir.

11. Elatine foliis oppoſitis Linn. Flor. Lapp. Ingr.

12. An Sagina ramis procumbentibus Linn. Flor. 157? Ingr. Si hæc planta eſt, uti videtur,

tur, multis certe variationibus in partibus fructificationis obnoxia eſt.

13. Dianthus petalis multifidis, foliis ſubulatis. Sibir.

14. An Alyſſon fruticoſum incanum Tourn. Inſt. 217? Margo foliorum obſolete dentatus. Partes fructificationis multum differunt. Ruthen.

15. Draba caulibus nudis, foliis integerrimis. Etiam foliis petiolo deſtitutis a Paronychia Dod. differre videtur. Ingr.

16. An Alyſſi ſegetum foliis auriculatis acutis Tournef. varietas? Hic Petropoli frequens.

17. Turritis foliis omnibus hiſpidis, radicalibus dentatis, caulinis integerrimis, lanceolatis. A Turritide majore Plateau foliis baſi anguſtiſſimis, haud ſagittatis, præcipue differre videtur. Ingr.

18. Nepeta floribus inverſis. Sibir.

19. Cataria montana, folio Veronicæ pratenſis Buxb. Cent. III. 27. ic. mala, uti pleræque.

P. S. Ad D. Sanches proxime ſcribam, quæ juſſiſti. Antequam litteræ tuæ advolarent, ab illo accepi, in quibus plurima Te ſalute impertit & vehementer optat, ut morbos nervorum, qua ratione a Boerhaavio expoſiti ſunt, quantocyus evulges. Nec deſinet Te propter hanc rem urgere, tunc enim beatius ſe vivere ſentiet, quando hanc tractationem typis a Te evulgatam cognoſcet.

gnoſcet. Iterum rogat, ut expiſcer a Te, quali re Tibi inſervire poſſit. Nec ſpero, unquam ab hac quæſtione deſtiturum eſſe. Gerberi Floræ Moſcuenſis apographum nondum factum eſt. Curo autem, ne ex negligentia differatur. Dubito, an admodum adprobaturus ſis. Audio, Siegesbeckium autographum penes ſe habere & ſolicitum eſſe, ut hic imprimatur. Ego apographum quoddam habeo, cujus Tu alterum apographum accipies. Vale.

277.

## D. LUDWIG.

Optimum omnino fuit, quod non Tu ſed Rollinus reſponſionem dederit, ad Günzii noſtri annotationes, ſic enim omnis controverſia a Te declinatur: ſed ſpero nunc omnia compoſita fore, litteras enim tuas & Walthero tradidi & Menkenio. Prior, cui jam antea diſplicebat rigoroſior iconum cenſura, Günzium adhortatus eſt, ne continuaret hancce controverſiam, id quod in literis incluſis, ipſe forſitan declarabit: Menkenius vero, cum quo de rebus his ipſe agebam, pollicitus eſt, ſe ſimilia non amplius novis literariis inſerere velle. Reſponſum quidem & hic dare conſtituerat, ſed iter ad Thermas Carolinas ipſum forſitan impedivit. Interim perſuaſum habeas, me tuam amicitiam ſemper magni facere, & ideo Günzii odium parum curare aut invidiam. Quod ſi igitur & in his & in ſimilibus rebus Tibi aliquid inſervire potero, moneas quæſo, me enim

ſemper ad quælibet officia præſtanda habebis promptiſſimum. Unicum tamen monendum eſt, Tu in ea verſaris opinione, ac ſi literæ, quas Günzius citat, meæ eſſent, ſed cum nulla inter nos colatur amicitia intimior, ſed ea ſaltim, quæ decorum exigit, facile cognoſcere poteris, me literas tuas eidem haud communicare. Forſitan vero idem vel ex literis ad Hænelium datis, vel ex aliis cognovit. Quantum a Bærmanno cognovi, Günzius negat, ſe ad hæc omnia per alios inſtigatum fuiſſe, ſed ille maxime in recenſione tua in novis litterariis Göttingenſibus *a*) & Hamburgenſibus *heimtükiſche Feindſchaft*, incitatus fuit. Quam facile ad aliena deducimur, ſi in colendis & emendandis ſcientiis magis gloriolæ, quam ſcientiæ ipſi ſtudioſi ſumus. Tu, Vir illuſtris, jam in ea dignitate conſtitutus, ut frivolæ aliorum cenſuræ facile refellantur, perge quæſo in ſtudiorum tuorum perfectione, nec timeas ſuſurros eorum, qui Tibi impedimento eſſe volunt. Magnus labor eſt, quem in diſquirendis vaſis corporis humani Tibi ſumſiſti, ſed talis, in quo nullum habebis parem.

Dabam Lipſiæ d. 6. Jun. 1744.

278.

## D. LUDWIG.

Quæ de Günzio & controverſia inter vos orta in ultimis Tuis monuiſti, ipſe quidem eidem

*a*) Nullæ mihi eo tempore in his ſchedulis partes fuerunt.

eidem non communicavi, attamen amico quidem dixi, qui eidem mentem tuam optime referre poterit, & ita quidem, ut aperte cognoſcat, quanta in his tua ſit moderatio. Quod ſi vero meum ſequi velis conſilium, impoſterum nec Günzio (ſi quid, forte, quod tamen non opinor, contra Te monuerit) nec aliis, qui forſitan circa Tua aliquid monere velint, reſpondeas, ſed veritatem nudam exponendo in ſcientiis porro progrediaris. Talia enim Te in rerum ſcrutinio occupatum remorantur. Levia erunt, quæ monere poterunt, hæc vel ſilentio premere, vel ſi neceſſarium judicas, per diſcipulum vel amicum defendere poteris. Recenſionem latinam ad acta eruditorum ipſe elaborabo, expecto tantum Menkenium, qui nunc in thermis Carolinis eſt.

Petito tuo ratione canonis, ad quem caldarium novum inſtrui poſſet, ſatisfacere non poſſum, cum nec ſitum horti, nec viciniam nec locum accurate determinatum inveniam, quo tamen meam in his Tibi inſerviendi promptitudinem cognoſcas, en pauca quæ de hybernaculis experientia didici.

In horto bene inſtructo duo ad minimum hybernacula eſſe debent, unum quod a fine Octobris uſque ad initia Martii liberiorem aërem non admittit, in hoc collocentur, Euphorbia, Cereni, Minoſæ, & ſimiles plantæ, quorſum etiam referri debent Ficoïdes maxime ſucculentæ. Per hyemem vero hæ plantæ parum humectandæ

 ſunt,

ſunt, nam facile ſphacelo corripiuntur, inprimis Ficoïdes acaulæ & ſimiles. Alterum vero hybernaculum exigit, ut aër uſque ad initium Decembris, niſi frigus intenſum citius urgeat, admitti poſſit, cum aliqua ventilatione, inprimis cœlo ſereno, & idem ab initio Februarii iterum obſervari debet. In hoc plantæ ferme omnes, quæ in Zonæ temperatæ calidioribus regionibus creſcunt, conſervari poſſunt, & hæ quidem eam exigunt culturam, quam hortulani in Citrio & Aurantio obſervant. In hoc quoque hybernaculo plurimæ Ficoïdum & nonnullæ Aloes ſpecies optime conſervari poſſunt.

Quod ſi vero unam vel alteram ex his plantis, quodammodo urgere velis, tunc circa finem Februarii vel initium Martii in prius deſcriptum hybernaculum transferantur. In hæc vero hybernacula nullus fimus ingeratur, qui humore putrido debiles ſæpius plantas enecat. Si igitur plantas quasdam circa finem hyemis fortius, & fimo ſubſtructo urgere velis, parvam quandam domum prioribus annectere, & his uſibus ſolum deſtinare poteris. Hæc domuncula *ein Triebhaus* appellatur, quod vernali tempore magni uſus eſt, & paucis impenſis inſtrui poterit. In hybernaculis vero exſtruendis probe attendas ad aliquam feneſtrarum declivitatem, & ut tectum bene emineat.

Si vero canonem a me exigis, ſciagraphiam Horti veſtri quantocyus mihi mitte, & ſimul dubia plenius exprimas, tunc petito tuo lubenter

ſatis-

ſatisfaciam, & ſi exſtructio novi hybernaculi in ſequentem annum differri poſſit, Thranii hortulani Carolsruhani opera hac in re utar.

Ranunculi aquatici & folio capillaceo & ſubrotundo, & folio capillaceo tantum, & peucedani folio fluitans veræ ſunt varietates, id quod hoc anno ſemel iterumque obſervavi: ſi folia ſuperiora ſubrotunda ſub aquis immerſa manent, capillacea fiunt, ſi vero rapido flumine feruntur, ita elongantur, ut peucedani foliis ſimilia ſint.

Stellaria a Coriſpermo omnino differt, & ipſa in floribus ita ludit, ut illos nunc ſtamineos, nunc piſtillatos, nunc perfectos producat, in his piſtillum ſtaminis longitudine conſpicuum, ſæpius ſtamina bina mentitur.

Apparatum oſſium morboſorum ab Hommelio collectorum, nec non alia præparata anatomica optime conſervata nuperrime accepi, quæ collectionem meam rerum anatomicarum non parum ornent. Vidi in his, quanta ſit varietas arteriarum in variis corporibus, quæ certe omnes ſuperare videtur varietates in aliis corporis partibus. Venæ tamen, ut ego quidem opinor, magis variare ſolent. Sed ab his omnibus nunc alienus ſum, in regno minerali, inprimis in terris occupatus. Vale, Vir illuſtris, & me ut ſoles ama. Dabam Lipſiæ d. 30. Jun. 1744.

279.

## J. CHR. BOHLIUS.

Æternitati ſacras, V. I. edito incomparabili Tuo Commentario Boerhaavianum nomen, & dum Tuum pari jure poſteritati commendas, dubium rerum gnaris excitas, an conciſa Præceptoris placita ſalutari ſcientiæ perenniora ſtatuerint monumenta, an Commentarius Tuus vivida luce phyſicam corporis humani colluſtrans. Quoties enim perlego, quanta induſtria tetigeris retruſa, acri ingenii vi pervideris occulta, erueris, hiatus expleveris, judiciique ſumma ſubtilitate adapte componenda diſperſæ theoriæ membra animum adpuleris, toties magnum Præceptorem in Te Apollinem veneror, & venerantur boni omnes, qui ſaluti publicæ ſervatores bene precantur. Gratus ad exceſſum ergo adgnoſco honorem, quo nomen meum Tuis ſalutaribus tabulis præponere, & ſcholæ Boerhaaveanæ olim (quod meminiſſe glorioſum mihi) diſcipulum, Tui conſortem ſubſecuturis ſeculis adſcribas. DEUS te, V. I. certiſſimum medicinæ præſidium diu nobis præeſſe, & prodeſſe velit & jubeat. Ego variis jactatus incommodis, per tot diſcrimina tandem eluctatus, ante triennium Berolini præſens Auguſto Regi & Domino meo Clementiſſimo innotui, qui me inſigni honorum titulo condecoratum in patriam redire juſſit; ſed ſenſi hoc anno rheumaticorum dolorum corpus tenerum immaniter excruciantium tormenta, quæ quoque animum

fere

fere contundunt, ut laboribus intento, magnam expoliendis illis moram injiciant.

Si quæris nova, V. I. ſcias, Academiam noſtram hoc anno gaudia ſæcularia ſecunda vice, DEO opem ferente, meditari, in cujus ſollemnitatis partem nos Georgiam Auguſtam debito pietatis officio per litteras invitavimus. Gottſchedus, Prof. Lipſ. celeberr. his diebus nos inviſit cum conjuge, cum quo tamen horas fallere nondum contigit. Litteraria reliqua vix adtentionem tuam merentur, & certe doleo ſortem, qua Diſpp. exoticæ & præprimis Gœttingenſes nobis plane non adferuntur, ex Tuo enim penu, V. I. deprompta erudita ſpecimina nulla alia, niſi magna cura acquirere valui e. gr. de vaſis cordis propriis, de diaphragmate, de fœtu bicorporeo; quæ vero in indice Tom. VI. prælect. Boerhaavian. ſubjungis, haud videre contigit; vellem, ut tua interpoſitione medium excogitari poſſet, quo transmiſſa a Veſtro bibliopola hic loci ſolvere poſſem. Ceterum, V. I. tuam virtutem obteſtor, ut me amicum ſerves, quem amore tuo olim dignum judicaſti, ego ſemper te cogito & indefeſſa prece tuam ſalutem ſupremi viventium Conditoris æternæ memoriæ adfricabo. Vale diu & adfluentis undique felicitatis copiam felix, plurimumque fave! Dab. Regiomonti Boruſſorum A. CIƆ IƆCC XLIV. Albertinæ ſæculari die VII. Julii.

Amœniores horas meas tua poeſis ſæpe perdit, quam impenſe amo, & cogitabam Te ad condecorandas carmine tædas meas invitare, ni tempus tuum ſeverioribus ſtudiis occupatum reſciverim. Vale iterum.

280.

## J. F. SCHREIBER.

Accepi per *Gmelinum* noſtrum ſcripta Tua egregia plurima: Tomos tres ultimos Commentariorum in Inſtitutiones: aliaque, quorum primum locum tenere poſſunt Poemata tua Germanica: Anatomen fœtus, ſine cerebro, (ſed proh! absque figuris): Faſciculum tabularum anatomicarum; crediderim, illud pomum Eridos (ſed rurſum, quod indoleo, ſolum titulum, absque ulla tabula). Quid contra Tibi rependam pro tot & tantis bonis, optume Haller? Atque ſi reputo honorem, quo me adfeciſti, illo adeo inſigni, dum nomen meum illuſtrium & doctorum Virorum nominibus miſcere voluiſti; certe rubore ſuffundor. Quam ob rem & grates Tibi ago, obſtrictiſſimus, & ſimul gratulor optatiſſimum finem tædioſorum, ac difficillimorum laborum, quibus nullus ſuffeciſſet alter. Ægre audivi, lites Tibi moveri a *Günzio*; ſed nec minus intellexi, a partibus tuis veritatem militare. Interim ille non eſt ineptus homo, ut ex aliquibus ipſius ſcriptis cognovi. B. Boerhaavii Generum, Comitem Thoms, edere *Conſultationes & Epiſtolas*

*las Boerhaavii*, atque editurum *XVII voluminibus Boerhaavii Commentaria propria in Inſtitutiones med. proprias*: haud dubie noviſti; & ego reſcivi ab illuſtri Sanchés per litteras. Talia, ſpero, Te non adfligent. Licet enim Commentarius ille præſtare poſſet eo, quem dediſti: attamen notis tuis nemo umquam carere poterit. Inter mille lectores vix unum arbitror, earum tantum uſum feciſſe, quantum ego feci. Certum eſt, Boerhaavium, primis annis, nempe A. 1704 -- 1709 &c. &c. longe ampliores, & magis evolutas, lectiones dediſſe, quam quidem poſtremis. Cl. Bohlius poſſidet tale exemplar, quod 80. vel 100. florenis Batavis redemit, conſtans X voluminibus in 4to, ita tamen, ut una folii pagina ſemper fuerit vacua. In eo ſcripto memini vidiſſe figuras multas mathematicas, atque legiſſe, longe plura, quorum Boerhaavius, inter legendum, numquam mentionem fecit.

Clariſſ. Wagnero Lubecenſi jam diu ſcripſi, velit quantocyus ad Te remittere epiſtolium de *calculo &c.* Aſt, dum ab ipſo nulla mihi data ſit reſponſio, ignoro, an factum ſit, nec ne? Ambroſius Haude, bibliopola Berolinenſis, cui Mſtum auctum remiſeram, imprimi rurſum fecit meam de *peſte* ſcriptiunculam. Opinor ad Te ejus exemplar perlatum eſſe. Graviter ſane adcepi pauperrimam illam ſcripti magnificentiam. Si poſſibile eſſet, optarem, ut illud ſcriptum Göttingæ ſplendidius imprimeretur, miſſurus, ultimis navibus, Mſctum aliquanto auctum,

quod lubenter inſcriberem Hermanno L'Eſtocq, rebus medicis ſumme Præfecto, qui haud ita diu Imperii Comes factus, eſtque is ipſe, cui Weitbrechtus Syndesmologiam inſcripſit. Præterquam enim, quod exemplaria aliquot interea vendiderit: poterit ipſi reliquum, demonſtratis expenſis, ac traditis reliquis exemplaribus, vel a me refundi. Adeoque vel meo nomine poſſet inſeri Novis Litterariis publicis, quamvis Berolinenſem impreſſionem pro meo ſcripto agnoſcam, quum tamen ea oculis meis nimis diſpliceat, contra voluntatem meam pauperi modo impreſſa, me dare voluiſſe editionem aliam, cum aliquanto auctiorem, tum digniorem oculis. Vellem, ut ſcriptum ederetur in 4to majori, ea dignitate ac excellentia, qua nonnullorum tuorum ſcriptorum impreſſa ſunt. Adeoque te oro, ut ea de re cum tuo bibliopola convenias. Nihil deſidero, præter exemplaria tot, quot, eo conſentiente, determinaveris. Poſſet impreſſum eſſe inſtantibus Michaelis nundinis, ſi, uti me hercle! amas, epiſtola nuntiaveris voluntatem, mittendi reviſum atque aliquo modo auctum Mſtum. . . . Scribis, ubi de lacte commentaris, Helvetos parare ſerum lactis, ſine acido, incoctis ovis. Similia olim legi in Commer. litter. A. 1732. communicato a Gutermanno, ſed Camerario, Tubingenſi, debita. Semel & prima vice ſic paranti ſerum lactis, ſucceſſit A. 1739. Sed poſt id vel centies, & ſemper fruſtra, expertus ſum. Centena ova, & multos congios, eo experimento, hucusque perdidi. Rogavi *Gmelinum*, qui hæc igno-

ignorare ſe faſſus eſt. Reſcripſit Tubingam ea de cauſſa: atque ne unus ibidem, cui res hæc ſit cognita. Debet ergo in illo opere aliqua deſiderari encheireſis, quæ mihi non eſt perſpecta. Hanc a Te mihi revelatum iri confido, quum illud argumentum denuo publico commendaveris. . . . An didiciſti artificium Ruyſchii, injiciundi & ſervandi partes animalis? Id aperuit Joa. Chriſtoph. Rieger, qui prius fuit Ruſſiæ Archiater, in introduct. in res naturales & arte factas, titulo: *Balſamum*, & *Animal*. Tentanti mihi res hæc ſemper ſucceſſit. Illuſtris tui Soceri, Teichmeyeri, obitum admodum lugeo. Fuit enim, dum vivebat, magnus meus Patronus, qui me A. 1729. apud ſe cupiebat. *Kraft* Phyſicus, Tubingam, & Heinſius, Aſtronomus, relicta hac Academia, valde deſerta, abiverunt. Vale, meque amare perge, & reſponde. D. 31. Jul. 1744.

## 281.

## J. G. GMELIN.

Tantum Te in præſentiarum ſocordem ſpero in ſcribendo, ac me ipſum, certo novi. Meum, ſi quod eſt, crimen, ignoſcas quæſo. Quamdiu autem dulciſſima Tibi flora Te a ſcribendo revocat, eousque tantum abeſt, ut ſilentium tuum ægre feram, ut potius epithalamicum, ſi velis, miſſurus ſim, quo nuptiæ plantarum, quas colis, læte celebrentur. Faſciculum, quem D. D. Sanchez, Schreibero & mihi deſtinaſti, rite accepimus.

mus. Ego accepi hiſtoriam plantarum Helvetiæ, Catal. horti Gottingenſis, oryctographiam Callenbergenſem, diſſ. de purpura retrograda per veſicæ ulcus ſoluta, & aliam de frigore, pro quibus omnibus gratias habeo maximas, prima occaſione relaturus. Promiſeras etiam ſemina & plantas ſiccas; rogo, ut alio tempore mittas. D. Sanchez retulit, quod & quæ ad ſe ſpectabant, rite acceperit, meque rogavit, ut ſuo nomine gratias agam, donec tantum temporis lucrari poterit, ut ipſe hoc ſcripto faciat. Ego miſi faſciculum minerarum & terrarum, quas a me olim expetiiſti, una cum flora Moſcuenſi b. Gerberi, & plantis aliquot ſiccis, & tractatu de Cometa hic impreſſo. Hæc omnia tradidi Cl. Prof. Kraftio, qui 22. hujus menſis Cronſtadio navi abivit. Miſi etiam antehac faſciculum cum 19. herbis, de quo mihi jam relatum eſt, Berolino ad Te transmiſſum fuiſſe. Plures plantas ſubinde mittam. In primo faſciculo plantas ſub Alyſſi fruticoſi & Drabæ nomine transmiſi, de quibus jam non amplius dubito, ne vulgares ſint. Turritis mihi jam videtur eſſe Turritis vulgaris ramoſa T. ſed quare Tu cum Linnæo ad Arabin retuleris, nondum perſpicio. Nec glandulas nec ſquamas diſtinguere valeo. Filices jam plures obſervavi, miſſurus proxime una cum IX. Comment. tomo, qui jam demum prelum reliquit. Ptarmica Millefolii foliis tomentoſis &c. Gerb. Ind. Gott. 83. commode ad Pyrethrum tuum refertur. Ego jam 1739. deſcripſi & delineari curavi. Cirſium Hiſt. Alp. 15. p. 683. Tab. XXI.

an

an idem eſt cum illo, quod transmiſi? Cum multis & cum paucis capitulis occurrit. Eſt & alia ſpecies Gerberiana Cat. tui, foliis inferioribus laciniatis, ſuperioribus integris, ſubtus incanis, in omni Ruſſia & Sibiria frequens, cum qua an Amman. n. 183. eadem ſit, mihi latet; ego enim plantam nondum vidi, quæ Ammannianæ prædicato foliorum utrinque viridium congrueret. Antequam tua ſcripta viderem, Cirſium tuum 15. habui pro ſecunda ſpecie Cardui Roy. pr. & Gerberianum pro ſpec. 15. ejusd. Roy. Hac occaſione rogo, ut explices, ſub quibus nominibus plantas Tab. XXIV. Tu recenſeas. Videntur eſſe Taraxaci ſpecies, an forte Hieracium dentis leonis folio Taxacum 3. & Hieracium alpinum Taraxacum 6? Mitte quæſo ſemina Turritidis latifoliæ hirſutæ ſiliquis pendulis Amm. 79. Arnicæ Schr. & Hedyſari alpini ſiliqua lævi flore purpureo cæruleo Tourneſ.

Miror, Te ſpiritus ardentis præparationem ex lacte fabulis accenſere. Tatari, Buræti & Jacuti, quorum in hoc præparationis genere manipulationes ſæpiſſime meis oculis uſurpavi, quas & unica vice imitatus ſum, nihil certe præter lac adhibent, quod in ſaccis e corio factis fermentationi exponunt, & cum embolo bis aut ter in die agitant, & quamprimum vinoſum odorem ſpirat, deſtillationi ſine ullius rei additamento committunt. Equarum lac plus præbet ſpiritus, ac vaccarum, deinde vix alio tempore quam verno operatio cum fructu inſtituitur. Lac ego puriſſimum

riſſimum vaccæ in vaſe puriſſimo fermentationi expoſui, hoc fermentatum debiliſſimum ſtillabat ſpiritum, qui Tataria lingua Araka audit. Sed rectificatus omnes proprietates ſpiritus ardentis obtinet. Nullis omnino frumentis hi populi utuntur, & panis adeo apud ipſos peregrinus eſt, ut a peregrinantibus aut vicinis Ruſſis eum in finem expetant, ut infantibus ſuis exhibeant, loco ſacchari, quod aliis gentibus in uſu eſt. Ipſi autem vel pueri adhuc eo abſtinent. Forte Mongoli & Chalmucci frumentum fermentato lacti addunt, hocque eo minus in dubium voco, quod mays, tritici & milii cultura ipſis familiaris ſit. Tam amplas ſupra nominatæ gentes alunt pecuarias, ut multa lactis copia ſine uſu periret, niſi ſpiritum ex illo deſtillarent, quo & ipſos ducit religionis quædam ſpecies, cum privum ver illud unicum tempus ſit, quod putatitiis ſuis Diis dapes libent, quæ conſiſtunt in lacte fermentato & ſpiritu ex illo parato.

Dabam Petropoli, d. XXXI. Jul. CIↃ IↃCC XLIV.

282.

## J. JACOBUS DILLENIUS.

Pervenere ad me favore Scidelii litteræ tuæ 28. Mart. & 7. Octobr. 1742. ſcriptæ, quibus ego reſponſum nondum dediſſe maxime erubeſcerem, niſi excuſationem haberem valde gravem. Nempe ante ſeſquiannum per aliquot dies hic degens

gens Gmelinus junior, narrabat ſe a Hugone filio litteras habuiſſe, quibus Te graviter ægrotare, immo de morte nunciabatur. Ita ego per longum tempus dolui, & propria etiam valetudine afflictus langui. Nunc melius & de Te tum ab aliis, tum a Breynio nuper intellexi, Te bene valere, de quo gratulor. Scribis Te miſiſſe ad Seidelium librum tuum de Stirp. Helv. & idem ab ipſo præterita hieme, qua demum appulit, intellexi, licet librum in Germania cum aliis rebus reliquerit, nec dum acceperit. Interim ego gratias ago maximas. Ceterum non inhio ejusmodi muneribus, ut quidam ſolent, & mallem ſoluto pretio comparare omnes libros, qui deſunt, ſi poſſem: ſed maxima hic loci difficultas eſt adipiſcendi libros minores in Germania & aliis transmarinis regionibus impreſſos. Liber tuus a Bibliopolis Londinenſibus venditur duobus Guineis, cauſam pretii dicunt, quod 200. tantum exemplaria impreſſa ſint. Ego ſemper in Tabula habeo & multa ex eo diſco, pauci autem ſunt libri botanici, ex quibus doctior redeo. Deſcriptiones ſunt nervoſæ & accuratæ, placent charactères & præfero aliis. In ſynonymis, ut libere dicam, a ſententia tua interdum recedo. P. 521. n. 2. dicis non placere figuram Fuchſii: cur eo retuliſti, cum ſit Echii, eaque non admodum bona! Ad plantulam illam, quam Portulam olim non neceſſario & minus bene dixi, refers Glaucoidem maritimam &c. Rupp. & Portulacam ſpuriam ejusd. An vero methodice ſcribens & admirabili memoria præditus poterat eandem plantam

tam ſub diverſis claſſibus bis ponere? Verum Rupp. per Glaucoidem intellexiſſe videtur Glaucem Tournef. quam ita dixit, ut diſtingueret a Glauce Riv. Utrum planta hic creſcens ſpecie diverſa a maritima, inquirendum. Vix credo. Sub Hydrocotyle notas recte C. Bauhini Ranunculum aquaticum umbilicato folio Col. cum Hydrocotyle confudiſſe, ſed dum Ranunculi veram ſpeciem pronuntias, erras, a Ruppio forte & Vaillantio ſeductus. Recte vero Hydrocotyle dicitur a Michelio in H. Pis. novi plantam bene, & vidi ſemina ejus. Quam plantam, ſi diverſa a Columna, intelligat Rupp. Fl. Jen. p. 82. Vaill. Comm. des R. Sc. 1719. p. 37. n. 2. me latet. Centaurium minus ad Gentianam referre nequeo, ob diverſam floris & calycis formam, ſtamina etiam & antheræ diverſæ, quicquid ſit de vaſculo. Centaurium quidem luteum perfoliatum bicapſulare eſt. Poſſet forte meliori jure Menianthes eo referri, cum & Sweertiam, cui Linnæus tubam ſimplicem tribuit, Gentianis reliqueris. Quamvis ego mallem diſtincta eſſe, quæ diſtincta ſunt, & plus apud me valeat habitus & facies plantæ diverſus, quam minutarum quarundam convenientia. Quænam vero eſt ſimilitudo Gentianæ cujusvis, vel cum Centaurio vel cum Menianthe aut Nymphoide. Et ſunt alia quidem, quæ epiſtolæ modus non capit.

Plukenetii opera poſthuma nulla novi, nec edita, nec edenda. Sunt Tabulæ 454. variis temporibus publicatæ, quarum nomina in Alm. Man-

Mantiſſa & Amultheo traduntur. Bibliopola Innys coemit & novum fecit titulum 1720. L. Pluk. opera omnia botanica, in 6tomos diviſa, &c.

De methodo & novis nominibus diſputare non vis; nec ego. Saltem Onomatopoeiam Linnæi, cui nimis tribuis, admirari nequeo. Quid vero ſunt verba illa ex Smolandia delata: terminatrix, folia binata, ternata, quinata, triloba, quinqueloba, amplexicaulia &c. Didici, ni fallor, ex Gesneri horto olim, plantas amplexicaules eſſe, quæ caulibus ſcandunt, illa vero nondum legi nec apud latinum, nec botanicum auctorem. Cur, qui non niſi græca & latina vult nomina, americana & barbara adhibet, Anona, Datura, Moluca &c. Sed ego a longo tempore nihil a Linnæo habui litterarum. Vereor, ne offenderim, quod deſideravi, ne farciret literas fragmentis plantarum, de quibus certior reddi vult. Is multa fecit nova genera, a veteribus non diverſa. Cum eſſet Oxonii, vidit leguminoſam (quæ nunc periit nobis) dictam Melilotus ſiliqua membranacea & compreſſa Act. Petrop. Tom. VIII. p. 209. quam Trigonellam ſalutavit gener. 880. A me monitus, quod Fœnugræci ſpecies ſit, primo obſtitit, ſed re melius penſitata in epiſtola eo pertinere cognovit: verum ut ſe & opinionem ſuam ſalvaret, in nova generum editione n. 724. Fœnugræcum inauſpicato Trigonellam vocavit. Diodia ipſius & Gronov. eſt ſpecies Spermacoces. De Cluſia & Dill. (ſic) ipſius multum cum ipſo certaminis, me ejusdem, illo diverſi

generis affirmante. Miſit fragmenta Hellebori Fumariæ foliis Amm. Ruth. & ſententiam exquiſivit, videbaturque ipſi novi generis cupido. Hellebori quidem ſpecies non eſt, ſed alius cujusdam vulgaris generis, quod tibi, ſi vidiſti, probe notum novi (Iſopyrum). Iſtiusmodi plura ſunt apud ipſum genera, nonniſi nomine diverſa, alia mire confuſa, & quot non errores in horto Cliff. quam egregiæ ſpecies pro varietatibus venditatæ, v. gr. Aloes ſpecies. Olim ipſi auctor fui, ut notas characteriſticas contraheret & differentias tantum enumeraret, ſed ſurdo narravi fabulam. Quot non apud ipſum genera, vix uno alterove verbo differentia? Sit ſua cuique voluntas.

Gaudeo Adverſaria Ruppii in tuas perveniſſe manus. Novi hominem a puero, in ſolis plantis ſapientem, ſat acri ingenio, memoria admiranda, duro, brevi & compacto corpore, oculis lynceis, pedibus indefeſſis, ſed moribus ſordidis, gula arente, mente aliena & per intervalla delira. Egregius Botanicus cynicus, vel ſi mavis venator plantarum, plantas, cum eſſet Gieſſæ, nullas ſervabat: in marſupio per unum alterumve diem circumferens ruminabat, mox memoria fiſus omnes projiciebat. Fuit aliquo tempore miles gregarius Francofurti ad Mœnum & norat omnes plantas valli urbis. Libros nullos poſſidebat, quos mutuo acceptos legebat, cranio arctiſſime includebat. Jenæ juvenis, febre, ut ajunt, extinctus. Frater ejus natu major Gieſſæ degit, dives, ut audio, factus. Tu forte

forte plura, quam ego, de vita ejus Jenenſi & Lipſienſi audiviſti.

Si quos velis in Hiſt. deſcriptos Muſcos, mitte numeros & habebis, quot mihi reſtant, modo Tibi aliquis ſit Londini, qui accipiat & transferendos curet. Vale & me oma. Oxonii 14. Aug. 1744.

Audio quendam Fabricium Butisbaci Schediasma quoddam contra me edidiſſe. Quis quæſo ejus titulus, de qua re ibi agitur, an lectu & reſponſione dignum eſt?

283.

## J. F. SCHREIBER.

Per *Gmelinum* noſtrum adcepi exoptatiſſimas Tuas, d. 3. Septemb. ſcriptas. De VI tabulis, quas publicaſti, non habeo, niſi eam de Diaphragmate, & de Medulla ſpinali, nempe in Tractatu *Huberi* (ea eſt *Huberi*). Certe illa *Baſeos cranii* carere nollem. Eſt enim valde eximia, quam vidi apud *Weitbrechtum*, ut de ea Tibi merito multum applaudam. Novi aliunde, eam exactiſſime exprimere naturam. Indigne tecum egiſſe *Günzium* diſplicet: verum, deſtitutus tabulis tuis, litem ignoro. Diu ſuſpicatus ſum, adverſarium tuum ſubornatum eſſe. Quæ & qualia Tibi ante ſignificavi de inſtituto Comitis *Thoms*, ea omnia reſcivi per litteras illius: D. Sanchés, qui clara

 ver-

verba addiderat, ſe hæc Leida adcepiſſe &c. &c. Portio inteſtini, quam mihi benevole miſiſti, eſt egregie repleta: verum multa evaſata mihi ibi vidiſſe ſum viſus. Ais, Te legiſſe methodum *Ruyſchii* (ſcilicet in Riegeri introductione, &c.); adtamen fateris, multa deeſſe, præcipue in cera injiciunda. Verum omne illud artificium conſiſtit in ſebo. Ita primum meum opus fuit injectio brachii, ſed elegans: ubi præcipue 2 magnæ arteriæ radiales viſebantur. Replendo caput per arterias carotides, nec ligatis per incuriam vertebralibus, textum vaſculoſum retinæ, vaſa verticoſa choroidis, adeo eleganter replevi, ut mihi artifici, omnium certe minimo, diffiderem. Repletionis noſtræ ſpecimen puto me Tibi miſſurum, oculis tuis dignum ſummus replendi artifex, Operator Van Melln, organon auditus, eleganter parat, ut omnes partes in ſitu, ope plurium cochlearum argentearum, quas ipſe parat, oſtendi poſſint. Indicem partium corporis humani, qui hic prodiit cum tabulis, haud ita diu per naves ad Wagnerum miſi, qui illum ad Te ferri curabit. Ultimo novos honores ex animo Tibi gratulor. Vale, meque amare perge! Petropoli 17 $\frac{25}{9}$ 44.

## 284.

## J. G. GMELIN.

Si quæ olim circa Floram Moſcuenſem animadvertes aut totam cum tuis notis edes, rogo quam maxime

maxime, ne ſcribas, qua ratione acceperis. Siegesbeckianam editionem forte fruſtra expectabis; ſaltim brevi expectare non licet. Nam res Academiæ noſtræ adhuc in pejus ruunt. Deinde publicum plus ex tua quam Siegesb. editione proficiet. De Lactuca Salicis folio Amm. quæ certiſſime Sonchi ſpecies eſt, ſcire vellem, an Tu diſtinguas a veſtro & Lapponico Soncho cæruleo; nam folia interdum illi ſimilia habet. Scabioſa flore ochroleoco diverſa a Cluſiana forte ex Gerberianis ſeminibus prodiit, quam & ego hac æſtate primum vidi. Valeriana lutea humilis Amm. n. 25. certiſſime quinque ſtamina perpetuo producit, uti ſequens procerior perpetuo quatuor. Cæterum non diffiteor, ad Valerianam referri poſſe, licet ſcuto ſingulis ſeminibus appoſito, & cum ſemine incrementum capiente a reliquis Valerianis aliquantum differat. Coriſpermum noſtrum, quotquot ego in Sibiria exempla luſtravi, uno plura ſtamina proferre non vidi. De itinere ſuperiori ætate feliciter peracto & fertili, Tibi & orbi gratulor. Fac, ut fructus etiam ad nos gelidos homines perveniant. De novo in Boerhaavium commentario multa ad oſtentationem usque protuliſſe dicunt Kaauw Boerhaave, proditurum eſſe in XVI tomis, & commentarium continere propria Boerhaavii manu exaratum. Semina quædam, ut ante ver accipias, curabo. Incluſæ a Schreibero litteræ jam per ſeptimanam apud me jacent. Nimium laboribus diſtractus ſum, ut ſcripturæ epiſtolarum pari cum aliis diligentia incumbere poſſim. Vale, optime amice,

& me amare perge. Dabam Petropoli, 6. Octob. clↄ Iↄcc xliv.

Incluſas Tubingam litteras rogo, ne includas litteris ad D. Duvernoi exarandis, quia animadverti.

## 285.

## D. LUDWIG.

Recenſio T. V. & VI. operis tui Boerhaaviani in novis noſtris literariis jam exhibita fuit, brevis quidem.

Nondum adhuc in ſententiam tuam abire poſſum; ranunculum verticilliformi radice mutari in repentem hirſutum, hic amat loca paluſtria, illum vero nonnunquam in paluſtribus locis vidi, ſed characterem ſervabat, imprimis in reflexis calicis laminis. Sed examinabo proximo vere.

Maximas Tibi gratias habeo, quod terras Sibericas mecum communicare volueris, nec non alia curioſa ad materiam medicam pertinentia. Remunerare vellem, ſi quid ad manus eſſet, quod tibi placeret; dedi igitur ſemina nonnulla, inter quæ nonnulla nova invenies.

Waltherus, qui gratias tibi agit, quod varia eidem mittere volueris, cum magno morbo conflictatur. Scirrhoſa inteſtini recti tubercula in altiori inteſtini recti ſede poſita illum male habent, inde oriuntur varia ſymptomata, quibus pene

pene conficitur. Ego nunc horti curam habeo & ſemina collegi bene multa, quæ nondum in ordinem redegi; quæ enim tibi mitto, carptim tantum congeſſi, plura dabo ante tempus vernale proximi anni, ubi noſtra in ordinem redigo.

Si Waltherus moritur, neſcio fata noſtri ſtudii botanici Lipſienſis, licet enim in variis hortis multa ſparſim colliguntur, Waltherus tamen omnia in unum coegit.

Heinſius Profeſſor Matheſeos in Academia noſtra renunciatus fuit, maximo omnium applauſu. Schulzius vero Halenſis obiit pauperrimam, relinquens viduam & liberos.

Gerberus Floram Moſcuam mihi mittere voluit, ſed cum in tuas manus pervenerit, pergratum mihi eſt.

Cel. Hardy Anglus Lipſiam ſalutavit, dixit ille, Dillenium mortuum eſſe.

Linnæus diu non ſcripſit, licet multa promiſerit; miſi ei libros & ſemina, ille nihil promiſit. Varietates paucas ex experientia cognovit, multas ex analogia determinavit, inde error. Dillenius ejus cenſor eſſe poſſet, minime vero Heiſterus & Siegesbeckius, qui, ut ipſe ſcis, mediocri cognitione botanica imbuti ſunt. Linnæus vero, ut ego quidem opinor, pauca præ-

 ſtabit

ſtabit in botanicis, nunc enim hortum habet ampliſſimum Upſaliæ, ſed paucas plantas, & clima non favet. Apparatus etiam librorum minor eſt quam Cliffortianus.

Dabam Lipſiæ, d. XVIII. Octobr. 1744.

286.

## JOH. GESNERUS.

Quæ ex eo tempore, quo priorem epiſtolam tuam accepi, mihi acciderint, forte ex D. Hegnero jam olim intellexiſti. Peripneumonia admodum gravis, quæ tempore verno hinc inde apud nos graſſata eſt, me adeo proſtravit, ut poſt aliquot ſeptimanas demum muneribus meis obeundis par fuerim. Firmandæ ſanitatis gratia ſero lactis medicato uſus ſum apud Affinem meum in præfectura Knonavienſi, unde Lucernam petii, ut adirem M. Fractum, neminem vero inveni, qui comitaretur. Cel. Langii filius Med. D. potiſſimum aureæ praxi incumbit, ita vero, ut patrios theſauros lapideos vendere in animo habeat. Cæterum humaniſſimus vir parente adhuc vivo totum Muſeum lapideum magno temporis diſpendio in tabulis pictis repræſentavit. Vix tamen hodie multum huic ſtudio incumbere videtur; neque catalogus plantarum Lucernenſium unquam ab eo conſcriptus, multo minus editus eſt, quamvis titulus operis a parente fuerit

rit diſtributus. Tandem circa finem æſtatis thermas petii Badenſes, ut ad rheumatiſmos & congeſtiones circa pectus & præcordia diſpoſitum corpus firmarem. Equidem optaveram æſtatis magnam partem in ſuaviſſimo tuo conſortio tranſigere, cum nullus dubitarim, Te in patriam rediturum eſſe, maxime cum de honorifica tua promotione in Senatum frequentiorem fere certus fuerim, poſtquam ex magnificentiſſimo D. Eſchero, Conſule noſtræ Reipublicæ, intellexiſſem, magniſ. D. Steigerum, cum Te in literis ipſi commendaſſet, non indubiam de ejus in Te voluntate fidem dediſſe. Opto ſaltem, ut dilatio, quæ in proximum annum facta eſt, Reipublicæ veſtræ tibique ſit ſalutaris. Dolebam ſane eruditiſſimorum Königiorum fata, ea occaſione exorta, eos nunc audio optima in Belgio fortuna frui, qua ſane digniſſimi ſunt, cum eximia in Matheſi ſublimiori ſcientia eos ornet. Dici non poteſt, quanti te faciant. Eodem tempore dum hic Tiguri commorati ſunt apud amicum meum D. Ottium mihi ſuaviſſimo conſortio Cel. Stæhelini & Schœpflini per aliquot dies frui licuit, tam jucunda mihi fuit hæc converſatio, ut nihil magis, frequentiſſima autem Tui mentio facta eſt, ut ad noſtra gaudia ſola tua præſentia adhuc deſiderari videretur, opto autem & obſecro, ut id quam proxime fiat, ut ſpero ab amiciſſimo Stæhelino facile impetrabo, ut Te Tigurum comitetur. Communis quoque amicus noſter D. Gillerus, qui Te plurimum ſalutat, nil magis optat, quam ut Te aliquando in patria ſalutare poſſit.

M 5 Quod

Quod ad plantas attinet, paucas rariores inveni, ſcilicet Cytiſum ex monte Irchel inter Tigurum & Scaphuſiam, cujus jam olim meminit Gesnerus, Lapathum flore pulchro, tum & Pezizam ochraceam cylindricam intus cavam, quæ mihi in horto ex Sabina enata eſt. Alpinas ad Te per D. Ehrhardum mitti audio, eas procurat D. Walſer paſtor im Speicher apud Abbatiscellenſes, homo eruditus & in perſcrutandis montibus Abbatiscellanis & Rhæticis admodum curioſus, quamvis ſcientia botanica aut hiſtoriæ naturalis parum ſit inſtructus, ſingulari tamen amore in hæc ſtudia fertur. De emendo herbario Scheuchzeriano vix ſpes ſupereſt, dum in manibus viduæ D. Johannis Scheuchzeri adhuc ſervatur, quæ adeo eſt ſuſpicioſa, ut ne inſpectionem aut curam ejus ulli amicorum velit concedere. Bauhinianum facilius obtinebis, uti audio ex D. Witmero, Medico Norimbergenſi, qui ex ore Bauhini Medici id mihi retulit; obtinuiſſent Baſilienſes Medici, niſi pretium reformidarent.

Commentarii Mſc. in Boerhaavium rite mihi præteritis nundinis redditi ſunt una cum egregiis nonnullis diſſertationibus, tum etiam opuſculis tuis, pro quibus plurimas habeo grates.

Præterito Julio D. Micheli, qui in bello civili Genevenſi adeo inclaruit, & eam ob cauſam hic nomine D. de Corſigny latere maluit, per ali-

aliquot ſeptimanas Tiguri commoratus eſt, & mihi non modo liberaliter quædam ſua Thermoſcopia donavit, ſed pluribus experimentis oſtendit, qua ratione & conſtruenda ſint, & quam multis modis hactenus cognita omnia ſuperent, dum plures modos proponit caloris gradus determinatos exhibendi. Conſtructa ea ſunt ad ſcalam 100 partium a temperie cryptæ in obſervatorio regio Pariſienſi ad aquam ebullientem, Barometro ad 27′ 9‴ conſtituto & Thermometro integre aquæ fortiter bullienti immiſſo. Parantur ex ſpiritu vini, qui pulverem pyrium incendit; quamvis eadem quoque ex mercurio & oleo lini conſtruat. Suæ vero ſcalæ ad latera adpoſitæ ſunt ſcalæ Thermometri Fahrenheitiani, Newtoniani, Delisleani, Amontoniani, veteris in obſervatorio regio ſuſpenſi, & Reaumuriani, ita ut hocce Thermometro omnis generis obſervationes facillime comparari poſſint, plures enim obſervationes ipſi Tabulæ inſcribuntur. Magnam harum copiam per univerſam Europam, Aſiam, Africam & Americam gratuito diſtribuit, ut tanto certiores caloris obſervationes inſtitui poſſint; plura colligere poteris ex ejus tractatu de Thermometro univerſali Lutetiæ a. 1741. impreſſo in 8vo.

Reliquiæ operis botanici Geſneriani ex Volkamerianis ſcriniis tandem ad D. Trew pervenerunt, qui nuper elegantem & ſpecialem operis conſpectum ad me dedit: maxima pars in figuris

ris pictis conſiſtit, quæ pleræque apud Camerarium in epitome inſeruntur. Idem Cel. D. Trew rariores plantas ſui Muſæi in Iconibus pictis edere cogitat. Dabam Tiguri d. 16. Nov. 1744.

287.

## JOANN. FRID. MECKELIUS.

Ad me quod attinet, decimo quarto Novembris, quæ Dei eſt gratia, ſalvus ac incolumis huc perveni, neque in itinere verſatus juſſa tua, Magdeburgi, ad Honoratiſſimum virum Sulzerum data, exſequi intermiſi, qui vero jamjam libro iſto, quem illi benigne promiſiſti, Ruppii nempe flora Jenenſi, id quod valde miratus eram, diu inſtructus, gratias tibi pro tuo hoc favore agit humillimas; in libro autem ceterum elegantiſſimo, id tantum deſiderat, quod doctiſſima illa, quibus Tu uteris nomina plantarum ſpecifica deſint. Monſtravit ille Reverendus Sulzerus mihi plantam, quam ibi loci invenit, flores in capitulo ſcabioſæ ſimili gerentem, in ſtirpibus helveticis tuis, uti ille putavit, non annotatam, quam vero ſiccam, radice foliisque deſtitutam, cognoſcere non poteram, viderimne illam, nec ne.

Ceterum formoſas quasdam adhuc plantas & inter eas, niſi fallor, Aſterocephalum illum Sibericum flore flaveſcente abunde Magdeburgi inveni, ita ut non dubitem multis formoſis plantis hanc

hanc regionem obſitam eſſe, id quod etiam ex herbario doctiſſimi Sulzeri ſatis mihi eluxit, qui tamen, uti ipſe confeſſus mihi eſt, valde negligens in plantis colligendis fuit, ac vallum tantummodo hortosque obambulando, eas, quibus inſtructus erat, plantas collegit.

Quales hic loci, in quo jam dego, ſint Profeſſores, quemque lectionum ſuarum ordinem obſervent, ex illo, quem appoſui, lectionum catalogo abunde Tibi apparebit. Inter hos vero Scharſchmidtius munere ſuo ac Profeſſoris dignitate a Rege privatus eſt, quibus vero ex cauſſis, meipſum adhuc latet. Reſtat tamen admirando proponendi dono ornatus Practicus Sprœgelius, qui vero ob nimiam ægrotorum, qui illi viſitandi ſunt, copiam, parum temporis lectionibus privatis dare poteſt, Scharſchmidtius autem lectiones privatas practicas domi adhuc format. Anatomia cadaveribus ita abundat, ut unius ſeptimanæ ſpatio tredecim eorum allata fuerint, quare non equidem difficile eſt proprio cadavere ad diſſecandum potiri, quippe omnes illi chirurgorum, qui ſumtibus Regiis anatomiæ ac chirurgiæ ſtudent, abhinc cum exercitu in Bohemiam delati ſunt; ſed proh dolor imperiti ac ſtupidi, qui cadavera diſcindunt, barbitonſores, tam frivole cadaveribus abutuntur, ut certe non ſine animi dolore adſpici poſſit. Infantem ego adeptus ſum anni unius, in quo, cera repletis vaſis, angiologiam præparare, conſtitutum mihi eſt; ſed proh dolor Tu, Vir Illuſtris, jam mihi dees, Præceptor

tor ac ſtudiorum meorum Inſtaurator ſapientiſſimus, cujus tamen doctiſſimis præceptis calamo ac memoriæ meæ mandatis, jam non ſine ſumma voluptate ſummoque fructu utor, & licet pro ingenii mei debilitate parum certe ſciam, me tamen ea omnia, quæ tum in anatomicis, tum phyſiologicis, chirurgicis aliisque medicinæ partibus teneo, Tibi ſoli debere, ingenue fateor nihilque unquam majori mihi gloriæ ducam, quam quod tuorum doctiſſimorum præceptorum auditorem favore tuo inſigni, me per tantum tempus eſſe licuerit. Det Deus, ut mox redienti mihi hic honos porro contingat.

Regem in Bohemia adhuc degentem nondum videre mihi licuit, nec ſpes eſt, eum hac hyeme huc eſſe rediturum. Ceterum ſplendorem ac magnitudinem hujus urbis ſatis admirari nequeo, quæ majorem palatiorum quam domuum multitudinem continet.

Dabam Berolini, die XX. Nov. CIↃ IↃCC XLIV.

288.

## A. RIBEYRO SANCHES.

SI annum fere integrum in itineribus conficiendis non conſumpſiſſem, jam dudum cognitum, perſpectumque haberes animum, quo Te, Perilluſtris Vir, proſequor, devinctiſſimum; cum ob ultima tria commentariorum ad Inſtitutiones Magni Præceptoris volumina, utique ob ſcripta de

de cerebro monſtri, de nervoque intercoſtali, tum ob ſingularem, quam de me ſervas, memoriam, quoties ad optimum virum noſtrique integerrimum amicum D. Gmelin ſcribis: Multa præterea me Tibi propenſiſſimum, beneficiisque obſtrictum quotidie impediunt: ſub carnificina illa hypochondriacorum torqueor; quod, niſi expertus, vix credes, ſi intellexeris, remedia, quæ aliis ſalutaria, mihi funeſta accidiſſe. Nam motus ſub longis itineribus ſuſceptus, campeſtrisque aër corpus tenerum jam ita delaſſarunt, ut ad minimum motum fatiſcerem: tunc enim temporis curis aſſiduis ſollicitudineque mens in conſervatione cariſſimorum capitum tota diſtracta, tota intenta erat, ut gaudio illo, quo viatores refici ſolent, penitus carerem. Tamen Commentariis tuis, viaticum, quod mihi de induſtria ſub itinere Kiovenſi aſſumpſi, aliquando ſolabar. Tam docte, tam recondite opus de Generatione tractaſti, ut venturis omnem ademeris laborem: reliqua pari doctrina elaborata, concinnataque impellunt me lectiones, quas de *morbis oculorum*, *nervorumque* a Magno Præceptore habitas paras edere, quamprimum prenſare; præſertim ſi Commentaria, qualia ſis ſolitus adjungere a Te elaborata, adjunxeris. Solum ſimilibus cedro dignis chartis, vitæ tædium, mœroremque, qui ſub inſomniis omnium fere noctium mihi naſcitur, tantum ſolari poſſem: hoc modo compenſabis jacturam, quam ægre fero, Actorum Edimburgenſium, quæ in ultimo volumine declaratur: neque minus Commentariorum cari doctique amici

van

van Swieten; ita intelligo antiquis moribus virum precibus Reginæ Hungariæ denique victum provinciam Archiatri accepiſſe.

Tantam voluptatem recenſionem legens Hiſtoriæ Plantarum Helvetiæ in Actis Regiæ Societatis Londinenſis percepi, ac ſi meæ res ibi agerentur: in tali loco, a tantis Viris laudari, pluris facio, majus duco, quam Principibus & Regibus placere. Gratulor equidem, & ex animo Tibi gratulor; quia ſi magni ſunt ſuſcipiendi propter gloriam labores multi monumentum nominis, quamvis Tibi dudum ſit debitum, ſine ambitu jam retuliſti.

Dabam Moſcuæ ad 4. Decembr. 1744.

## 289.

## J. G. GMELIN.

Diu profecto ſiles, & ſilentio tuo metum infligis amicis tuis, quorum hic permulti ſunt, metum, ne ſiniſtri quid Tibi acciderit. Solus Schreiberus nobis eſt ſolatio, qui putat, Te lares helveticos viſitatum iviſſe. Ut Deus omne malum a Te avertat, ſerio exopto, & ut nobis notum facias, quod averterit, enixe peto. Ex novellis publicis vidi, Floram Ruppii tuis acceſſionibus auctam prodiiſſe. Cura, quæſo, ut primo vere accipiam. Litteras incluſas ante aliquot dies accepi, quas ſolas mittere nefas duxi. De iis Autor ad me ſequentia ſcribit: „ Je ſçai, que cette lettre eſt bien

„ retar-

„ retardée, & ſi vous n'y m'auriés pas invité, „ je ne prendrois pas la plume à la main. &c. &c. *α*).

Vale & me amare perge. Dabam Petropoli d. xv. Decembr. 1744.

P. S. Inſtans annus ut fauſtus Tibi contingat, ex toto animo precor. Incluſarum Tubingam litterarum curam ut in Te ſuſcipias, eamque in bonam partem interpreteris, rogo.

*α*) Quæ hic deſunt, ſuperſtiti viro diſplicitura malui delere.

290.

## JOH. GESNERUS.

Mineræ Ruſſicæ gratiſſimæ erunt, cum plane ex Ruſſia nil foſſilium aut ſtirpium habeam. Accepi etiam, quæ Berna tuo nomine ad me miſſa ſunt foſſilia, & gratias plurimas ago. Si amici tui (Te enim foſſilibus non delectari ſcio) ex Helvetia quædam deſiderent, omni animi promtitudine reſpondebo, ex Scheuchzeri operibus, præſertim Muſeo, quæ ſit noſtra ſupellex, intelligere poterunt. Quantum vero vellem plantulis meis theſauros tuos botanicos augere! Ex inſpectione herbarii aut catalogi noſtri, quando Te præſente lætabimur, indicare poteris, quæ tibi gratæ ſint futuræ. Ruppium nondum vidi, ſed Boerhaavianas Conſultationes & epiſtolam Schreiberi. Varia phyſica, præſertim quæ hiſtoriam Cometæ & miranda electricitatis phænomena concernunt, cum Schreiberi meditt. de peſte nuper ex Germania accepi, tum etiam ciſtulam elegantiſſimis inſectis Germaniæ nitidiſſime conſervatis plenam, ultra 200. continentem ſpecies. D. Bazin miſit elegantiſſimum opuſculum de Apibus, & alia de plantis, animalibus & chalybe; tum etiam D. Grauel, Prof. Phyſices Argentoratenſis, quædam opuſcula phyſica, & foſſilia.

D. Trew plantas rariores in ſingulis tabulis figuris pictis Auguſtanorum more promittit, addet ſpecimina operis Gesneriani, de quo amplam

ad

ad me dedit deſcriptionem, cum vero ad manus hoc tempore non ſit, ſpecialiora ſcribere non poſſum. Si deſideras apographon, mittam. Quæ de Herbario Bauhiniano ſcripſi, habui ex ore D. Wittweri, Medici Norimberg. Bauhino Medico admodum familiaris.

Michelius Capitaneus, ille ipſe eſt, qui adeo in bello civili Genevenſi ann. 1737. innotuit, qui cum patria ſua in gratiam non potuiſſet redire, Lutetiæ ex eo tempore degens potiſſimum ſe ſtudio geometrico & philoſophiæ experimentali dedit. Nunc denuo ſuam & civium Genevenſium cauſam agere cupiens Tigurum venit, & ſuæ ac civium cauſæ momenta in libello tradidit Magn. Conſuli, inde Scafuſiam iter faciens Bernam petiit, ibique Magn. Conſuli d'Erlach eundem libellum novis rationibus auctum exhibuit. Berna vero Senatus Conſultu intra 24. horas abire juſſus fuit. Nunc Tiguri degit, & ſuam cauſam urget, quam defendere cupit, aut juſſus abire. Emendationes quas Thermometris attulit, ſane non exigui ſunt momenti. Spiritu vini utitur, qui pulverem pyrium incendit. Terminos fixos caloris habet 1. aquam ferventem ſub data gravitate athmoſpheræ ſive altitudine Barometri, Thermometro integre in aquam immerſo. 2. Aquam intra glaciem (ſive quæ ex reſoluta glacie habetur). Terminum hypotheticum medium ubi initium numerandi ſurſum vel deorſum deſumitur, eſt temperatura caveæ obſervatorii Pariſienſis, qualem fere temperiem pleraque loca ſubterranea

 habent,

habent, niſi externis cauſis vel acceſſu ignium aut vaporum calidorum mutentur. Moles ſpiritus vini in aqua fervente ſub data altitudine Barom. 27″. 9‴. eſt ad eam in temperie aëris ut 1009 : 909. & ad gradum frigoris in aqua intra glaciem ut 1009 : 898, $\frac{1}{4}$. In ſuis & quæ ego parabam Thermometris, temperies aëris ad eam in aqua fervente dabat in noſtro aëre, dum Mercurii altitudo erat 26″. 8‴. rationem molis ut 909 : 1007$\frac{1}{8}$. Quod cum ejus æſtimatione ſatis accurate convenit. Cæterum demonſtrat, Mercurium oleum lini & alia liquida pro Thermometris adhibita plane diſſimiles habere a variis gradibus frigoris & caloris rarefactiones, & ex his obſervationibus varias Tabulas conſtruxit, quas manuſcriptas mecum communicavit, quarum ope cujuscunque generis Thermometra cujuscunque molis parare novit. Quædam & generaliora ex ejus tractatu Lutetiæ edito de Thermometro univerſali habentur. Multa plura vero ex poſterioribus obſervationibus ſuis collegit, maxime circa formationem glaciei & alia huc ſpectantia. Præcipuas obſervationes, quas ſuis inſcrit Thermoſcopiis, in ſcheda hic adjicio. Si ſpecialiora deſideras, mone.

Tu vero vale; novi anni auſpicia cum lectiſſima conjuge Tuisque omnibus lætus ingredere, meque ut ſoles amare perge. Te ſalutant amici.

Scribebam raptim Tiguri d. 17. Decembr. 1744.

*Degrés*

*Degrés de Chaleur & de Froid dans le Thermomètre du* Sr. Micheli du Crêt.

| | degrés. |
|---|---|
| L'Eau bouillante - - - | 100. |
| L'Eſprit du vin bouillant - - | $73\frac{1}{6}$ |
| Fonte de la Cire vierge - - | 51. |
| à Sénégal, ann. 1738. - - | $29\frac{1}{4}$ |
| à Marra a. 1736. - - - | $25\frac{7}{8}$ |
| à Pondicheri a. 1737. - - | $23\frac{1}{4}$ |
| à Paris a. 1738. - - - | $20\frac{1}{6}$ |
| Tempéré - - - - | 0 |
| L'Eau dans la glace - - - | $10\frac{2}{3}$ |
| Congélation - - - - | $12\frac{3}{4}$ |
| à Paris 1740. - - - - | $21\frac{1}{4}$ |
| - - 1742. - - - - | $23\frac{1}{4}$ |
| Congélation forcée avec le Sel am̃oniac | $25\frac{1}{4}$ |
| à Paris 1709. - - - - | $26\frac{1}{4}$ |
| Congélation forcée avec ſel marin - | $29\frac{1}{8}$ |
| à Tornea an. 1737. - - - | $43\frac{1}{2}$ |
| à Kamtſchatka - - - - | $46\frac{3}{4}$ |

291.

## D. LUDWIG.

Waltherus noſter ſe Tibi quam optime commendat, vitam agit imbecillem & miſeram, & unicum quod paucæ horæ concedunt ſolatium, in lectione librorum poſitum eſt, licet de reliquo & collegium publicum & praxin quandam medicam non prorſus negligat. Antagoniſtas medicos Te

non habere præter Günzium aſſeris, ſed ecce novum Tibi oſtendam. Hambergerus enim Jenenſis in ultimis literis meminit, ſe in quibusdam programmatibus Tibi opponere velle, cum in Commentario Boerhaaviano Diſſertationem ejus de Reſpiratione quodammodo caſtigaveris. Sed ego ipſe in reſponſoriis hæc dedi: „ me neſcire
„ Te alia indicaſſe, quam quæ vel minus recte ex
„ anatomicis adducuntur, vel inde eliciuntur,
„ ſe literis privatis hæc committere poſſe, ſi
„ quædam eſſent in contrarium monenda, dixi
„ enim Te eſſe veritatis amantiſſimum. Quod
„ ſi vero ſcripto publico ſua defendere vellet,
„ ego illum adhortatus ſum, ut vel accurate per-
„ legat ea, quæ Winslowius de muſculis inter-
„ coſtalibus in Hiſt. Reg. Soc. exhibuit, & quæ
„ a Te citata ſunt, vel anatomen horum muſcu-
„ lorum in proximo cadavere repeteret. Libere
„ quoque profeſſus ſum, me quoque ab ejus ſen-
„ tentia longe alienum eſſe ". His igitur factis neſcio certe, an litem Tibi ſit moturus nec ne. Günzius noſter ſemper laborioſiſſimus nunc libellum de Herniis edidit, quem Tibi hac occaſione offero. Præter nova nomina, quæ ſæpius præter neceſſitatem invenit, quasdam etiam varietates in his partibus nimis agitat, alias vero certe magis neceſſarias ſilentio prætermittit. De his in auditorio publice cum illo diſſerui, (erat enim prima pars forma diſſertationis propoſita). Nihil vero inveni, quod Te læderet. Proxime accipiam manuſcripta quædam botanica, quæ Gerberus ante quatuor annos ad me miſit, quæ vero ob

ob negligentiam mercatoris cujusdam, hoc toto tempore Lubecæ retenta fuerunt, una cum aliis quæ Gerberus miſit. Si quæ invenio, quæ ad ornamentum Floræ Moſcuenſis aliquid conferre poſſunt, Tecum communicabo. Dillenium mortuum eſſe Dn. D. Hardy retulit, ſed nuperrime vidi amicum ex Anglia redeuntem, qui illum vivere adſerebat. Linnæus ſcripſit, & mea libenter accepit, ſed nullas miſit terras, quas tamen promiſerat. Excuſationis ergo attulit, ſe opportunitate deſtitui, qua aliquid ad me transferri poſſet. Sed cum tres mercatores Hamburgi & aliquot alios Gedani habeam, & ipſi olim nominaverim, neſcio an excuſationi locum dare queam. Quantum ego quidem video, ille non ob avaritiam hæc negligit, ſed forſitan quoniam ægre fert, ſi ab alio ejus eruditæ meditationes præripiuntur. Sed ego certe nunquam mores ſequar corvi Æſopiani, nec peregrinis plumis mea exornabo ſcripta, ſed ſi quid amicorum eſt, quod in meos uſus convertere poſſum, candide indicabo auctoris nomen. Tu vero vale, proximo & multis ſecuturis annis res tuas agas feliciter & in incrementum ſcientiarum, meque ut ſoles ama. Dabam Lipſiæ d. XXII. Decembr. 1744.

292.

## ABRAHAM BÆCK, M. D. *Reg. Coll. Med. Stockh. Membrum.*

Doleo certe, Vir Illuſtris, quod nequeam inclusam ipſe Tibi porrigere epiſtolam, & honore

frui Te videndi loquendique. Neque enim ob aliam cauſſam literas ab egregio atque doctiſſimo Dno. Hugo efflagitavi ad Te perferendas, quam ut ipſius teſtimonio de ea, qua Te proſequor veneratione conſtaret, & quod Tui inprimis videndi audiendique cauſſa Gottingam irem. Fecit vero viarum hac tempeſtate difficultas, quod jam coactus ſim, tranſactis Lipſiæ Halæque menſe uno aut altero, Berolinum & inde patriam repetere.

Te omnino, Vir Illuſtris, dignus eſt Dnus. Hugo diſcipulus. Gaudeo certe, quod Pariſiis, ipſius mihi acquiſiverim amicitiam. Tanta enim ipſi eſt morum ſuavitas, tanta ingenii perſpicacia atque optimarum artium ſcientia, ut omnes ſibi devincat. Tua vero & Excellentiſſimi Avunculi commendatio, qua munitus erat, ei apud Dominos Profeſſores Juſſieu adeo proficua erat, ut in primo acceſſu & eorum familiaritas & hortus Regius ipſi pateret.

Audiviſti novam editionem generum Linnæi hoc anno Pariſiis adornatam fuiſſe. In ea nihil quidem novi. Recentiſſime prodiit ibidem Syſtema Naturæ mea cura, ab Auctore ubique correctum & auctum, adjecitque nomina gallica Dominus Bern. Juſſieu. Vidi nuper Pariſiis florentem *Penæam Pl.* Rajaniam *L.* & arborem Draco dictam, de quibus Dn. Juſſieu commentabitur. Multa cum voluptate vidi egregias tuas Icones anatomicas. Ut utiliſſimum opus continuare velis, mecum optat Orbis anatomicus. Inveni nuper

per Pariſiis in cadavere Mauri renes connatos mediæque dorſi ſpinæ incumbentes, vaſaque miro diſtributa modo, fere ut Bartholinus in femina obſervavit V. *Centur.* Si hoc a re tua eſſet, delineatos lubens transmitterem. Celeb. Dnus. Profeſſor Ludwig Te meis verbis ſalvere jubet. Vale, Vir Illuſtris, diuque vive & flore in ſcientiæ noſtræ decus atque ornamentum eximium.

293.

## J. F. MECKEL.

Te litteras incomtas meas reſponſione tua dignas habuiſſe, non ſolum ſummo honori ſummoque gaudio mihi eſt; ſed & me, Tibi jam jam pro innumeris tuis in me immeritum collatis beneficiis devinctiſſimum, eo redigit, ut vix verba ad gratiſſimum Tibi animum declarandum valeant. Quanta enim cum voluptate atque gaudio ex illis tuam exoptatiſſimam mihi valetudinem perceperim, tuosque indeſeſſos ac non ſatis laudibus extollendos ad orbis litterariæ emolumentum labores, quos & me cognitos habere voluiſti, quanto cum oblectamento legerim, verbis teſtari non ſufficio, gaudium quippe meum, eas iterum iterumque perlegendo, ſemper increvit, ſed non ſine dolore, qui inde mihi enaſcitur, quod doctiſſimis tuis laboribus ac præceptis abſens intereſſe nequeo, ac ſatis ſuperque ſcio, me laudibus, quibus me benevole exornaſti, indignum plane eſſe, nihilque magis gratum acceptumque

tumque mihi foret, quam & hic loci Te ſapiente Duce ac Præceptore in anatomicis pariter ac aliis medicinæ partibus uti poſſe, quem honorem maximo cum fructu Gœttingæ mihi contigiſſe glorior æternumque gloriabor.

Pro inſigni tua in me benevolentia, quod litteris tuis honoratiſſimis memet Clariſſ. Gleditſchio commendare volueris, gratias Tibi, quas poſſum, ago maximas, isque, quem paullo ante viſitavi, Tibi ſeſe ſummopere commendat. Non equidem credo quemquam inſtituta regia in medicinæ ac chirurgiæ incrementum vituperaſſe. In anatomicis enim cadavera plurima ſemper ad manus ſunt, ut itaque illum, qui theoreticam, ut ita dicam, anatomiam, compertam habens, cadavera propria manu ſecando, ſcientiam ſuam augere ac perficere ſtudet, nulla fugiant ſubſidia: ſed id facillime fateor, eum ab hinc exulare debere, quem principia anatomiæ amorque in cadaveribus caute ipſe inquirendi, fugiunt, id quod barbitonſorum exempla me ſatis ſuperque docuere & quotidie docent, qui cadavera ſine fructu magis dilacerant, quam diſſecant, plane ignari, in quid inquirere diſſecando velint. In praxi medica doctiſſimos hic habemus viros; alterum Sprœgelium in chirurgia ac praxi medica incomparabilis ſcientiæ virum, Boerhaavii fidelem diſcipulum, cujus dicta pariter ac ſcripta ſatis laudare ac commendare nequit, id quod etiam ipſe ſatis intelligo. Operationes chirurgicas, poſtquam ſtudia medica abſolverat Hamburgi ac in Gallia feli-

ciſſime

ciſſime per plurimos perfecit annos, Douglaſſio in Anglia valde familiaris fuit, & nunc hic loci in praxi medica omnes reliquos antecellit. Nunquam tam egregium in praxi medica vidi virum, quam hunc, optimeque illum cum Illuſtri comparo Werlhoffio. Eum ſequitur Ill. Scharſchmidtius theoreticus certe eximius, neque in praxi medica ac chirurgica dedignandus, ornatus dono proponendi jucundiſſimo. Chirurgiæ Profeſſor Pallas ad docendum verbis quidem non ſufficit, attamen operationes non ſolum cum ſumma agilitate, ſed etiam prudentiſſime ac cautiſſime perficit, ita ut non tam verba, quam potius praxis ejus chirurgica, attendenda ſint, & non ſine fructu lectionibus chirurgicis privatis ejus interſum, in quibus omnes, ſecundum ordinem, operationes, præeunte illo, in cadaveribus perficere licet, nec minus ejus benevolentia operationibus, quae in vivis hominibus facit, interero.

Ad me quod attinet, huc uſque dies noctesque anatomiæ me tradidi, omnemque operam in angiologiam impendi, tractum hinc etiam arteriarum ac venarum ex infante exemtum aſſervo; jam vero partes genitales viriles cum vaſis ſuis præparavi, & quidem vaſa ex pelvi prodeuntia eleganter conſpicienda fuerunt cum illis in pelve. Inter venas, ea quæ ex vena hypogaſtrica orta, cum arteria pudenda ex pelvi exiens, per ligamenta ſacro iſchiatica tranſit, & ſub cute perinæi deſcendit, quæ cum alio venæ hypogaſtricæ ramo, in pelvi decurrente, plexum venoſum proſtatæ incum-

cumbentem conſtituit, ex quo vena per dorſum penis decurrens oritur; quæ cum vena iliaca externa, ubi in ſaphænam abit, communicat, reliquas pulchritudine ſuperavit; nec minus arteria pudenda magna ex pelvi prodiens in corpora cavernoſa penis & urethræ deſinens, cum hæmorrhoidali externa, glutæa magna & iliaca externa minori gratum præbet ſpectaculum; quatuor arteriæ præterea in hoc ſubjecto ſpermaticæ adfuerunt, duæ ex aorta loco conſueto ortæ, reliquarum vero ſiniſtra ex aorta, ſtatim ſupra meſentericam inferiorem, altera dextra vero ex aorta infra emulgentem dextram orta, ſub vena cava tranſiens, in funiculum ſpermaticum abiit. Sed jucundiſſimum mihi ſpectaculum exhibuit epididymis tota, ad ultimam uſque capitis ejus partem, mercurio vivo repleta, cujus capillaria, gyroſa, in capite ejus vaſa, in ductus plus quam duodecim ſatis amplos abeunt, quorum aliquot lineæ mathematicæ dimidiæ diametrum habent. Hæc vaſcula non ſtatim in teſtis ſubſtantiam abeunt, ſed plexum admirandum in dorſo teſtis faciunt, inter duo epididymidis ſtrata, & ſub illis ſecundum teſticuli longitudinem; hic plexus dat ramos laterales, circiter quartam partem lineæ mathematicæ æquantes, qui ſtatim in ſubſtantiam teſtis deſinunt, plurima autem hujus plexus vaſcula colliguntur in duos truncos majores, quorum alter ſub epididymidis ſtrato, quod ex craſſioribus vaſculis conſtans in ductum deferentem deſinit, incedit, ſecundum hujus longitudinem, deinde duas lineas mathematicas a curvatura

vatura epididymidis curvatur & transverſim ſupra teſtem incedens, in alterum truncum majorem inſeritur, qui duarum linearum mathematicarum diſtantia a curvatura epididymidis ex vaſculis plexus illius dicti colligitur, ſub epididymidis ſtrato quod ex ſubtilioribus vaſis conſtat, varie inflexus deſcendit & unius & dimidiæ lineæ diſtantia a curvatura epididymidis, ſub epididymide, in latere illo, ubi caput epididymidis ſitum eſt, in teſtis ſubſtantiam abit, teſtisque per hæc vaſcula mercurio turget, ita, ut compreſſione teſtis vaſa omnia plexus iſtius mercurio repleri queant. Ulterius, ſi poſſum, hæc vaſcula in teſtem proſequar, & in aliis, ſi occurrunt, repetam. Sed ſatis de his, ne Tibi moleſtus ſim illis rebus, quæ Te plane non fugiunt, tantummodo Te, cui omnia, quæcunque in anatomicis ſcio, ſoli debeo, certiorem horum facere volui, ut videas, me & hic pro viribus meis ſtudiis incumbere. Si fieri poteſt, plexum illum cum epididymide depictum curabo, antequam ulterius inquirendo illum deſtruere cogor. Ceterum in ſexagenaria muliere veſiculam felleam quindecim calculis repletam inveni, qui omnes conos triangulares reſectos repræſentant, triangula vero conorum a. a. b. b. ſibi invicem appoſita fuerunt in veſicula. Color omnibus eſt nigricans, lineis ſulphurei coloris interruptus; omnesque inflammabiles ſunt; magnitudo eorum eſt quatuor & quinque linearum mathematicarum. Alius quidam hic ſex cubicos calculos inflammabiles pariter in veſicula fellea invenit, quorum quodlibet

latus

latus octo linearum mathematicarum magnitudine gaudet. Nunquam tantæ magnitudinis calculos veſicæ felleæ vidi.

Dabam Berolini, die XXVII. Decembris, MDCCXLIV.

294.

## J. F. SCHREIBER.

Ne omnem occaſionem, hoc anno per mare Tibi aliquid mittendi, elabi paterer: hunc ſyllabum Anatomicum, quem forte nondum poſſides, hic confectum, ad Te mitto. Ex Præfatione & Auctores, & ſcopum ipſius cognoſcere poteris. Illuſtris Sanchés cum Aula adhuc moratur Kioviæ; & nuperrime titulum adeptus eſt, *a Conſiliis ſtatus* (Conſeiller d'Etat actuel). Bona tua valetudo mihi innotuit ex litteris tuis, quas ultimo per Cl. Wagnerum adcepi, licet menſe Aprili ſcriptas: de ea & gratulor, & lætor. Faxit Deus, ut graviſſimos labores, quos feliciſſime hucusque ſuperaſti, in incrementum ſcientiarum & ſempiternam Incluti tui nominis gloriam continuare poſſis. Vale; mihique, ut ſoles, fave. D. Petropoli, D. XII. Septembris 1744.

P. S. Ægre aliquantum tuli, legens in Veſtris Novis Publicis Litterariis, quæ Amicus mihi forte attulit, recenſionem Scriptiunculæ meæ de Peſtilentia. Etenim æquum arbitratus ſum, ut, ſi de ea referendum quid eſſet, referens ſcopum ſcribentis

ſcribentis candide enarraret, & media, quibus uſus eſt, ad illum conſequendum. Præter obſervationes, diſtincte adductas, propoſitio, quam probare annifus ſum, ante omnium oculos ibi clare eſt poſita, ſicque a recenſente erat ponenda. Experientias notabiles ex recentiſſimis ſcriptoribus, ſi quæ ibi ſunt, adduxi, ad confirmandum meam ſententiam: uti in rebus phyſicis probabiliter probandis omnes facere ſolent, & debent. Ceteroquin adtuli & proprias, & inter has unam, Cenſori nec legendo, nec medicinam faciundo, ſi hanc facit, umquam cognitam. Maximas eidem ſpondeo gratias, ſi a recenſendis meis in poſterum abſtinere voluerit. Magnam famam numquam captavi; & quo pacto illam captare potuiſſem per 5. plagularum ſcriptulum? Quin immo; quis intelligentium credat laudibus, ſi in tali ſuperficiali ſcripto, in Novis Publicis, quam maxumæ decretæ fuiſſent? Solamen mihi fuit, audiviſſe, Te mihi ſimili in re ſocium fuiſſe apud Cenſores Lipſienſes; Te, de cujus ſolidiſſimis lucubrationibus convicti ſumus omnes. Iterum vale, Vir Amiciſſime & Celeberrime. (*Cenſor a medicina alienus erat.*)

## 295.

## J. G. SIEGESBECK.

Litteras tuas, cum incluſis ſeminibus, die 15. Aprilis a. c. ad me datas, & poſtea quoque Enumerationem Stirpium Horti Gottingenſis obtinui: dignas,

dignas, pro quibus non ſolum ingentes agam gratias; ſed & alia tam ſcripta, quam ſemina, unaque plantas nonnullas exſiccatas, hic locorum obvias, reddam. Id quod eo libentius nunc ago, quum opportuna ſe mihi obtulerit occaſio, ut per amicum Lubeckam uſque Faſciculum gratis procurare queam. Semina jam mitto talia, quorum plantas nondum in Catalogo Horti Göttingenſis deprehendi. Sed ſimul denuo ex Enumeratione Veſtra adjeci excerptam deſideratorum ſeriem, quam impoſterum per vices ſibi expetit Hortus noſter. Semina a Te transmiſſa mox terræ quidem commiſi, ſed ex eis non niſi Abutilon Americanum haſtato folio, flore cæruleo, (quod per plures jam annos poſſidemus) & Cicuta major, ut & Horminum pratenſe, Onobrychis fructu echinato, Sideritis vulgaris erecta, prodiere; reliqua ſemina forte fuerunt paullo vetuſtiora, vel non ſatis matura; hinc eadem adhuc ſemel, ſi ad manus forent, efflagitarem. Valeas interim, & Floræ noſtræ Academicæ favere pergas! Petropoli, d. $\frac{15}{4}$ Aug. 1744.

## 296.

## D. LUDWIG.

Obiit Hænelius amicus noſter communis, & certe præmaturo fato obiit, vir longiori vita dignus. Is enim cum Duce Weiſſenfelſenſi, cujus Archiater erat, iter in Bohemiam ſuſceperat, & poſt varios ſuperatos labores cum jam redux eſ-

ſet

ſet Litomeri (Leutmeritz) in Bohemia febre maligna putrida correptus, cum hoc morbo per 28. dies conflictatus, tandem d. XXVI. Jan. obiit. Hæc a fratre habeo, qui illi in morbo adſtitit. Triſtiſſima ſors medicorum, qui cum aliis conſulant, ſibi ipſis conſulere nequeunt. Et nos Lipſiæ de dubia celeberrimorum Medicorum ſanitate ſolliciti ſumus. Waltheri quidem morbus a primo impetu non nihil remiſit, anguſtia inteſtinorum & ſcirrhus, nec non vitia hepatis, non adeo dura excitant ſymptomata; ſed languet adhuc, & nos non ſine fundamento recrudeſcentis mali impetum extimeſcemus. Sed & Platnerus noſter ægrotat; febris catharralis, qua correptus fuit ob podagram vel inordinatam vel retroceſſam, eum in præſentaneum vitæ periculum conjecerat, impetus mali quidem nunc imminuti ſunt, ſed ſpes ſanitatis perfectæ nondum plenoria eſt. Conſervet Deus hos Viros longos adhuc in annos, ſunt enim & Theoria & Praxi medica clariſſimi, qui judicio valent atque conſilio, & quos Tu quoque amas. Iter in Patriam fauſtiſſimum eſſe jubeat ſummum Numen, ſed revertaris quæſo in Germaniam, quæ illos quos Tibi contulit honores & applauſum, in poſterum non denegabit. Suſpicio eſt inter noſtros, Te non reverſurum eſſe. Linnæi fidem mihi multoties ſuſpectam fuiſſe, Tibi amico dixi, ægre tamen fero, quod & nunc terras recuſet, vel ad minimum detineat, ſed publice dicam, me nihil ab eo accipere potuiſſe. Gleditſchius ſcribit, ſe nunc adornare Berolini hortum Botanicum Societatis Regiæ; laborioſiſſi-

me omnia diſquirit, & multa ab eo expecto, ſi tempore foveatur & Regis gratia, quæ continuo armorum ſtrepitu interrumpitur. Vale interim, & me ut ſoles ama. Dabam Lipſiæ, d. XVIII. Febr. 1745.

## 297.

## ANT. RIBEIRO SANCHES.

Litteras, quas ad me, Perilluſtris Vir, 18. Februarii dediſti, cum illis ad D. D. Gmelin & Schreiber, quibus tradi curavi, ſimulque cum primo Commentariorum tuorum tomi edendi, folio, non ſine aliqua perturbatione lætus legi, quia nunquam putaram exiſtimationem, quam de me concipere voluiſti, tantum apud Te ponderis fore, ut nomen meum in libro ab omnibus prenſando poſteritati committere velles, quo magis in hoc ſum, eo ardentius, lubentiusque Tibi gratias ago maximas. Conſcius enim veræ virtutis, qua vel ob temporum iniquitatem, vel vitæ, vel ſoli, careo; tamen celare non potero gratum dum dabatur alloqui coram, vel per epiſtolas, in Magnum Præceptorem animum; & quæ poſt cineres a me factum, ne me laudem, dicant alii.

De Lectionibus de morbis nervorum altum ſilentium! Non vellem honoratiſſimam, qua cooptatus dignus vir Vanſwieten, provinciam integra ab illo promiſſa Commentaria nobis eripere: ſed omnia mente caſſa ab aulis expectari poſſunt? A docto

A docto viro Anglo Collinſon per epiſtolas modo fui certus factus, moſchum cum cinnabari bona multa in morbis contagioſis, delirio, ſingultu, rabie facere: & quod in Actis Regalis Societatis mentio luculenta illius remedii intra breve tempus facienda erit. Hæc tumultuario modo ſcripſi: aulicis altioris ordinis ægrotis, quorum nomina in nunciis publicis leges forſan, ſum occupatiſſimus; tamen vel ut amori, quo me proſequeris, non deeſſem, neque mihi Tibi devinctiſſimo nolui differre, ut intelligeres me Tui cauſa omnia in ſe ſuſcepturum. Celeberrimo Gesnero a me ſalutem dicito, quanti illum ducam verbis non capiam; opus erat, ut dicere ſcirem ac ille. Vale & me amare favereque perge. Dabam Petropoli 5. die Martii, ſtilo Juliano, 1745.

298.

## CAROLUS LINNÆUS.

Vereor quod hæc epiſtola nimia mole Tibi pretioſa evadat; hoc tamen hac vice excuſes; qui me amas & dives es, uti nuper audivi a peregrino juvene. Rogo hanc diſſertatiunculam recenſeas in Commerciis veſtris Norimbergicis; quod ſi feceris, proxima æſtate hujus ſemina pro Te colligam. Ne credas rogo aliam eſſe plantam, & quæ e Linaria orta non ſit; novi Linariam. Hæc tamen ſe propagat proprio ſemine; ergo nova ſpecies, quæ ab initio non erat; novum genus, quod antea non fuit: ſpecies hybrida regni

vegetabilis ſe propagans; transmutatione plantarum ex una in alteram; fructificatione diverſiſſimæ plantæ eædem; duplex character in una ſpecie eademque.

E tuo horto & theſauro quæſo aliquot ſemina pro me colligas; & inter hæc Dracocephalum 5. *Hort. Cliff.*

Noſtri ſocii a Te avide exſpectant obſervationem, quam promiſiſti, ſive hanc velis nobis dare cum icone vel absque icone.

Vale & ſave; nondum appulit Flora tua Jenenſis, quam avide exſpectamus.

Dabam Upſaliæ 1745. d. 8. Martii.

## 299.

## J. G. GMELIN.

Binas a Te paucorum dierum intervallo epiſtolas accepi, unam per D. Schreiberum, alteram per D. Sanches. Pro transmiſſis rebus, quas avide expecto, gratias ago in anteceſſum, relaturus illas proxima æſtate, quando navibus iter fieri poteſt. Communicationem tamen præcipuarum rerum differo in reditum meum in Germaniam, quem futurum ſpero, quamprimum Floræ Sibiricæ finem imponam. Ei jam totus & unice inſudo. Sonchus ille Sibiricus ſemina habet omnino, uti reliquæ Sonchi ſpecies, nullo pappo & ſemini interpoſito filo. Calyx autem, licet una plures

plures ſquamarum ſeries obtineat, non tamen eo modo ſquamoſus eſt, uti in Lactuca.

Quod valeas, ſumma me adficit lætitia, Tibi & orbi erudito diuturnam proſperæ valetudinis continuationem ex toto animo vovens. D. Sanchez honorem, quo Tu illum, dicando ejus nomini ſecundum tomum Boerhaavianum, adfeciſti, optime accepit, vir certe ſolidæ doctrinæ & honeſtus. Valetudo ejus ſatis vacillat, aſperæ harum regionum auræ nondum adſuefacta. Audio, etiam illum aëris mutandi cauſſa dimiſſionem in patriam ſolicitare. Miror acre tuum ſtudium, quo botanicen augere tentas, nondum Tibi metuens ab alpibus, in quibus toties jam Te delaſſaſti. Sed facile eſt tentare, quod de proſpero eventu certus es. Adi alpes tuas, & redi & orbem ſuaviſſimis tuis ſpoliis erudi. Ego quidem per aliquod tempus valetudinarius eſſe incipio, non jam admodum pronus in nova itinera, doctrinæ cauſſa ſuſcipienda, nec vel in excurſiones botanicas Petropolitanas; quare paucos hujus anni muſcos promitto, habebis autem ſuperioribus annis collectos. Gramina etiam quædam Ingrica mittere potero. Sed dic mihi, annon Antoxanthon eodem jure ad Avenam quam ad feſtucam referri poſſit? Omnino mihi videtur, duplicem ariſtam in uno flore ſufficere ad ſtabiliendum genus ſingulare.

Male ſibi & ſuæ famæ conſulit Heiſterus, dum in Linnæum acerbe ſcribit, virum, qui meliori fato dignus eſſe videtur. Ipſa Cydonia ejus

deguſtare nondum licuit, nam Tu primus me de iis certiorem feciſti. Quid autem.... quid Cramerus in botanicis? Compilatores, ſi qui alii, doctrina ſufficiente deſtituti, fabularum unus Jeſuiticarum faber aut promulgator, alter nominum ridiculorum cuſor, ineptiarumque obſervator, tam ſimilis in botanicis Sieg. . . . . ut ovum ovo, indigni omnes, ut a viro honeſto & vere docto reſponſum ad convitia ſua accipiant, quod eo acriori & acerbiori modo extorquere velle videntur, ut majorem ſibi in botanicis autoritatem diſputatione cum celebribus botanicis, utut futili, aucupentur. Sed ſapiens non oblatrat, famæ ſuæ melius conſulens ſilentio, quo & inimicorum profana verba magis confundit, quam millenis ſapientiſſimis dictis.

Stramonium ferox Bocc. plant. rar. an varietas eſt Stramonii fructu erecto, calyce pentagono Helv. 489? Flos minor eſt, ex albo flaveſcens, cætera conveniunt. Deinde Stramonium fructu ſpinoſo oblongo, flore violaceo T. Inſt. an etiam idem? Fructus ovati quidem, ſed ad rotunditatem vergentes ſeu oblongo-rotundi. Porro, an Stramonium folio Hyoſcyami flore toto candido, fructu propendente, rotundo, ſpinis innoxiis ornato Boerh. Ind. alt. I. 262. idem cum Stramonio Malabarico, fructu glabro, flore ſimplici violaceo T. Inſt.? Calyx in utroque campanulatus. In primo fructus penduli ſpinoſi, rotundi, in altero erecti, ovati, glabri. Flos in primo fœtidus, in altero ſuaveolens. Alterum delicatæ

delicatæ admodum naturæ fervorem hypocauſtorum requirit, cum reliquæ ſpecies dium facile ferant.

Hæc pro complendo ſpatio. Si adhuc anatomicis immerſus es, noli reſpondere. Vale & me pro antiquo tuo more ama. Dabam Petropoli, d. IX. Mart. cIↃ IↃCCXLV.

300.

## J. F. SCHREIBER.

Conſtitui, hiſce litteris, Tibi, Amiciſſime Vir, reſpondere ad tuas litteras, d. 16. Novemb. A. 1744. & d. 15. Febr. ad me datas. Recepi exemplar de lithontriptico: eoque nomine maximas gratias refero. Scriptiuncula eſt ſat vitioſe impreſſa: ſed icon eſt elegans. Averem ſcire, an bibliopola forte hoc ipſo patietur. Sum enim paratiſſimus ad reſarciendum, quod mea culpa factum. Spem feciſti lectori de aliis circa id experimentis. Adeoque Tibi declaro, duos adoleſcentes, veriſſime calculoſos, per aliquot menſes, uti medicamento de ſapone alicantico & aqua calcis ex præſcripto Cl. *Whytt* in *Medic. Eſſ.* T. II. Vol. V. uti hactenus ſine emolumento, potius dixerim cum detrimento. Adeoque per meam exiguam in hac re experientiam, nullatenus poſſum comprehendere, quæ Geoffroy, Morand, Rutty, Hartley & Whytt inde publicarunt. *Monro*, cui, inter ſaltandum, nuper tendo Achillis disruptus eſt, edet explicationem Tabb. *Euſtachii*,

*ſtachii*, prout ipſam reliquit *B. Georgius Martinius.* Noſter *van Melln*, cujus mentionem feci in præfatione, addita *Syllabo* C. H. quem Te recepiſſe cognovi, oſtendit, præter organon auditus (quod ad ultima inſigniter præparatum habet) omnia piæ matris vaſa injecta, firma, quorum compages ſe ſola ſuſtinet; adeo, ut encephalon vaſculorum, hemiſphæria cerebri & cerebelli, vaſa corporis calloſi, ſola adpareant, eleganti ſatis ſpectaculo, pro vero decurſu vaſorum cerebri addiſcendo. Gratus agnoſco benevolum Bibliopolæ erga me animum; ſed concedat moram, ut perfectius de *Peſte* opuſculum ipſi offerre queam. In China nuper viguit contra quosvis morbos contagioſos remedium ex moſcho cum cinnabari, vel & cum camphora. Illuſt. *Sanchés* modeſte petiit abitum: nondum liquet, quidnam ſit eventurum. Mihi videtur, Cl. *Winslow* in Actis Pariſinis A. 1740. amicum bellum Tibi indixiſſe, propter elegantem tuam hiſtoriam monſtri bicipitis. Eſt quoque valde infenſus eis, qui voluerunt perſuadere, quod maxima pars inventorum Winslowi jam antiquis nota fuerit. Sane quæ de corde publicavit A. 1715. ea eleganter jam elapſo ſæculo in vulgus edidit præclariſſimus *Pechlinus*, in Diſſert. *de fabrica & uſu cordis.* Si quæris quænam ego agam? Reſpondeo paucis: me in eo occupari, ut propoſitiones Medicinæ, quantum licet, determinatas, connectam, veraque a falſis ſejungam. Hollmannum cum Conjuge, data occaſione, meis verbis ſalutabis. Fave, ama & vale. D. x. Martii 1745. Petropoli.

301.

# J. F. MECKELIUS.

Ad me quod attinet, ex eo, quo ad Te litteras dedi, tempore, angiologia tota bis abſoluta, præter partiales arteriarum venarumque injectiones, neurologiam in uno cadavere aptiſſimo, phthiſico quippe & admodum emaciato, totam fere perfeci, ut præter nervos extremitatum, pedis nempe ac manus, nulli mihi deſint, in quibus nunc occupatus ſum. Et quidem ſolus ego, inter omnes, qui hic anatomiæ ſtudent, hanc partem anatomiæ inquiro, cum reliqui vix ac ne vix quidem nervos brachii percurrant, ne minima eorum theoretica ſcientia inſtructi. Gloriari de his poſſum, quippe omnia tua ſunt, quæcunque in anatomicis teneo, itaque Te laudibus omnique obſervantia & hic proſequi non deſino nec unquam deſinam. Duos, qui Jenam adire conſtituerant medicinæ ſtudioſos, profectibus meis in anatomia ac reliqua medicina ex Göttinga, Te ſapientiſſimo duce, relatis, ad Te Göttingam properare perſuaſi, diligentes & diſcendi cupidos juvenes, qui tuam per hanc æſtatem abſentiam maximopere dolent, & cum ſermo hic ſit, Te plane non Göttingam eſſe rediturum: vix propoſiti ſui tenaces eos reddere potui, quippe in Te ſolum eorum ſpes ſita eſt, nec falluntur. In mammis ex lactante muliere ductus lactiferos eodem modo ac priori hyeme apud Te diſpoſitos inveni, adſcendentes nempe ex glandulis colle-

 ctos

ctos truncos ad papillam quindecim, 12. foraminulis papillam perforantes. In teſticulo repetii injectionem cum mercurio totaque epididymide repleta, teſtis mercurio turgebat, at rete in anteriori teſticulo exſiccato adhuc ſatis bene apparens, in hoc non inveni, ſed ductus illos ex ultimæ epididymidis capitis conis plicatis ortos, teſticulum ſtatim perforantes, ita ut in aliis rete illud adeſſe credam, in aliis vero minus. In infante ſeptem annorum ſteatoma circa cor obſervavi, quod totum replebat pericardium, & vaſa majora omnia ad collum usque ita obducebat, ut in vivo & cordis & arteriarum motum plane impediverit.

In neurologia præter reliqua, pedis ita dicti anſerini ex nervo duro orti truncus, ſtatim poſt exitum ex nervo duro in duos dividebatur ramos, qui anaſtomoſi convenientes arcum faciebant, ex quo deinde rami pedis anſerini ad tempora, & faciem abierunt. Brachialem arteriam, ubi axillaris eſſe deſiit, duplicem vidi, quarum minor in arteriam radialem inſerebatur, docetque hoc, quare aliquando & ſupra cubiti flexuram aneuryſmatis operatio locum invenerit, ſine brachii corruptione.

Berolini, xvta Martii MDCCXLV.

302.

302.

## JOH. GESNERUS.

Dici vix poteſt, quanta cum voluptate ex humaniſſimis literis tuis & feliciſſimum in Patriam adventum, & Tui unanimem in Senatum Bernenſem receptionem intellexerim, quæ ut Tibi ex meritis tuis jure facta eſt, ita animitus opto, ut Tibi & honoratiſſimæ familiæ tuæ atque Reipublicæ Patriæ ſit maxime ſalutaris. Mihi vero & amicis maxima inde lætitia nata eſt, quum non vana ſpes nos alat, Te Patriæ & nobis redditum iri, & veteri more amicitiam noſtram frequentiori literarum commercio & collocutionibus amicis poſſe diligentius excoli. Hos Tibi honores Cl. Bodmerus & Breitingerus cum pluribus Tigurinis ex animo gratulantur. Vota ſua jungunt mea conjux & frater meus, & optamus brevi hæc coram facere, quando tua præſentia nos exhilarabit, qua ſane gratius nihil mihi meisque accidere poterit, ſi tempus præſcivero, curabo, ut obviam Tibi factus in noſtras ædes Te adducam. Stæhelinus communis noſter amicus itemque optimus Gillerus mihi ſpem fecerunt, una tuo conſortio in meis ædibus fruendi, gratiſſimus itaque exſpectatiſſimusque venies. Nunc in philoſophia experimentali totus fere ſum, machinas varias fieri curo, pro viribus centralibus, pro electricis, quæ proximis diebus perfecta erit; hactenus nonniſi quæ tubo inſtitui ſolent experimenta ſatis commode feci, nunquam tamen fri-

ctione

ctione per tubum excitata liquorem incendere potui. Ex frictione cylindri aut globi machinæ ope agitati id aliquanto promptius ut ſpero ſuccedet. Mitto Diſſertat. de finibus & uſibus rerum in auditorum meorum gratiam conſcriptam.

Scribebam raptim Tiguri, d. 20. Aprilis 1745.

303.

## JOSIAS WEITBRECHT.

Si quidem a Te negligentiæ alicujus accuſer, Vir Celeberrime, quod ad humaniſſimas tuas ſuperiori anno ad me datas mihique gratiſſimas literas non æquali promtitudine reſponderim, Te non adeo injurium in me eſſe, concedam; quamvis ſi me purgare liceat, non tam in me ipſum, quam in circumſtantias quasdam externas a mea voluntate neutiquam dependentes, culpa redundet. Exſpectaveram primo Tabulas tuas, de quibus avide perſpectis non poſſum quin fatear, illas mihi perplacuiſſe, imprimis, quæ ad medullam ſpinalem, diaphragma & baſin cranii pertinent, & omnes ſingularem nitorem & ſtupendam tam pictoris quam ſculptoris diligentiam præ ſe ferunt, ut de præparatore taceam. Cum deinde exemplar Syndesmologiæ meæ, quod nonniſi ſub initium Auguſti ex bibliopolio noſtro obtinere poteram, mittere vellem: illud quidem una cum literis nautæ alicui Lubecenſi tradideram, qui vero adverſa tempeſtate portum Cronſtadienſem repetere,

petere, ibique hybernari coactus eſt. Doleo, lites Tibi motas eſſe a Lipſienſibus, quippe in iſtiusmodi diſceptationibus, quarum originem altius natam eſſe ſuſpicor, difficile eſt, ut non utraque pars ſubinde aliquid humani patiatur; quod ne fieret, optandum eſſet. Ego quidem huic rei me immiſcere nolo, interim ita rem concipio, ſcopum figuræ tuæ baſeos cranii potiſſimum fuiſſe, ut vaſa & nervos ad oculum pertinentes exhiberet; id quod etiam ſatis feliciter præſtitum eſt. Reliqua, cum ad ſcopum non pertineant, non adeo rigoroſe examinari debere putaverim. Sufficit, nos meliori icone non gaudere. Ego toto hoc anno plurimum, imo fere unice circa ſcrutandos ſinus duræ matris occupatus fui, ſed pauca detexi, quæ non ab aliis dicta ſunt. Erant tamen aliqua, quæ omnino attentionem merentur. Certum eſt, nec tertium, nec quartum, nec quintum par nervorum in ſinus cavernoſos ad ſellæ latera poſitos immergi, ſed ſuis propriis vaginis ſpongioſis, queis involvuntur, gaudere, ſolamque carotidem cum nervo ſexto, in illorum ſinuum ſanguine lavari. Figura autem ſinuum mire variat, & ſemper aliæ cavernæ emergunt, ſi absque injectione, aliæ, ſi facta injectione inveſtigantur, aliæ, ſi arterias ſolas, aliæ, ſi venas ſolas, aliæ, ſi ambo vaſa materia ceracea repleveris, unde etiam variatio in ſinum circularem Ridleyi redundat, qui negari nequit. Ceterum ſemper in ea ſum opinione, cavendum eſſe, ne in una eademque figura nimius obſervationum cumulus congeratur, & melius eſſe, ut partitis

partitis iconibus & ſimplicioribus objecta proponere ſtudeamus. Ego de ſolis his ſellæ ſinubus & adjacentibus nervis jam tres figuras delineari curavi, & quidem ita, ut objecta a latere, non vero anticitus aut poſticitus aſpectentur, qui ſitus mihi omnium maxime commodus videtur. Quodnam autem viſionis punctum in tua icone concipi debeat, fateor me non perfecte intelligere, ſuſpicor autem, baſin cranii, quaſi ex alto, oculo ſuper medietatem poſito, reſpici debere. Vaſcula Graafii numquam vidi, neque etiamnum, poſtquam occaſione literarum tuarum denuo in illa inquiſiverim, donec enim eo pervenias, omnia ita molleſcunt, ut ſub manibus diffluant. Qua methodo autem injectionem mercurialem perfeceris, quibusque viis, an figura eadem ſit ac Graafiana? ſcire averem.

Miſit mihi nuper Cl. Jurinus Londino Cheſeldenii Oſteographiam, ſuperbum revera opus, ſed nimis pretioſum ratione materiæ, certe vix tanti valere oſſa putaverim. Inveni in illa icones quasdam ligamentorum femoris & patellæ, quas antehac neſciviſſe doleo.

Accepi etiam Krugeri Phyſiologiam, Phyſ. P. II. & legi eine ſchöne Cavalliers-phyſiologie! Miror ſane, non dari in Germania aliquem, qui enormem hominis audaciam in fingendis & jactandis demonſtrationibus reprimat. Hoc ſi licebit, ego demonſtrabo, numerum binarium bis ſumtum facere quinarium, & alia magis abſurda.

Iſtius-

Iſtiusmodi libris medicina mathematica ludibrio magis exponitur, quam promovetur.

Legi etiam in novellis veſtris recenſionem tabularum anatomicarum petropolitanarum, ſed longe aliam & magis completam illarum genealogiam poſſem communicare, ſi res tanti momenti eſſet. Mentionem illarum feci jam olim in Commercio litterario Norico.

Pervenere etiam ad manus meas Morandi obſervationes, & experimenta de lithontriptico D. Steffens, gallice ſcriptæ. Quam vellem! ut Cl. Schreiberus noſter talibus exemplaribus pro ſcribendi norma uſus fuiſſet. Commonſtraveram illi principalem paralogiſmum, cui tota ejus hypotheſis de cura peſtis per mercurium innititur; ſed video, illum in editione nova nihilominus retinuiſſe. Mavult ille errorem fovere, & unum partum bis edere, quam pro ſpurio agnoſcere.

Qui Tibi, Vir Cl. has literas cum libro reddet, eſt homo, omni commendatione dignus, & ſine dubio a chariſſimo Gmelino noſtro ita laudatus, ut meis verbis opus non habeat.

Vale, Vir Celeberrime, & fave Tui ſtudioſiſſimo. Scripſi Kal. Majis, 1745. Petropoli.

304.

## J. F. MECKELIUS.

Nec minus alius quiſpiam medicinæ Studioſus Mecklenburgenſis, Trendelenburg nominatus *a*), abhinc Göttingam veniet, ad medicinam ibi excolendam, qui matheſi ac anatomiæ ſeſe hic jam tradidit, earumque ſcientiarum minime expers eſt; hic fratrem ſuum ſecum ducit, jurisprudentiæ ſtudioſum, pariterque tuam valde cupit benevolentiam ac licentiam tuis eruditiſſimis utendi præceptis. Hi itaque ſunt, quos favore tuo dignari velis oro rogoque.

Ad nos hic quod attinet, finis jamjam anatomiæ, invitis illis qui ei ſtuduerunt, impoſitus eſt. In fine ejus curioſam valde venæ & arteriæ renalis varietatem vidi, præparavi ac conſervavi. Vena nempe ac arteria emulgens ſiniſtra, diametrum ſolitum aliquo modo ſuperantes, pollicis diſtantia ab earum ex cava & aorta ortu, dividebantur in duos ramos: alter horum & quidem inferior, in renem ſeſe ordinario modo inſeruit, alter vero, ex quo tum ex venoſo tum arterioſo prope renem ſpermatica vaſa ſiniſtri lateris oriebantur, poſtquam aliquot ramulos in renem dederat, per ſuperficiem renis ſiniſtri anteriorem convexam, in proprio ſulco pergebat, vena quidem & arteria, deinde ſuper muſculum pſoam ince-

a) Eximius inciſor, nunc gratioſus Lubecæ medicus.

incedentes deſcenderunt, ac denique vena trunco venæ iliacæ, in angulum ejus ubi hypogaſtrica & iliaca externa magna ex ea exoriuntur, inſerta eſt; arteriæ autem, cum vena vario modo flexa, deſcendentis, in hypogaſtricæ arteriæ truncum inſertio erat, ſtatim ubi hæc ex trunco arteriæ iliacæ exit. Venæ hujus diameter erat quinque linearum mathematicarum, arteria vero tres lineas amplitudine ſua emetita eſt. Hæc obſervatio, quia mihi, anatomiæ tyroni, nondum viſa eſt, digna videbatur, Te ejus participem facere, minime dubitans, Tibi ejusmodi varietatem ſeſe jam jam obtuliſſe, ſed tantum de ea abs Te erudiri cupiens. Ceterum ſæpe duas arterias renales hic obſervavi in uno latere, quarum altera loco conſueto ex aorta, altera vero ſtatim ſupra meſentericam inferiorem ex illa orta fuit. Reliquas minoris momenti obſervationes ſilentio prætereo, ne moleſtus Tibi ſim garrulitate mea. Per æſtatem, quæ inſtat, plantas ſtudioſe hic colligere earumque quas in horto veſtro botanico deeſſe ſcio, ſi deſideras, vel ſemen vel ipſas plantulas Tibi mittere ſtudebo. Nondum enim meus in ſcientiam botanices amor occubuit, ſed anatomia finita, ardeo deſiderio excurſiones botanicas per æſtatem faciendi. Hoc jam obſervare licuit, acorum ſumma copia hic in paludibus naſci; ut & nymphæam flore luteo, quæ ſolum alba Göttingæ naſcitur, quamvis nondum floret.

Gleditſchius nunc in plantis, in horto botanico, methodice diſponendis & conſignandis eſt

occupatus, Teque valde ſalutat. Methodo hic Ludolfius in demonſtrandis plantis utitur Tournefortiana, mihi valde exoſa, ob ſpecierum a ſe invicem impoſſibilem diſtinctionem.

Dabam Berolini, die xxx. Aprilis, MDCCXLV.

305.

## J. G. GMELIN.

Ex corde gratulor de collata in Te ſupremi Senatus dignitate; maluiſſem, ut amicis frui & ſtudiis ſimul prodeſſe licuiſſet. Spero tamen, naturam uſque recurſuram. Legi de Peloria Linnæi, diſſertationem nondum vidi. Novellæ Holmienſes de rebus eruditis, Suecica lingua exaratæ, innuunt, etiam per ſemina Peloriam propagatam eſſe, quod veſter recenſor non animadvertiſſe videtur. Duo tantum agnoſco Delphinia Sibirica, ſed quinque & ſex jam habemus diſtinctas primo intuitu ſpecies, quæ & monſtroſitatem ſuam per ſemina propagant.

Trembley & Bonnetus de animalibus docuerunt, quæ paulo ante incredibilia viſa ſunt. Cogimur fere credere, naturam legibus generalibus, quas homines fingunt, non delectari. Quare illud monſtrum ſit, quod ex commixtione diverſarum ſpecierum oritur? Et ſi monſtrum eſt, quare a propagatione exemtum ſit? Nihil amplius analogiam. Non memini, quid olim ad

Te

Te de Anthoxantho ſcripſerim. Calycem multiplicem ego non vidi, niſi valvulas, quas Linnæus ſub nectariorum nomine comprehendit, etiam pro calycinis habeas. Ariſtarum tantum ortum alium vidi, quam Linnæus deſcribit, nimirum altera ariſta fere in baſi, altera mox ſub apice egreditur. Alia vice plura. Vale, Optime amice, & me amare perge. Dabam Petropoli, d. XIII. Jul. CIↃ IↃCC XLV.

306.

## J. F. MECKELIUS.

Gleditſchius annis præteritis ſumtibus Societatis Berolinenſis Bohemiam, Thuringiam, Hungariæ aliquam & Herciniæ plurimam partem peragravit, atque ex his terris multas raras collegit plantas; eſt quippe ille, cum quo familiariter uti mihi contingit, vir in eruendis plantis ſolertiſſimus ac doctiſſimus. In horto botanico rariſſimis indigenis exoticisque plantis repleto, nunc plantas methodice diſponere ſtudet; Linnæum in plerisque ſequitur; atque Rajum; facultate Tecum aliquando iter botanicum faciendi, nil magis in votis habet.

Inter plantas exoticas florentem hic videre nunc licet Cereum peruvianum anguloſum maximum, qui Cactorum in Catalogo tuo Göttingenſi eſt ſecundus; in quo obſervo, cactorum notam ab angulis ſuis deſumi non poſſe, quippe ille ipſe

truncus in inferiori parte ſex, in ſuperiori vero octo immo novem angulis gaudet. Florem ſpecioſiſſimum in ſpiritu vini juniperato conſervo, & depictum quam proxime Tibi mittam. In novellis Te legiſſe credo, ejus altitudinem æquare 32. pedes, eumque floribus 34. ornatum eſſe; horum duo aut tres ſimul veſperi poſt ſolis occaſum florent, iique ab hora veſpertina octava ad matutinam usque quartam perdurant, ſole tunc oriente collabuntur atque flacceſcunt. Florum habitus hic eſt: ex angulis illis Cerei, ſoli meridionali oppoſitis, prodit caulis floris pollicis craſſitie, cujus inferior pars ex Cereo prodiens eſt ipſum ovarium ovatum ſive fructus, intus ovali excavatione gaudens, cujus ſuperficiei in filamentis albis ſemina alba adhærent: ex hoc ovario ſuperne clauſo longiſſima prodit tuba unica, lineæ mathematicæ craſſitiem habens, tres pollices longa, hæc per calicem tubuloſum, craſſum, ſature viridem, infundibuliformem tranſit, ac ſuperne in ſeptendecim fiſſa partes inter ſtamina media eminet, a quibus innumeris circumdatur, quæ omnia ex tubuloſi calicis interna ſuperficie enaſcuntur. Flos fit calice ſature viridi, cujus ſegmentorum ordo primus connaſcitur, & tantum eminentiæ & depreſſiones ſegmenta a ſe invicem ſeparant; horum ſegmentorum erant duodecim; ſecundus ordo jam calicem imitatur, alius floris, cujus ſegmenta 12. inferne connata, calicis partem ſuperiorem, ex quo ſtamina enaſcuntur, conſtituunt, ſuperne vero ſegmenta hæc a ſe invicem ſeparata, ovalia, externe rubentia, interne

terne magis viridia ſunt. Petala ſunt numero triginta, alba, gryſeis lineis parallelis pulcherrime picta ſeſe exhibent. Breviſſimam hanc deſcriptionem Tibi ex flore qui defloruerat diſſecto, dare audeo, melius apparebit in icone, quam brevi mittam.

Chirurgicarum operationum aliquot hoc verno tempore videre mihi contigit, alteram nempe amputationem brachii in muliere triginta annorum, alteram vero calculi ſectionem, ad apparatum magnum, in puero quindecim annorum feliciſſime a Profeſſore chirurgiæ Pallas inſtitutam, præter cataractæ depoſitiones quasdam.

Hæc ſunt quorum Te certiorem facere volui, ut animus Tibi deditiſſimus meus exinde elucere queat, qui tua in me benevolentia nil magis æſtimo, nihilque enixius rogito, quam ut ea imposterum dignari velis &c.

Berolini, die XII. Julii MDCCXLV.

*Plantæ circa Berolinum repertæ.*

Oxycoccus.
Galium quadrifolium latifolium.
Stoechas citrina.
Triglochin.
Juncus ſemine lithoſpermi.
Tunica petalis profundiſſime laciniatis.
Chærefolium ſemine hiſpido.
Sagittaria folio latiori & anguſtiori.
Ophiogloſſum.

Gallopſis ſecunda Helv.
Caryophyllus barbatus.
Pedicularis major.
Orchis militaris major.
Scirpus maximus aphyllos.
Hottonia Boerhaavii.
Pinguicula.
Stratiotes mas & femina, ſive Aloes aquatica.
Hydrocharis.
Aſperugo.
Comarum.
Veronica Helv. 527. prima.
Potentilla flore albo Helv. quarta.
Otites.
Papaver capitulo long. hiſpido.
Iris noſtras flore luteo ſive pſeudo acorus.
Ros ſolis foliis rotundioribus.
- - foliis ellipticis.
Geniſta hyperici folio.
Geniſta ſpartium.
Pulſatilla flore rubro.
Sclarea.
Potamogeton Helv. primum 199.
- - - - quartum Helv.
- - - - tertium Helv.
Typha parte maſculina ovata clavæ a feminina diſtante.
Ranunculus paluſtris foliis longiſſimis, flore maximo ſive flammula maxima.
Juncus floridus.
Osmunda lunato folio.
- - - matricariæ folio.

Geniſta

Geniſta tinctoria Germanorum.
Filipendula.
Orchis palmata calcaribus oblongis.
- - maculata montana.
- - palmata foliis anguſtioribus, flore albo.
Rubeola quadrifolia.
Herminium Linnæi.
Orchis duodecima Helv.
Anthericum.
Scheuchzeria.
Lyſimachia globoſo flore.
Viola trachelii folio.
Herniaria.
Lentibularia.

307.

## A. RIBEYRO SANCHES.

Optatas litteras, quas ad me, Perilluſtris Vir, dediſti 28. Junii accepi: inſuper librorum faſciculum, quod D. Gmelin mihi tradidit. Gratias Tibi ago maximas, non ſolum propter aliena opera a Te edita & illuſtrata, ſed inprimis ob diſſertationem de Imperio nervorum in arterias: Tibi gratulor de invento ad rei medicæ egregium incrementum. Multis abhinc annis mirabar illas ſubitas mutationes in corpore humano fieri ſolitas, non tantum poſt vehementes animi perturbationes, ſed mentis in objecta abſtracta improbos labores: & quia a prima juventute in hypochondriacum incideram morbum, cogebar de

his frequentiſſime meditari : exhinc mihi natum horreum, & ex variis, quos legeram, auctoribus, obſervationum ea intentione, ut illud impetum faciens Hippocraticum, & effectus exinde natos in corpore animato facilius dignoſcerem, & perſpicerem : neque mihi defuit cum amicis, qui his delectabantur per litteras commercium, præſertim cum D. Kaau quatuor & ultra abhinc annis; dum totus in illis eram, ecce fortunato obtulit ſeſe mihi tom. III. Commentar. Magni Præceptoris a Te illuſtratorum & editorum, & locum ibi Tibi notum de laqueis ad arterias carotidem, axillarem & aliarum legens, quamprimum ad D. Kaau certiorem feci, & ab illo impenſe rogavi, ut in hæc pro ea qua præditus eſt dexteritate & perſpicacitate vellet cultro anatomico inquirere annuit: mihi multa & optima communicavit, & de miro *illo impetu faciente*, cujus vim, vel luci eſſe ſimilem vel Electricitati conjiciebam : dum his detinebar paratum jam ut a prelo exiret, habebat D. Kaau tractatum, cui titulus brevi edetur (puto nunc editum) *Impetum faciens* Hipp. dictum.

Hoc invento Tibi aſſerendo (neſcio alium, qui hac de re antea cogitaverat & ad praxin medicam intenderat) ruunt perbella illa theoremata ex hydraulicis petita, ad ſanguinem ex vena detrahendum. Jam celebres in arte viri in hæmoptyſi obſervarunt, mentem ex morbo perturbatam opio placandam iri, neque liberali tantum ſanguinis detractione innitendum. Tibi apprime nota quæ fere fruſtra congerere poteram; ſed longiori

giori calamo hæc referre libuit, ut intelligeres, quanti hoc inventum pendam, cum innumera exinde putem fore ut redundent arti medicæ commoda.

Quando poſtremo ad Te litteras dedi, procul dubio rebar fore ut ad Agrisgranum ſub hac tempeſtate me conferrem: ſed nimium mei amantes, & altiorem juſto opinionem de me alentes putant, me poſſe hic per medicam ſuppellectilem curari: annui & experimentum uſque, fere infauſtum, cepi: nam ante menſem colico dolore ita atroci, ſpasmodico fui correptus, ut putarem fore ut intra paucas horas non dolerem unquam; fortunato larga doſis opii, quam ſcribere non audeo, a carnificina illa me liberavit; ſpadanas hic adlatas bibere incepi: ſed merum cadaver, ventriculus renuit: unde cum *his luctor feſſus*, *nec emergo*, meliora ſperans. Vale, Perilluſtris Vir, & me amare favereque perge.

Petropoli 15. Julii 1745.

308.

## JO. B. MORGAGNUS.

Ex quo egregiæ quædam Diſſertationes tuæ ad meas olim pervenerunt manus, ſuſpicere in Te cœpi conjuncta, quæ vel disjuncta in Anatomicis ſemper laudavi, diligentiam in obſervando, & eruditionem in ſcribendo, quarum altera vera a falſis, altera nova a vetuſtis diſtinguimus:

& quoniam fieri non poteſt, ut quem ex animo laudamus, eundem non amemus; amabam Te antea quam tuis & officiis humaniſſimis, & muneribus gratiſſimis ad amandum provocares. Quo magis cumulatas pro utrisque gratias ago, habiturus quoad vivam, & quoad potero, relaturus, ut in iis quæ hinc ferre optaveris, procurandis experieris. Quod vero iſtinc pariter pro me facturum benigne polliceris, noli credere, me quidquam libentius accepturum, quam tua, ſive deinceps edenda, ſive ad hunc diem edita. Ex quibus præter ea, quæ nunc miſiſti, & Adnotationes ad Boerhaavium noſtrum, quarum partim apud me ſunt, partim in itinere; jam habeo Hiſtoriam diſſectionis fœminæ gravidæ, Deſcriptionem Fœtus bicipitis, Diſſertationem de Monſtris ſecundam, iteratas de Vaſis cordis Obſervationes, Programma de Uracho, & Allantoide, & Diſſertationem de Muſculis Diaphragmatis: quæ ſignificare volui, ut quæ mihi deſint optenturque, cognoſcas. Faxit Deus, ut multo pluribus communia ſtudia augere, quod ſtrenue hactenus feciſti, in poſterum pergas, pro certo habens, ut plurimi ſint, quibus pergratæ eſſe poſſint vigiliæ, & laudes tuæ, nemini gratiores futuras, quam mihi, qui a puero ad hanc ætatem nihil, ſecundum Deum, plus unquam amavi, quam Verum, (& qui me ad hoc magis magisque perſpiciendum ſuis ſcriptis juvarent, ſolertes, induſtrios, doctos, Tui ſimiles, Viros; ignotos quoque; tanto magis Amicos, in quorum numero Te, quæ tua eſt humanitas, habere ſummopere gaudeo,

gaudeo, & ſemper gaudebo, omni officio reverenter proſecuturus. Vale. D. Patavii poſtridie quam tuas accepi litteras, VII. Kalend. Octobr. cIↄ Iↄcc xxxxv.

309.

## JOH. GESNERUS.

Meam valetudinem multum debilitatam ſentio, cum ex eo tempore bis gravioribus acceſſibus febrilibus laboraverim, qui me per aliquot hebdomadas lecto affigebant & ab exoptatiſſimis in Botanicis laboribus impediverunt. Prior magna cum febre & capitis dolore & vomitu accedebat, & decimo quinto die ſuppuratorio faucium tumore remitteret. Poſterior exanthematicam produxit febrim purpuraceam, cujus adhuc veſtigia ſentio, ut mihi metuam, morbum in purpuram chronicam mutatum iri valde moleſtam. Effecerunt hæc, ut Thermas petierim Badenſes, a quibus redux hunc faſciculum cum Linnæi opuſculo, quod humaniter mutuo conceſſiſti, & Boerhaavii tractatu de Auditu a D. Gillero miſſo, D. Spœrio tradendum curavi, ut cum iis rebus, quas a D. Engel acceperat, Lipſiam transmittendas conjungeret. Polypi primam ſpeciem tandem in noſtris quoque aquis inveni, colore quidem pallide-fuſco a Trembleyano diverſum. A D. Brander Auguſtano Mechanico accepi literas & ſchedam, in quibus quæ parat inſtrumenta optica cum pretiis ſignificat. Admodum com-

commendantur ejus Teleſcopia reflectentia & Microſcopia, quibus etiam machinam Lieberkühnianam Microſcopii ſolaris addidit, ſed pretium Inſtrumentorum parum ab Anglicano differt: proximis diebus utramque expecto machinam. Leida accepi, Cel. Albinum demonſtrationes anatomicas fratri ſuo tradidiſſe, dum ipſe nonniſi phyſiologiam docet. Theſaurum botanicum Magni Conr. Gesneri in Volkameriano Muſeo Norimbergæ in Manuſcripto inventum fuiſſe procul dubio a D. Beurero intellexiſti, tum etiam quod Herbarium Schwenkfeldianum in manus D. Trew pervenerit, unde fortaſſe quædam pro locupletanda Hiſtoria tua Plantarum Germaniæ erunt exſpectanda. Vale, Celeberrime Vir, cum Tuis omnibus. Te ſalutant amici, quos Tiguri habes cum fratre meo & uxore, firmamque mecum Tibi optant valetudinem. Iterum vale & favere perge.

Scripſi Tiguri, d. 1. Octobr. 1745.

310.

## D. LUDWIG.

Cum incertus eſſem, an ex itinere redux factus fueris, de die in diem reſponſorias ad literas tuas vernales diſtuli, ita ut certe taxandus ſim, quod citius ad Te non ſcripſerim; de benevolentia vero tua convictus, hanc ipſam excuſationis ergo apponam. Omnes meæ curæ hactenus in terris poſitæ fuerunt, & multa negotia has

has ipſas diſturbarunt, ita ut ad opus edendum intra annum vix pervenero. Walthero noſtro de die in diem magis languente, flora tamen ejus multis modis aucta fuit, in his enim delicias vitæ poſuit, floruit Sesban. Proſp. Alp. Bonduc ramoſum ſive lobus echinatus Cluſii, & Echinomelocactus major, noſtris collectionibus addita fuerunt. Semina plura ſerotina fiunt & imperfecta, nonnulla tamen addidi, inter quæ ſi pauca tantum grata ſunt, ſufficit, cum nova ex Ruſſia paucis abhinc annis allata jam in veſtris viridariis vigeant. Gmelinus Floram Sibiricam promittit, ut ex literis ad Heucherum datis cognovi. Ex plantis ſiccis a Gerbero olim communicatis pauca exemplaria addidi, forſitan unum alterumque placebit, cum in locis natalibus collecta ſint. Sæpius dubitavi an Horticultura plus damni quam emolumenti adduxerit rei botanicæ. Fateor equidem plantas ex diverſis orbis partibus in unum coactas & admirationem ſpectatorum, & attentionem Botanicorum excitare, ſed ſi perpendo, quod plantæ multum recedant ab indole naturali, ſi in hortis colantur, fictas ſæpius ſpecies offerunt, & ad genera quoque quod attinet, nihil ferme commodi in exoticis, cum rarius floreant, rariſſime vel nunquam fructus gerant: ſed in plantis ſiccis in locis natalibus collectis multa quoque non adeo nitide exprimi poſſunt.

Ungues nuperrime a me examinati fuerunt, in his, licet bubillos ex pinguedine ſive celluloſo contextu ſub cute progerminare non cognoverim,

rim, tamen ſimilem cum pilis ortum & naturam adſcribo. Tendo extenſoris digitorum vel ut Albinus vult, extenſoris ultimæ phalangæ ex interoſſeis natus in primam phalangam quidem inſeritur, ſed alia membranacea expanſione lunulæ ad inſtar ungui imponitur, & a latere utrinque producitur. Vidi luſum inſignem renalis venæ, quæ ramum ſat craſſum dimittebat cum iliaca ſui lateris communicantem. Dabam Lipſiæ d. 15. Octobr. 1745.

Catalogum Bibliothecæ Weidmannianæ nunc mitto, pauciora continet medica, quam olim credidi, mittere tamen debui, ut vel Tu vel amici deſiderata ſua conſignent. Platnerus Tibi quoque mittit Chirurgiam ſuam, citius hoc factum fuiſſet, niſi commoda defuiſſet occaſio.

Prodiit altera pars opuſculorum Heucheri, fac quæſo, ut, ſi recenſio quædam in novis literariis Gœttingenſibus occurrat, famæ ejus parcatur; occurrunt in recenſione tomi primi nonnulla, quæ paulo acerbiora ſunt. Fateor in operibus collectis non omnia laudanda eſſe, ſed non irritandus eſt vir, qui quum ipſe nunc non ſcribat, alios tamen maxime beneficiis ſuis ſublevat.

311.

## J. G. GMELIN.

Semina & plantas ſiccas a me poſtulas, eximie Hallere. Nihil omittam, quod Tibi gratum

eſſe

eſſe non poſſit. Rogo autem aliquam ſaltem veniam, quod differre teneor, quod Tibi toto ex animo devovi. Vivimus in Ruſſia, ubi res minimi momenti interdum magnæ fiunt, modo accedat ſeſeque immiſcens homo malevolus. Spero me Ruſſia proximo anno exiturum, tunc omnia, quæ cupis, vel ad nutum tuum parata erunt. Niſi bellicis perturbationibus impeditus fuero, tranſibo Göttingam, tum ut amiciſſimo tuo conſortio frui poſſim, tum ut a Te plenius comperiam, qua in re Tibi gratus & utilis eſſe queam. Cyanum tuum deformatum in tranſactionibus vidi. Floram Suecicam Linnæi ante aliquot dies accepi. Magni habeo & majoris haberem, ſi propriis & ſolis Linnæi obſervationibus ſuperſtructa eſſet. Miror etiam, quod ſuæ plantæ iconem dederit, quæ non mala jam habetur, cum alius adhuc ignotæ dare magis e re botanica fuiſſet. Sed vix obiter intuitus ſum opus, ut plura de eo referre nefandum foret. Vale, Vir amantiſſime, & me porro ama. Dabam Petropoli, d. III. Decembr. cIↃ IↃCCXLV.

312.

## ANT. RIBEIRO SANCHES.

Niſi morbo quam diuturno fuiſſem usque præpeditus, Illuſtris Vir, jam dudum tuis reſcripſiſſem: nunc cum ſpes mihi adfulgeat, fore ut ſuavius vitam traducam, mea referre putavi, non tantum ut Tibi gratias agam pro gratiſſima tua

epiſtola

epiſtola 31. Auguſti data, ſed ut Tibi notum facerem Anatomicum noſtrum van Melen meis precibus fuiſſe adductum, ut internæ auris partes arte illa, qua pollet, ita præpararet, ut & ad Te mitti & tuam mereri laudem poſſent: venturaque æſtate per naves curabo, ut obtineas. Semina ex Siberia, & reliqua ad naturalem hiſtoriam ſpectantia ita inquirendo uſque non fui felix: dabo tamen operam, ut cum auris internæ præparatis aliquid de hujusmodi ſuppellectile accipias: forſan ex Imperio etiam Sinarum, aliquid venturo anno a Societatis P. P. Pekini degentibus expecto accepturus.

Jam vellem lætiora ſolito nuntia de noſtra Academia ad Te mittere. D. Gmelin, puto hac de re aliquid ad Te ſcribere. D. Schreiber valet, & quia totus in anatomicis edocendis eſt, raro illum video: tempori omnium malorum conſultiſſimo medico omnia tradimus, & confidimus. Res medicæ vel ob Magiſtratuum ſupinam negligentiam, vel ob auctiſſimum jam Academiarum numerum ita in dies labeſcunt, ut perditas iri credam: jam fatale vulnus eſt confoſſum: editum fuit lexicon, quod Galli ambabus ulnis amplexi quamprimum edere parant: catervas Medicorum videbis brevi: ideo precor, flagitoque, ut hunc inſanum impetum per tua Commentaria & reliqua, quæ paras, ſcripta ſufflamines: forſan decipiar! Sed Tu vide fatum amœnioribus litteris perverſe illatum ex illis domibus Socraticis, *Dictionaires* vulgo dictis.

Mira-

Miraberis forſan, Vir Perilluſtris, me extra virorum laude florentium conſortium, extra Muſarum dulce ſolum tantum capere mœrorem ob miſerrimum, quo jacet Medicina, ſtatum. Tenuit nos a prima juventute hic divus ardor recte ſciendi, & ſi adſequi non potuimus, indignamur ſuſpicienda deſpici. Incolumem & vegetum in ſeros Te ſervet Supremum Numen annos, ut ſtudia medica in priſtinum & egregium nitorem reducas. Vale & diu felix vive, & me ut ſoles ama.

Dabam Petropoli, 8. Decembris 1745.

313.

## J. F. SCHREIBER.

Hac in re monendum habeo, quod catalogum horti Moſcuenſis, a Gerbero confectum, & in quo nonnullæ, ſed paucæ, a B. viro deſcriptæ ſimul habebantur, Gmelino deſcribendum conceſſerim, quem mihi adquiſivi, quum, Gerbero iter faciente, plantas illius horti invitus demonſtrarem. Meminiſti, Ill. Teichmeierum idem mecum ſenſiſſe circa curam Peſtis, per hydrargyrum. Probe novi, meritiſſimum illum Virum multos labores practicos volviſſe, circa illud corpus naturale. Quare mihi gratum feceris, ſi mecum communicaveris, quæ rem hanc explanare poſſint. Certe ſi Haude Bibliopola Berolinenſis difficilis fuerit, in reimprimendo ſcriptulo de Peſte, alium mihi quæram; quum ſententiam meam

 ſat

ſat confirmatam, adhuc uberius probare poſſim. Vel pertinaciſſimi jam mihi concedunt, in hydrargyro quæri poſſe remedium Peſtis, niſi quod malint mercurio dulci efficacius: forte ſublimatum corroſivum, rite exhibitum. Vivit valde ſenex Vir Illuſtris, qui, credo, ante 40. annos a lue liberatus eſt Madriti, dum corpus mercuriale in palma per aliquot dies trivit, unde in profuſum ſudorem lapſus eſt. Audivi aliqua de ſpecie quadam belli litterarii, quod Tibi a Boerhaavianis indicetur, occaſione recenſionis Tuorum in Inſtit. Commentar. in Biblioth. raiſon. factæ, ſed belligerantes nondum novi. Relatum adcepi, Vos in veſtris novis publicis litterariis multa laude proſequutos eſſe eximium ſcriptum A. Kaau Boerhaave de impetum faciente, Hippocrati dicto. Ego inde plurima in uſus meos converti. Vereor vero, ut intelligatur Hippocrates, flatuum theoriæ addictus, vel legatur interpres Helmontius, &c. Quæ pluribus annis collegi, rem medicam ſpectantia, ea nunc colligo, & inter ſe connecto, forte non in uſus publicos, ſaltim in meos. Jam in medio, ut ſic dicam, Phyſiologiæ occupor. Promiſeram Tibi eventum aliorum calculoſorum perſcripturum me, ſi quæ circa eos experimenta cepero. Duorum diaria adcurate ſervo. En paucis rem: Ex præſcripto D. Roberti Whytt in Medic. Eſſ. Vol. V. Art. LXIX. alteri adoleſcenti, alteri viro, ordinaveram quotidie ſaponis Alicantici ℥i ſoluti in aqua calcis ex uſtreis factæ ℔. ß. Per trimeſtre fere quotidie uſi ſunt medicamento. Et, ſeptem menſibus examinati,

faſſi

faſſi ſunt, ſe nunquam adeo recte in vita habuiſſe, ac ſe adhuc nunc habent. Si perquires; aliquando curatius ad Te hæc daturus ſum. Ill. Sanchés, aliquamdiu morbo conflictatus, quam primum ad Te ſcribet; voluitque ut Tibi omnia bona de ſe nuntiarem. Fac ut valeas, mihique ſemper, ut ſolitus es, fave. D. x. Decembris, 1745. Petropoli.

314.

## CAROLUS LINNÆUS.

Literas accepi tuas, Amice æternum colende, die 10. Junii ſcriptas, ſuo tempore.

Floram Jenenſem, quam miſiſti, non accepi, ſed tamen comparavi.

Pulcherrimam figuram dediſti Saponariæ, & longe præſtantiorem iſta Menzelii in pugillo; hanc copioſe reperi in Inſula Carolina, uti colligere poteris e Flor. Suec. 346. & Itin. Gotland. 282. egregie creſcit in Horto academico.

Accepi tuum libellum de Alliis, ſtupendi laboris collectio ſynonymorum; ſi noviſſem antea, potuiſſem aliquot ſpecies communicaſſe.

Nunc video Te magnum opus parare, ſcilicet Floram totius Germaniæ; non dubito quin herbarium Burſerianum magni foret utilitatis, qui tam multas provincias Germaniæ obambulavit, & ſingulis ſpeciminibus loca adpoſuit.

Ego laboro cum Flora Zeylanica; accepi enim Herbarium ipſius Hermanni, quod in Zeylana collegerat; ſpecies plerasque ad ſua genera referam, genera multa nova obtineo.

Socii Societatis noſtræ Te ſalutant, & per me petunt, velis aliqua tua obſervatione Acta noſtra ornare, uti aliquoties promiſiſti.

Ante aliquot hebdomadas habui litteras Pariſiis, ubi dicunt Te Helvetiam tuam petiiſſe, & ibi Senatoris munus accepiſſe; ego vero hoc non credo.

Si habeas ſemina Chenopodii villoſi lini folio Hort. Gotting. 5. Amaranthi fruteſcentis p. 6. Amaranthi ſiculi p. 6. Chamæleæ 8. Commelinæ luteæ 14. Filipendulæ foliis ternis 19. Hellebori fætidi 20. Siſon 1. 2. p. 39. Solani ſpinoſi 47. Borraginoidis 51. Verbeſinæ p. 82. mittas.

Tu valeas & uti ſoles ſemper faveas. Dabam Upſaliæ 1746. d. 7. Jan.

## 315.

## J. G. GMELIN.

Hæc mentem ſubierunt occaſione pulchræ cujusdam ſeminum collectionis, a Stöllero haud ita pridem ex Sibiria acceptæ, quam ille in America & Kamtſchatca acquiſivit. Hucuſque omnes ejus res ex voto ſucceſſerunt. Speramus, proxima hieme Petropoli futurum; jam enim Ircutiam uſque

que rediit. Vereor autem, ut me hic inveniat, ſpem enim maximam jam concepi, fore, ut dimittar. Curabo autem ſolicite, ut & ego collectarum ab ipſo plantarum particeps evadam, quarum dimidia pars tua erit. Dices, me multa promittere, at parum promiſſis ſtare. Aliquantulum quæſo adhuc expecta.

Hæc omnia occaſione oblata, qua datum mihi eſt, litteras ad Te mittere ſine ſolutione portorii. Et quoniam integra plagula conceſſa eſt, alias includere ad Parentes commodum viſum. Tu curam ulterius ablegandarum quæſo ſuſcipe, quia opto, ut tuto in locum perveniant. Vale, optime amice, & me Tibi totum crede. Dabam Petropoli, d. XXV. Januar. cIↄ Iↄcc XLVI.

P. S. Si aliquam notitiam habes cujusdam Profeſſoris Gieſſenſis, Gerſten, quibus ex cauſis ille profeſſionem ſuam dereliquerit, enixe rogo, ut impertias, qua haud abutar.

316.

## D. LUDWIG.

Acceptiſſimæ tuæ die 7. Nov. a. p. ſcriptæ hoc ipſo anno mihi traditæ fuerunt, nunc cum ante hos tres dies, pulchræ terræ & faſciculus, quem hic Tibi trado, a noſtro Gesnero mihi traditæ fuerint, en prima data occaſione per currum publicum, cum reſponſoriis Tibi mitto. Allia vidi, nec facile contradicam Botanico, qui

genera contrahit, ut ſpecies augeat, doleo tamen, quod limites certos generum & ſpecierum, non uniformi modo in omni ambitu ſtudii ponere queamus. Arduum thema in Angiologia elegiſti, varietas cadaverum & iconum impoſſibilitas Tibi ſæpius incommoda erunt. Pergas tamen, quantum reliqua ſtudia tua permittunt, nam omnes plura expectant. Nova editio Proventuum Heucherianorum non quidem placere poteſt, ſed perpendas faciem ſtudii botanici eo tempore, cum Heucherus libellum conſcriberet, & facile condonare poteris Autori, qui tum temporis ſtudium methodicum introducere conabatur. Qui Rajanis principiis inſiſtunt, non ferre poſſunt Rivinianos. Dillenius Te amat & Tibi ſemina mittit, quoniam tua ad Rajum propius accedunt. Dillenius ob controverſiam cum Rivino omnes odit ex Saxonia oriundos. Hænelius vero ita quidem verſari voluit circa editionem Heucheri, ut ſua inſpergeret, ſed quantum præſtiterit ipſe noſti, id enim certe perſuaſum habeo, talem editionem operum Heucherum nunquam deſideraſſe, ſed ſatis de his.

Si peregrinatores omnes tam ſtudioſe deſcripſiſſent plantas ut Tournefortius, ex plantis in horto cultis ſyſtema non condendum eſſet; evolvas exercitatiſſimum Dillenium in Horto Elthamenſi invenies certe nonnulla in generibus, plurima in ſpeciebus mutanda eſſe non culpa autoris, ſed quod plantas in horto creſcentes deſcripſerit. Aloe Americana, quæ in noſtris hyberna-

culis

culis in ſtupendam ſæpius magnitudinem excreſcit, longe aliter a me viſa fuit in Africa, flores lutei, ſcapus non adeo altus, & reliqua. Inter centum icones, quæ ad vivum delineantur in hortis, non decem ſunt, quæ naturalem plantæ indolem oſtendunt. Experientia edoctus loquor, qui plantas in Africa creſcentes vidi, & poſtea ex ſeminibus in horto productas cognovi. Origanum noſtras, monſpeſſulanum & creticum quantum differunt inter ſe, ſed mihi videntur unam ſpeciem conſtituere, varietas a loco. Si forſitan quædam ſemina habes ab amicis miſſa, quibus commode carere poſſis, mittas quæſo, nam nec in horto noſtro adeo ſeminibus abundamus. Spero ex Italia quædam.

Lipſiæ d. 22. Jan. 1746.

317.

## J. G. SIEGESBECK.

Nullam aliam novi viam vel modum, quo ſeminum faſciculus, Horto noſtro Academico deſtinatus, transmitti poſſit, quam per curſores publicos ordinarios Lubecam uſque, & quidem ad Dn. Dn. Jo. Gerardum Wagnerum, Celeberrimum apud Lubecenſes Medicinæ practicum, ad quem etiam faſciculum, Tibi ultimo miſſum dederam. Sed neceſſum erit, ſoluto (ne ægre ferat) ad hanc ipſam ſtationem poſtarum pretio, ut quam primum fieri poſſit, ablegetur faſciculus, quo cum primis navibus eum impetrare, & ſemina

mina mox terræ amandare queam. Mitto denuo ſemina nonnulla, præterita æſtate in Horto noſtro ad maturitatem perducta. Sed cur ad Gmelinum ſcripſiſti, quod Tibi communicaverim *Amethyſtinam*, cujus in Ammanni deſcriptionibus nominotenus ſolum mentio facta? Sic enim prohibeor & impedior, ne unicum amplius Plantarum Sibiricarum, quarum Deſcriptiones in Ammanni Tractatu non leguntur, quarumque plures adhuc reſtant, ſemen Tecum communicem. Reſervavit ſibi Gmelinus poſt reditum ſuum ex Sibiria, harum Deſcriptiones; ſed quando tandem hæ lucem videbunt publicam? Ipſe jam elaboravi Floram Petropolitanam campeſtrem & ſpontaneam; poſſideo quoque Floræ Moſcuenſis Mſct. B. Gerberi, juxta Tournefortii methodum diſpoſitum, ſed varia hucuſque hic ſe obtulerunt impedimenta, quo minus hæcce ſcripta prelo ſubjici potuerint. Si Tibi ſuperſit exemplar Diſſertationum de Veronicis Alpinis, enixe illud efflagitarem. Cura ut valeas. Dabam feſtinanter ex Horto Academico Petropolitano, ad diem $\frac{1}{12}$ Januar. 1746.

318.

## J. G. GMELIN.

Epiſtolam tuam, Dorriens concreditam rite ad me perveniſſe poſt acceptas a Sanchetio litteras, quibus meas incluſi, non amplius dubitabis. Eſt vero Tibi omnino cauſa, de tarditate mea conquirendi. Diſtractus ab aliquo tempore perpetuis negotiis

negotiis & curis etiam obtinendæ dimiſſionis, non tam frequenter cum amicis verſari poſſum, ac adhuc mihi mos fuit. Nudius tertius epiſtolam tuam 6. Jan. ſcriptam accepi. Cum D. Sanchez ipſa illa veſpera, qua epiſtolam tuam obtinui, communicavi, quæ illum ſcire intererat. Ille etiam mox ſcripto regeſſit: „ Je vous remer„ cie pour la communication de la lettre de Mr. „ Haller, que je venere & eſtime avec diſtinc„ tion: mais ſon adverſaire ſurement n'eſt „ pas Mr. Kaau; demain je vous dirai les cir„ conſtances ". Dixit itaque altera die, diu jam hæc ſibi nota eſſe, nec C. Thomſium eſſe, qui critica in Te ſcripta urgeat, ſed eſſe illum, qui van Sviten opera Leidæ ſuis impenſis imprimat, propter eam rationem, quod in illa opera aliquanto vehementius invectus ſit, qui tuos commentarios in Bibliothèque raiſonnée recenſuit. Hunc Bibliopolam nactum eſſe hominem juvenem, genuinum Boerhaavii diſcipulum, doctum & fervidi ingenii, qui calamum contra Te ſtringat (*Nortwyck*). Kaauwium extra omnem culpam eſſe, ipſum ejus fratrem germanum, qui alter eſt Imperatricis Medicus, de tota iſta re nihil plane ſcire. Id quod & ego ſatis confidenter teſtari poſſum. Nam ſæpe cum illo ſum, nec raro colloquia miſcemus de rebus eruditis, quæ apud exteros gerantur. Sanchez aſſeverat, quamprimum de hac re audiverit, ſe dediſſe literas ad bibliopolam illum, in quibus maxime dehortatus illum ſit de ſuo propoſito, nondum autem tuliſſe reſponſum; quantocyus adhuc ſcripturum eſſe & ſi

in ſua poteſtate ſit, impediturum; vereri tamen ſe, ut aliquid efficiat. Hoc in caſu ſe ſuadere Tibi, ut omnia patientiſſime perferas, donec editurus ſis Commentarios tuos majores in quarto, ubi liceat Tibi in præfatione commemorare ſcriptorum eriſticorum in tuos Commentarios & ſimul declarare, Te ephemeridum ſcriptores non adeo magni habere. Et hoc conſilium mihi quidem omnium æquiſſimum videtur. Bilis enim, ſi illud ſequeris, non admodum commovebitur, nec tempus iniquè perdes, nec orbis eruditus proventibus tuis, quos ſine fuco adhuc ſuſpexit, & quos in dies ferre majores potes, defraudabitur. Flora Linnæi placet. Eſt enim ſtupendæ ejus diligentiæ novum argumentum. Vereor id unicum, ne nomina ſpecifica recentiorum olim plura futura ſint, quam antiquiorum, unde moli librorum botanicorum novum augmentum accedet. De Junco 284. dubito, an Vaillantianum Rajum ſynonima conveniant; ego certe illum, quem intellectum vult Autor, ut alia ſileam, nunquam pede inferiorem inveni, ſæpiſſime autem duos cubitos excedit. Vale & me porro ama. Dabam Petropoli d. XVIII. Jan. CIϽ IϽCC XLVI.

319.

## ADRIANUS VAN ROYEN.

Si vales, bene eſt, ego valeo, multumque me tuæ debere liberalitati humanitatique lubens & gratus agnoſco; præter enim eruditam Helveticarum

earum Stirpium Hiſtoriam, in qua non inutiles trivimus horas, doctiſſima quoque habemus tua in Inſtitutiones Boerhaavii Commentaria: gratulor, Vir eximie, utrosque aliosque jam exantlatos labores toti emunctæ naris Medicorum Botanicorumque ordini. Quod vero calidorum quorundam hominum minas attinet, noſti, virtuti comitem ire invidiam. Negotium ipſum ita geſtum & audio, & non ſine ratione ſuſpicor. Nimirum in libello, ni fallor, quem Galli Bibliotheque raiſonnée appellitant, facta comparatione inter tua in Inſtitutiones, & Gerardi van Swieten in Aphorismos, Boerhaavii Commentaria, concludunt, Dominum van Swieten (utpote verbo tenus dictata Magiſtri ſecutum) commentatum fuiſſe *en bon Catholique*; Te vero, Amicorum optime, (utpote qui nonnulla hinc inde emendare, obſcuriora illuſtrare, & novis inventis augere ſategeras) *en bon Proteſtant.*

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?

Id vero cum ægerrime tulerit, Teque ſimul facti hujus auctorem ſuaſoremque crediderit Swietenius, (ultrices armans in tua fata manus) calamos conduxiſſe dicitur D. van Noordtwyck, & Hovii; quorum alter, ei per affinitatem conjunctus, Leidæ, alter Amſtelodami medicinam exercet. Hi, & ſi qui plures, ordinis Jeſuitici commilitones Tibi, vivoque Leoni, quem nemo impune laceſſat, inſultare velle traduntur. Tu his prudenter utere. Semina miſſa accepi, Ruppiumque tuumque de Allio Tractatum avide exſpecto.

Tu

Tu vero, vel una cum his, vel deinceps (opportuno tamen tempore) 60. circiter ſemina accipies, quorum tertia pars ex Cap. Bon. Spei recenter advecta haud dubie germinabunt, modo quantocyus ea, ut ipſe fieri curavi, terræ commendes in hybernaculo non nimis calido: mihi ſaltem maximam partem prodierunt. Floram Suecicam miſit Linnæus una cum Diſſertationibus de Coralliis Balthicis, & Peloria, monſtro ſane inſolenti, ſed quandoque bonus dormitat Homerus.

Simultatis illius, quam cum nullo mortalium exerces, niſi monuiſſes, prorſus fuiſſem ignarus; ſed mittamus hominem impium & ingratum, fungum noxium, &, omnium in his terris teſtimonio, bipedum nequiſſimum.

Magni Boerhaavii Vidua nuperrime e vita exceſſit inteſtata, ſortem vero ſuam ſub dira tyrannide gemebunda, ſed ſero, dolet Filia. Hinc fide, ſed cui, vide. Tu interim vale, Vir optime, mihique, ut ſoles, favere perge.

Dabam Leidæ Batavorum ad d. 10. Febr. 1746.

320.

## J. JAC. DILLENIUS.

Quum in ſeligendis & compingendis pro Te ſeminibus occupatus eſſem, allatus ad me, non equidem per M. Alberti, quem nominas, ſed

ſed procul dubio ejus cura, quodam ex noſtris curribus publicis faſciculus, quo continebatur Ruppius tuus & lib. de Alliis, licet abſque iconibus, pro quibus gratias ago.

Ea occaſione breves a Te habeo litteras, 9. Octobr. 1745. ſcriptas, ex quibus intelligo, quæ ad bibliopolam Changuionum pro Te miſeram, Te nondum recepiſſe. Miſeram autem April. initio 1745. faſciculum Muſcorum, & Oct. 9. ad eundem dedi faſciculum ſeminum. Præterea Maji initio, cum eſſem Londini, nactus eram Plotii Hiſtor. Nat. Oxon. & eam ad eundem, Tibi mittendam, deferri curavi. Deſideras in dictis litteris, ſi quæ haberem ſemina, ea ut ad D. Reich Roy. Scient. mitterem. Sed cum faſciculus ſit major, quam ut per veredarios publicos mitti poſſit, miſi eum hac die Londinum ad Mercatorem Kruger, cognatum amici mei veteris, J. H. de Sprekelſen, ut Hamburgum prima navi ad eum deferri curaret, a quo non dubito, quin prima occaſione recepturus ſis; & ego quidem opto, ut mature & antequam ſationis tempus præterierit, accipias, cum multum temporis in colligendis impenderim. Semina ſunt circiter 175. inter quæ forte quædam erunt, quæ jam habes, ſed ſpero multorum aliorum Tibi copiam non eſſe. Paucis demptis, omnes ſunt ſoli liberi plantæ: Legum 45. Miſcell. 32. Miſc. biennia 40. Miſcell. perennia 53.

Helvetii & Haſſi bene concordant; nam ut olim de Cordo Geſnerus, ſic Tu de Ruppio bene meritus

meritus fuiſti. Ruppius tamen multo minor fuit Cordo, venator licet egregius. Ceterum ſi res mei fuiſſet arbitrii, expunxiſſem omnes non tantum exoticas, ſed & hortenſes plantas, quin & reliquas locis remotis naſcentes. Saltem ſufficere poterant, quæ in vicinis Academiis Saxoniæ naſcuntur. Ubi quidem miror nec Ruppio, nec Tibi in mentem veniſſe, quæ obſervavit Val. Cordus tum Jenæ, tum Witembergæ, tum alibi, v. gr. inter alia Daucum cyanopum L. 2. c. 122. Witembergæ copioſe naſcentem, quem canis ille non odoratus eſt, ob quem ſcomma in Rivinum invita minerva (mal à propos) projectum retorqueri poſſet, nempe occaſione Marrubiaſtri illius Cardiacæ folio Bocc. quam plantam omiſſam obſervo in tua edit. forte, quod credas ex horto ad foſſas Witemb. perveniſſe; ſed hoc non veroſimile de Pimpinella illa. Ejus ſemina inter cetera miſi; tu cognoſce an eadem omnino ſit ſpecies, quæ Witembergæ naſcitur. In Anglia nondum vidi. Habui ſemina e Gallia. Radices primo anno albæ, altero & tertio extus nigræ fiunt, intus ſemper albæ, quæ præciſæ poſt aliquam moram plorant ſuccum ſubcæruleum, parce tamen. Sunt minus, quam aliarum ſpecierum acres.

Addidi his ſeminibus libellos aliquot, nempe Deeringii & Sloane Catal. Jam. it. Cat. Oxon. Utrum deſideraveris, recordari non poſſum, amiſi autem notam vel catalogum librorum Bot. a Te deſideratorum. Cum parvi ſint & rarius occurrant, credebam eos Tibi deeſſe.

Ame-

Amethyſtina mihi nondum viſa. Habemus Caraguanam alteram quotannis florentem & ſemina ferentem, ex quibus ad Orobum refero; Jacea a Te deſcripta in Act. Phil. eſt Jacea calyculis argenteis major T. Lactuca folio ſaligno R. non differt a 4. ſyn. Raj. p. 162. nec ceteræ ejus plantæ novæ ſunt. Vale & quotiescunque libuerit ac vacaverit per curſores publicos ſcribe.

Oxonii Febr. 17. 1746.

321.

## J. F. MECKELIUS.

TE, uti ſoles, per hoc hybernum tempus, indefeſſis tuis doctiſſimis ac ſolertiſſimis laboribus, rarioribus obſervationibus, ac accuratiſſimis indagationibus ad anatomiæ incrementum plurimum contuliſſe, tam certus ſum ut nequeam eſſe certior, nihilque magis, quam iisdem pariter intereſſe optarem; ſed me per hanc hyemem, Profectoris, quod ita dicunt, officio, in theatro quod hic eſt anatomico regio, fungi, Profeſſoris anatomiæ hic degentis Buddæi ac reliquorum coegit benevolentia, qui illud oblatum recuſavi quidem, tantum abeſt ut illud ambiverim, attamen antecedente Profectore Dno. Schaarſchmidtio, illud accipere debui, atque per hoc præterlapſum tempus, ſummo, quod venia tua dicere liceat, cum honore omniumque approbatione perfeci. Tua ſunt, Vir Illuſtris Excellentiſſime, quæ glorior,

Tua

Tua quippe doctiſſima præcepta me aptum reddiderunt ad illud ſuſcipiendum Tuique ac Tuorum in me collatorum inſignium beneficiorum, immortalem mens mea gratiſſima ac devotiſſima aſſervabit memoriam. Varia curioſiora, quæ ſeſe, in plurimorum quæ nobis hic ſunt cadaverum diſſectionibus, mihi obtulerunt, brevibus attingere liceat: Primum quod dicam, eſt veſicæ prolapſu laborantis puellæ viginti annorum cadaver; hac ratione ſe habuit: ſub nymphis, eo in loco ubi urethræ ſolet eſſe exitus, in vaginam prominebat conicum triangulare ſolidum ac durum corpuſculum, lobuli Spigelii hepatis figuram referens; hujus baſis inſiſtebat aperturæ urethræ, apex vero coni in vaginam deſcendebat. Aperto abdomine veſicæ inverſæ corpus hoc pyramidale eſſe apparuit, quæ cum peritonæo, ejus ſuperficiem poſteriorem ac ſuperiorem obducente per ſphincterem veſicæ relaxatum, ex urethra prolapſa erat, atque in durum, ſolidum carneum intus peritonæo extus vero nigricante ab aëre, rugoſa membrana obductum corpus commutata erat; in abdomen hiabat ſphincter, a peritonæo ſimul cum veſica protruſo, clauſus: inſertio ureterum adhuc aderat, in veſicæ corpus, conſtricta tamen atque clauſa, quippe cum ſinubus veſicæ per ſphincterem pariter abdomine egreſſa erat aliqua ureterum portio. Extus in vaginam veſicæ prolapſum corpus nullo orificio apertum hiabat, multo minus in abdomen, ubi a peritonæo plane clauſum erat. Renes duplo naturali majores, erant ſacci purulenta, mucilaginoſa materia pleniſſimi,

niſſimi, quæ totam repleverat pelvis, in ligamentoſam fere duritiem transmutatæ, cavitatem, atque ureteres utrinque ad pollicis diametrum a renibus aduſque inſertionem ſuam in veſicæ corpus dilataverat. Nulla aderat fiſtula in inteſtinum rectum, multo minus exitus urinæ in abdomen; annulum in vagina uteri ceraceum geſſit, quem forte puellæ iſti imprudentes applicarunt chirurgi, qui prolapſum vaginæ vel uteri hunc veſicæ eſſe putarunt. Puellæ ipſius corpus reliquum obeſum, robuſtum minimeque emaciatum erat, ſed floridum, quod certe tum ob puris in renibus collectionem, tum etiam urinæ impeditam ſecretionem mirandum erat; & cum prolapſum hunc diu duraſſe pateat, difficile judicatu eſt, ubinam urina tam longum permanſerit tempus, an reſorbta in inteſtina? Secunda obſervatio erat renum, quorum quilibet duobus, pollicis diametrum adæquantibus, ureteribus in veſicam urinariam hiabat, quorum alter ex pelvi renum ſolito modo, alter vero eorum ſupra hunc, ex renum exulcerato ſacco ortus, ab utrisque lateribus duæ veſicæ ſinubus inſerti erant.

Ceterum calculos in ureteribus infantum mire dilatatis varios inveni. Quæ adhuc aſſervo. In angiologia præter venarum & arteriarum renalium plurimas varietates, notabilis erat ramorum ex arcu aortæ prodeuntium varietas. Ex aortæ nempe trunco adſcendente vulgo dicto, ubi ſeſe in arcum flectit, ejusque facie quidem anteriori, orta conſpiciebatur arteriola impar, lineæ dia-

diametro, poſtquam cum aorta cera repleta erat, in pectoris cavitatem deſcendens; & ex arcu ejusdem aortæ inter carotidem ſiniſtram & ſubclaviam ſiniſtram immediate oriebatur arteria vertebralis; ex trunco carotidis autem thyreoidea inferior.

In cerebro aliquot ante dies in uſum tyronum anatomicorum, qui præparantium nomine veniunt, & quorum inſtructio jam mihi incumbit, diſſecto ac demonſtrato, ventriculorum cavitates omnes, tum ſuperiorum ſive anteriorum, tertii & quarti albo ſpiſſo pure repletas reperi, nervosque opticos, ubi in ſella tunica confluunt, cum inſertione infundibuli, in glandulam pituitariam, ut & baſin cerebelli totam cruſta purulenta, tenaciter, inſtar pelliculæ, cohærente, obductam reperi. Septum vero lucidum lineæ mathematicæ craſſitie, ad uſque partem fornicis poſteriorem, ubi ſeſe in crura dividit, protenſum.

Ceterum, quod Boerhaavius in phyſiologia negat, Tu vero comprobas, aliquoties jam in robuſtiſſimis corporibus ventriculum ſive ſtomachum cibis plane vacuum reperi.

Roſtochii nuper aliquis pro gradu de ductu glandulæ inguinalis in urethram hiante diſputavit, atque hinc bubones ex inflammatione urethræ in gonorrhœa & lue venerea deducere conatus eſt. Sed Profeſſor Detharding, qui hæc ipſe ſcripſerat, adhuc valde dubius de rei hujus veritate fuit; ego nil potui invenire, & certe nimis longus foret ex his glandulis ad urethram ductus, qui

qui tamdiu latere non potuiſſet, videtur mihi vaſculum arterioſum pro ductu aſſumſiſſe; iconem cum diſſertatione accipiam, ſimulac prodierit; Tibique illam, ſi licebit, ſtatim transmittam.

Berolini, d. 1. Febr. MDCCXLVI.

P. S. Cum hodie ante meridiem ad ſitum partium abdominalium auditoribus demonſtrandum, cadaver maſculinum inciderem, veſicam urinariam duobus calculis, ovo gallinaceo paullo minoribus, ovalibus, compreſſis, levi altero, altero vero aliquantulum aſpero, repletam inveni. Veſica urinaria circa hos calculos conſtricta craſſitiem duarum linearum mathematicarum tunicarum ſuarum habebat; renes vero cum ureteribus naturali magnitudine præditi erant. Præterea arteriæ meſentericæ ſuperioris in eodem ſubjecto cavum, plane fere coalitum, vix ac ne vix quidem acum transmittebat, inſtar arteriarum umbilicalium; & quidem ſtatim ubi ex aorta prodibat in tale ſolidum degeneraverat ligamentoſum corpus. Infantilis vero cera repleti cadaveris abdomen apertum puris enormem exhibebat copiam, inteſtina vero omnia cruſta purulenta tenaci plusquam lineæ craſſitie, exterius obducta, atque hujus ope coalita. Inflammatio & hinc orta ſuppuratio hæc pro fundamento habebat inteſtini recti procidentiam, quod inflammatum ac mire turgidum a ſphinctere conſtrictum, extra anum prominuit, circuloque ſanguinis impedito, cauſſam inflammationi ac ſuppurationi dedit.

322.

## J. F. MECKELIUS.

Rariora a Te, anatomica ſubtiliſſime ac doctiſſime perluſtrante, inventa, ut ut utiliſſima, ita etiam ſunt rariſſima; qui nunquam me de arteria omphalomeſenterica aliquid legiſſe memini, tantum abeſt ut viderim. Inter illa quæ mihi ſeſe hic obtulerunt, calculus eſt veſicæ urinariæ, ex ſexagenarii cadavere exemtus inſignis magnitudinis, totam veſicam replens ac diſtendens; ovo gallinaceo quatruplo major, quatuor pollices latus, quinque vero & ultra altus, craſſitie duorum & dimidii pollicis, ſuperficiem totam plane aſperam exhibens, ad veſicæ figuram ovalis, baſi latiori, in medio compreſſior; veſica urinaria plane erat relaxata, & ſeſe expandi ac dilatari ulterius flatu immiſſo facillime permittebat; cum in aliis calculoſis tunicæ veſicæ craſſiſſimæ ad calculum conſtrictæ ſint, ulterius non multum dilatabiles, quod forte magnitudo calculi hujus fecit. Veſicula fellis in eodem cadavere pleniſſima calculis erat ſulphurei coloris, variæ figuræ; in renibus autem nullum calculi erat veſtigium, ſed hi cum reliquis urinariis partibus plurima ſicca pinguedine erant obducti. Calculum hunc in veſica urinaria adhuc latentem cum renibus aſſervo, ac occaſione data, Tibi monſtrare potero. Præter vulgarem autem opinionem in rene dextro invenio calculos renales jam ſecunda vice, alterum in pelvi renali renis dextri

dextri triangularem, complanatum, alius vero ſexagenariæ cadaveris renem dextrum plane membranaceum, omni corticali ac tubuloſa ſubſtantia deſtructa, calculis repletum anguloſis reperi; vaſa vero in interna ſacci membranacei hujus, in quem ren abierat, ſuperficie repentia, obſervavi, ureterem vero dilatatum calculis pariter plenum. Veſiculam præterea felleam eroſam plus quam duodecim foraminibus in abdomen hiantem, omnemque bilem in cavum abdominis effuſam, in puellæ viginti annorum plethoricæ, ac obeſæ cadavere vidi.

In utero puerperæ, adhuc ſatis amplo, diſſecando ac demonſtrando jam jam occupor, ductusque lactiferos mammarum cera a mercurio replevi, vaſa vero uterina ſpermaticaque, imprimis venoſa mire dilatata reperio, & utrasque arterias ſpermaticas ex renalibus, dextram ac ſiniſtram, ſiniſtram autem diametrum lineæ mathematicæ ſervantem, inter venas ad ovarium & uterum pergentem obſervo, duasque venas ſpermaticas in ſiniſtro pariter ac dextro latere, quamlibet triplo arteria ampliorem, in renales venas ſeſe utrinque inſerentes. Renales arterias in uno latere ſæpe tres ex aorta prodeuntes obſervo; & quæ ſunt alia in angiologia plura notabiliora, quibus recitandis nunc ſuperſedeo, ne moleſtus Tibi ſim

Conſilium tuum, quod mihi roganti dediſti doctiſſimum ac ſincerum, novum mihi eſt inſi-

gnis benevolentiæ tuæ ſignum, quod gratiſſima mente agnoſco; ex illis vero deſcriptionem nervi quinti elegi, quamvis pauca ſuperſint, a Te in commentario ad Boerhaavium doctiſſimo, non exhauſta.

Diſſertatio de ductibus glandulæ inguinalis nondum edita, ſed adhuc ſub judice lis eſt; an vera ſit obſervatio. Dethardingius enim adhuc de vera ejus dubitat exiſtentia, & a me rogavit, ut inquirerem; miſit ipſe candidatus mihi, hanc quam addo, ſuam æri inſculptam figuram, quam ipſe delineavit; ſed uſque adhuc nullus ſeſe mihi ſtudioſe inquirenti obtulit ductus, nec figura hæc reſpondet figuræ ſatis irregulari & in omnibus fere cadaveribus diverſæ glandularum inguinalium; nec numerus, quippe multo copioſiores has invenio glandulas; mercurio replevi vas quoddam, ex omnibus glandulis inguinalibus tum in inguine, tum pelvi jacentibus collectum, ex pelvi ſub ligamento Fallopii adſcendentem, ſuſpicatus initio fore ductum; at cum ulterius perſcrutarer diſſecando, venam ex his glandulis collectam, in cruralem venam, ſupra ortum ſaphenæ internæ inſertam eſſe, reperi; quod valde probabile mihi videtur illum pro ductu habuiſſe, cujus inſertionem ipſe ille nondum habuit compertam, ſed tantum vaſcula mercurio repleta pro ductu habuit, & Ellerum jam multos glandularum harum ductus deſcripſiſſe ait, quos quidem in his glandulis, ſed minime excretorios, ſed venoſos ſive venas ac arterias reperio; quid de his & incongrua hac Auctoris

Auctoris figura ſentias, vellem me certiorem fieri poſſe; ad me quod attinet, huic invento parum tribuo, commotus factis experimentis. Nova hic nulla memoria digna geruntur, quorum Te certiorem facere poſſem; quare favori tuo me ſummopere commendans in his ſubſiſto; qui nunquam eſſe deſinam &c.

Berolini die 12. Martii MDCCXLVI.

323.

## A. RIBEYRO SANCHES.

Tuis ad me datis 16. Januarii, Illuſtris Vir, jam dudum reſpondiſſem, ſi ægrotis ex munere inviſendis & curandis, ſubinde febre catarrhali per hebdomadas duas impeditus uſque non fuerim; & quamvis DD. Gmelino & Schreibero, quid cogitabam circa ſcripta in Te parata ſignificaverim, & rogaverim, ut Tibi notum fecerint, dum ego per litteras apertius Tecum agerem, calamum, quem adhuc manus tremula vix regere poſſum, auſus ſum aſſumere, ut ſcires, quæ Tui cauſſa ſuſcepi, & quomodo cum detractoribus Te gerere debere.

Quamquam ipſe conſilio abundas, tamen cum multum Tibi debeam, & ob merita, quibus polles Te ardenter amem, quid mihi nunc videatur Tibi agendum his in adverſis temporibus, audeo communicare. Interim Tibi perſuadeas,

 quæſo,

quæſo, flagitoque, ne libertatem, & animum Tibi addictiſſimum, neque minus candidum petulantiæ arguas: potius ego quid facerem, ſi ſimilia pati cogerer, vellem ut intelligas, quam eo inſaniæ pervenirem, ut Te ridiculo ſupercilio, virgave cenſoria in tramitem ſalebroſum ducere conatus eſſem: quapropter ſpero confidentiæ ut ignoſcas, quando intelliges, me potius tuam tranquillitatem ſtatuere, quam prudentiam meam oſtentare velle.

Ad amicos meos, qui conatibus meis favere poſſunt, jam ſcripſi & ſcribam adhuc, immo ad bibliopolam mihi familiarem, qui multum auctoritatis, ut plerique ejus ſodales, apud hos mercenarios ſcriptores habet, ut illos cogant ab hac ſcribendi famoſa ſcripta, ſcabie, in eruditos viros diſcedere, neque inpoſterum deſinam omni ſtudio illos in meas adducere partes.

Jam per D. D. Gmelin & Schreiber Tibi notum feci, me fidem pro Abrahamo Kaau, qui nullam in ſcriptis a Te lectis, & in Te paratis partem habet, dediſſe; inſuper me ſuſpicari eſſe obſcurum quemdam hominem, qui a male feriatis, vel lucro inhiantibus compulſus fuerit, ut illa ederet ſcripta, & viam, quæ mihi foret tenenda hoc in negotio; ſilentium tantum mihi premendum; & commentaria, quæ ſcribere incepiſti ſecundis curis polienda, & augenda, ita elaborare & conficere, ut lucem quamprimum videant, & ea præfari, quæ putas neceſſaria ad retundendam horum mercenariorum petulantiam.

Dicis

Dicis facillime hæc dici, aſt exſequi & ferre non facile : nam memores iræ ita de ſede ſuá mentem depellunt ad colendas muſas, ut omnem mentis aciem, omnemque vigorem penitus convellant. Ita fieri cognovi; nam recta ingenia injuria debilitantur, ſicut perverſa audacia confirmantur. Sed cum in excelſo ſis poſitus, propter ea, quæ cum laude edidiſti, loco, illum ſervare, & ad ſummum, quod jam jam attingis gloriæ culmen pervenire non poteris, ſi curriculum, quod incepiſti ad metam non perduces victor, vel in ejus medio ſiſtere, vel ſtare decreveris: cum dedecore Te revertiſſe clamabunt tui detractores: ideo calamos pro Boerhaavii nomine ut frangas auctor Tibi non eſſem; quod ſi feceris, monumentum obſtreperis cicadis gratiſſimum, & amicis, & Te colentibus acerbiſſimum erit.

Doleo animum acrem tuum, qui tanta cum laude ab æqui æſtimatoribus tantos pro vera Medicina ſuſcepit labores, ita factum eſſe, ut cogaris ad me ſcribere „ me hac iniqua Boerhaavia„ norum conjuratione omnino inutilem reddi, „ qui porro aliqua in eum ſcribam " Dii boni non ne a teneris imbutus es Heroas

Dum terras, hominumque colunt genus, aſpera bella
Componunt, agros adſignant, oppida condunt:
Ploravere ſuis non reſpondere favorem
Speratum meritis &c.

Si his Te imbutum ſcio, quare ad exequendum non compelleris? nonne Te movent tot illuſtrium virorum exempla, ſimili calamitati, dum vivebant obnoxiorum, ut eamdem, quamvis aſperam, viam, ſicut illi cicadas illas detractorias flocci pendentes, invicto animo teneas? & ut in memoriam revocem ea, quæ Tu melius & plenius obtines, tamen quæ in curriculo vitæ meæ experiri fui coactus & tacite ferre, hic ex Alciati Embl. 154. adducere non deſinam:

Audent flagriferi matulæ, ſtupidique magiſtri
  bilem in me impuri pectoris evomere:
Quid faciam, reddamne vices? Sed nonne cicadam
  ala una obſtreperam corripuiſſe ferar?
Quid prodeſt muſcas operoſis pellere flabris?
  Negligere eſt ſatius, perdere quod nequeas.

Non hæc, ſed præſtantia animi tui Te movebit, ut ſecundam (neque ego dimittam in rogando pudorem meum) editionem Inſtitutionum Boerhaave ſecundis curis altera parte, videlicet, univerſam, quam Pathologiam appellabo, auctam, ut librum abſolutiſſimum de theoria corporis humani ſani & ægroti haberemus: & jure meritoque a Te tantum hoc opus Reſpublica Medica ſperare poterit: moveat Te operis præſtantia, moveat Te neceſſitas: erit Tibi labor facillimus, quia per decem & ultra annos in his tanta cum laude ſis verſatus. Jam copioſiſſima adverſaria ex Actis Academiarum Europæ, obſervatoribus, viato-

viatoribus, Anatomicis collecta in univerſam Philoſophiam Medicam poſſides. Si ad alia ſtudia Te convertes, mille premeres difficultatibus; difficilior via, neque tam egregia, in medio operis deficies. Non me latet quam perbella in Botanicis & Anatomicis perficere poteris; ſed has ut ſcis puto eſſe illas Virgilii *artes mutas*: Horrea poſſidemus multa hiſtoriæ naturalis; ſed ad hominum utilitatem & uberrimum uſum valde remotiſſima; hæc relinquenda cenſeo illis, qui nihil aliud niſi colligere, & deſcribere poſſunt: ſed jam oſtendiſti in Phyſiologicis & Pathologicis Te majora & fructuoſiora in commune bonum poſſe conſequi & explere: perinde ſi ab inceptis tantulum deflexeris, inimici quamvis abjecti alas ſument, & in maledictis acriori rabie laceſſere pergent, & omnes boni, inviti quamvis, depreſſum, quem geres animum, accuſabunt.

Ideo a Te precor & ardentiſſime flagito, ut calumniis editis, vel non editis in Te, obſurdeſcas, & ut opus quod ſuſcepiſti, ad umbilicum perducas, & ſi Burmanni Te movet exemplum, quando opus præfaberis, ſale & aceto corium illorum calumniatorum læte & tute perfricare poteris: opus ipſum medicinæ ſtimulos addet, & illorum rabiem obtundes, & vim maledictorum in tuto locatus proſternes.

Hæc ſunt, quæ Tibi addictiſſimus & devinctiſſimus, & ſi vis amicus integer, candido pectore Tibi ſignificare audet; expertus meo malo didici,

didici, & quis vitam ita tranquillam, dum literas colit, tranſegit, quin multa invitus non didicerit? hæc quæ rudi calamo ad Te ſcribo, dum caninis dentibus rodebar, mihi fuere non tantum juvamentum, ſed etiam unica ſalus evaſi, & actæ ita vitæ non penituit: ita ut boni conſulas rogo, & ut me amare pergas & fovere iterum rogo. Vale Præſtantiſſime, bene memor dabit Deus his quoque finem. Iterum vale!

Dabam Petropoli Kalend. Martias, ſtil. Juliano, 1746.

324.

## J. JAC. DILLENIUS.

Literæ tuæ 7. Octobr. 1745. ſcriptæ cum ſeminibus (inter quæ erant aliquot rara) cum tuo catalogo & Fabricii Flora, gratus accepi. Noſtine Hippopodium illius? an Muſcus ille Buxb. de quo in Hiſt. Muſc. p. 477. n. 5.?

Scribis Te mittere ſpecimen Byſſi vel Lichenis Germanici odorati: ego vero nil potui invenire, nec inter ſemina, nec inter ſchedas vel Catalogi vel Floræ Fabric. quare velim alia occaſione mittas. Januario menſe faſciculum parvum miſi ſeminum ad D. Hampe, ad Te deferendum, quod ſpero ipſum per publicos curſores, quorum, cum inter aulicos degat, opportunitatem habet, curaſſe & ad Te mature ea perveniſſe. Potuiſſem addere plura, ſed fateor incommodum, quod Catalogus tuus non ſit ſcriptus

ptus nominibus uſitatis, iisque alphabetico ordine, numero currente diſpoſitis, memoriæ, facilioris evolutionis & compendii transfretationis cauſſa.

Miſi hac occaſione per bibliopolam Changuionum, quotquot penes me fuerunt Muſci & Deſideratis a Te. Tuum nunc erit conferre cum Tuis, adjicere & judicare ſynonyma, & ſi quos habes, qui non ſunt in Hiſt. Muſcorum, ad me mittere. Deſideratur præ aliis Bryum tuum 46. 47. Quodſi vero Bryum tuum 29. & 45. non ſint Mnia; nullum dabitur Mnium. Novi bene & mature cognovi roſulas Bryorum & Polytrichonum, lentas omnino & diu durantes, a fugacibus & pulverulentis Mniorum capitulis longe diverſas, in quibus proprius Mnii character conſiſtit.

Addidi Catalogum duplicem, nempe & ſeminum & ſpeciminum deſideratorum. Vale.

Oxonii, April. 1. 1746.

325.

## D. LUDWIG.

In plantis in hortis cultis quidem fructificatio non mutatur, ſed illæ partes, quæ ſpeciebus definiendis aptæ ſunt, mirum in modum variant, hinc facile demonſtrare poſſem, per culturam in hortis multas ſpecies ſpurias in catalogos plantarum introductas fuiſſe. Perpendas quæſo, quantum

tum plantæ indigenæ in hortis mutantur, Pimpinellam, ſ. Tragoſelinum minimum ſæpius in hortum repoſui, ſed ſemper per trium annorum decurſum in majorem officinalem ſpeciem mutata fuit.

Methodus naturalis plantarum, ut ego quidem opinor, in intellectu exercitatiſſimorum verſatur. Is vero eam tenet, qui planta quadam producta eandem cum omnibus congeneribus conferre, & ita omnibus verum locum præbere valet. Igitur non niſi exercitatus characteres inter ſe conferre poteſt, cui omnis ambitus ſtudii cognitus, & qui omnes plantas ex characteribus impreſſis dijudicare didicit.

Dabam Lipſiæ d. 2. Aprilis, 1746.

326.

## JO. B. MORGAGNUS.

Litteris tuis humaniſſimis reſpondere poteram ante menſes propemodum duos, ſtatim videlicet atque accepi, niſi reſpondere ſimul voluiſſem, ex parte ſaltem aliqua, liberalitati erga me tuæ. Itaque dum per amicos diligentiores in pluribus civitatibus fruſtra Carcanum, & Cananum quæro, & vix Corteſii Miſcellanea tandem nanciſcor; ad hunc diem ventum eſt, quo Miſcellanea modo dicta Bergomum mitto, tradenda ibi Orelliis mercatoribus, amicis DD. Ottiorum, quibus faſciculus, tuo inſcriptus nomini, eſt commendatus.

tus. Addidi Molinellii de Aneuryſmate Diſſertationem, cujus triginta, haud amplius, exempla impreſſa ſunt. Ægre autem tuli, duos illos reliquos libros inveniri omnino non potuiſſe, neque hoc quidem anno quidquam in Italia, quod ad Anatomen ſpectet, prodiiſſe, ſi pauca quædam excipias, quæ in volumine altero edita ſunt Commentariorum Academiæ Bononienſis, quod proxime volumina duo alia excipient Opuſculorum ad Commentaria illa attinentium: quæ omnia partim in Germania jam proſtare, partim mox eſſe proſtatura, non dubito. In qua quæ prodierint, tuis ex litteris libenter didici; ſed de Waltheri obitu graviter tuli.

Quæ miſiſti, omnia, Tua præſertim, merito ſuo fuerunt mihi multo gratiſſima, magnasque pro ipſis gratias ago, ut etiam pro iis, quæ per epiſtolam ſignificaſti ad fabricam ſeminalium veſicularum, & teſtium attinentia. Gaudeo, ſic magis illuſtrata eſſe, quæ ad Boerhaavii Prælectiones n. 644. adnotaveras: multoque magis gaudeo, harum a Te majorem, & Iconibus ornatam editionem apparari. Quæ ut ex animi tui ſententia, & ſine valetudinis incommodo perficiatur, primum a Deo precor Tibi firmiſſimas vires, tum deinde nullam iterum a typographo nimis feſtinante atque urgente moleſtiam. Etſi enim in editione prima tot & tanta præſtitiſti, ut admirari nunquam deſinam, tamen ſecundum Præfationes tuas haud dubito, quin loca per Te ipſe animadverteris quædam, in quibus modo plus

plus temporis datum eſſet, paulo aliter; ſi diligentiam, & æquitatem tuam recte novi; fuiſſes ſcripturus. Non cenſoris animo, ita me Deus amet; ſed amici hoc dico gratulantis, dari Tibi facultatem nova iſta editione plenius ſatisfaciendi magnæ accurationi, & ſincero ac conſiderato judicio tuo. Idem precor, ut ſimul Angiologica, & cætera quæ habes in manibus, feliciter abſolvas: quanquam vel poſtquam in Patria eris, credere vix poſſum, Te noſtris ſtudiis valedicturum; tametſi longe melius; ſi quidem e re tua fuiſſet; nobis quidem erat futurum, ut quod mihi datum eſt, Tibi quoque conceſſum eſſet. Nam & ego Senatui patrio ante hos annos quindecim adſcriptus, docere tamen hic perrexi, & pergo, ſalvo eo honore, propterea quod id precibus hujus Univerſitatis mei Principes tribuerunt, ne hanc desererem.

Et quoniam de me loqui cœpi, ſi forte quæris, quid ſcriptitem his menſibus, quibus propter æſtum pleriſque anatomicis obſervationibus in Italia non eſt locus, laborare me dicam in longo opere, anatomico quidem, ſed non tam ea continente, quæ vidi ſecundum naturam, quam quæ præter naturam. Si Deo placuerit, ut hæc abſolvam, tunc redibo totus ad illa priora, quæ tamen etiam in hoc opere ſubinde attingo. Fortaſſe haud inutile aliquando mihi eſſet libros quosdam inſpicere, quibus careo, ut puta Salomonis Alberti Orationes tres cum annexis, editas, ut noſti, A. 1585. in 8. Schneideri Diſputationem de

de oſſibus temporum, Wepferi cicutæ aquaticæ Hiſtoriam, & ne forte putes, nihil, niſi non hujus temporis, quærere; Nicolai quoque Obſervationes, & Huberi Commentationem de vagina uteri, & hymene. Quorum ſi quos poteris alias mittere; pergratum erit, & ſive aliis libris, ſive pretio; ut malueris, reſpondebo. Sed multo illi gratiores erunt, ſi Tua quæ deinceps edes, adjunxeris; & me, quod facis, amore, ac favore tuo ornare perrexeris. Vale.

D. Patavii x. Kal. Jun. cIↄ Iↄcc xxxxvi.

## 327.

## JOH. GESNERUS.

Optandum ſane ut ampliſſimam & inordinatam Orchidum familiam doctiſſimis tuis ſcriptis illuſtrares, ut præclarum ſpecimen in tractatu de Alliis dediſti, & de ipſis hiſce Orchidibus in Hiſtoria Plantarum Helvetiæ. Lubentiſſime picturam mitterem, nec deeſſent mihi idonei Pictores; ſed vix ſunt, qui plantas ſubminiſtrent alpinas, meæ vero ſanitati non ſatis tuto fidere poſſum, ut itinera ipſe perficiam. Tentabo utrum amici Glaronenſes mittere velint.

Pro humanitate qua Boſii adminiſtrationem experimentorum electricorum communicaſti, gratias maximas ago. Ego commodiſſime hæc omnia unico Tubo perficere ſoleo, quo & incendere poſſum liquores, & Electricitatem ad quamcun-

que diſtantiam vel tot homines, quot velim communicare poſſum: & æquali fere promptitudine atque cum cylindris aut ſphæris hæc cum tubo perficio. Imprimis elegantia ſunt experimenta lucis electricæ in tubis aëre vacuis. Proxime accedet D. Pfeifferus Norimbergenſis, qui in nundinis noſtratibus hujusmodi experimenta exhibere cogitat, prout S. Galli aliisque Helvetiæ locis id fecit. Machinam quæ adhibet, commode menſæ adrectitur per cochleas, & ope catenæ ferreæ quaquaverſum propagatur. Tales parat D. Brander Auguſtanus Mechanicus, vir in perficiendis inſtrumentis mechanicis & opticis expertiſſimus, cujus inſtrumenta Anglicis nitore, elegantia & perfectione minime cedunt. Mihi paravit Teleſcopium reflectens 26.″ cum Micrometro. Microſcopium compoſitum cum Micrometro, quo rationem amplificationis commodiſſime æſtimo, & reciproco ex hac data & magnitudine apparente minutiſſimorum corpuſculorum magnitudines veras æſtimo. Idem Machinam Lieberkühnianam ſolarem multum emendatam & egregii effectus, qua objectorum magnitudinem ad 125,000,000. augere & ſatis diſtincte repræſentare poſſum, atque etiam per ſpecula quacunque velim reflectere.

Scripſi Tiguri d. 21. Maji 1746.

328.

## JOH. GESNERUS.

Inſtruxi Rhizotomum Urienſem Gotthardo vicinum, ut rari generis Alpinas ſtirpes mihi adferat. Si firmior eſſem valetudine, ipſe lubens montes adirem: ſaltem hac æſtate ex Utliaco & Albio nonnullas in hortum transferam. Quod adeo humaniter ſemina pro horto noſtro medico offers, gratiſſimus accipio. Virginica ſemina quotquot miſerit D. Gronovius, cum Scheuchzeriano opere proximis nundinis accipies. Rislerum, cujus mentionem facis, non novi. Conjectura de eo, qui impedimentum in negotio herbarii Bauhiniani attulit, Te plane non fefellit.

Linnæi opera impatiens quotidie exſpecto. Kühnii elegans ſcriptum accepi cum variis aliis, potiſſimum ſcriptoribus de Electricitate. Heri nitidiſſimam & commodiſſimam machinam electricam cum apparatu vario inſtructam a D. Brandero Auguſtano accepi. Vendit hic Microſcopium Lieberkühnianum pro 24. fl. pretium vecturæ Auguſta Tigurum eſt 1. fl. 15. xer. Machina elegantia, accuratione & effectu Anglicis minime cedit, & confidenter aſſerere poſſum, quod quoad nitorem, diſtinctam & claram repræſentationem ac amplificationem plurimum ſuperet eam, quam Nob. D. Blaarerus ex Anglia accepit. Conſtat 1. Machina cum ſpeculo & lente & neceſſario apparatu pro dirigendis radiis ſolaribus ad illuminan-

dum objectum, quæ etiam vicem Machinæ Helioſtaticæ in experimentis opticis præbere poteſt. 2. Tubo duplici ductitio. 3. Microſcopico apparatu æneo perfectiſſimo ad tubum ope cochleæ firmando; huic apparatui additæ ſunt 3. lentes æneis capſulis inſertæ 8.''' 4.'''. 2.''' circiter pro foci diſtantia exhibentes, quæ objecta ad 6. vel 8. aut 12. pedum diſtantiam diſtincte & in gigantea magnitudine repræſentant, ut per minimam lentem ad 125. millionum vices amplificata ſiſtantur. 4to. additæ ſunt 12. laminæ ex ligno Indico vel buxino pro objectis liquidis & animalculis vivis, forcipula; capſula pro laminis talci, penicillum. Omnia autem hæc nitidæ ciſtulæ ligneæ cum clauſtris & juncturis ex cupro flavo inſtructæ includuntur. Cæterum ipſum hoc Microſcopium Microſcopii ſimplicis vicem commodiſſime ſubit. D. Steinerus, qui easdem machinas imitatus eſt, pro 22. fl. vendit: ciſtam vero non addit. Idem Branderus Microſcopium Wilſonianum cum apparatu pro Microſcopio ſolari & tertio Microſcopio cum ſpeculis argenteis pro objectis opacis cum ciſta vendit pro 40. fl. Microſcopium vero compoſitum cum ſpeculo reflectente pro objectis illuminandis, & Micrometro pro 24. fl. vendit. Si pretium aliarum, quas vendit Machinarum phyſicarum ſcire cupis, alia occaſione perſcribam. Vale a nobis omnibus plurimum ſalutatus, & favere perge.

Scribebam Tiguri d. 28. Jun. 1746.

329.

## J. F. MECKEL.

Meis, quod in bonam accipias partem, litteris, plantulas illas ſolo huic indigenas, Göttingæ non obvias a me collectas addidi, eæque ſunt Lyſimachia globoſo flore, Stratiotes, Lentibularia, Comarum, Gratiola, Hottonia Boerhaavii, cum Potentilla foliorum nervis argenteo villo ſplendentibus flore albo, quarum priores humecta, ultima vero ſiccum amat ſabuloſum ſolum. Exoticas plures addidiſſem, ſi Te illis deſtitui compertum haberem; quare ſi Tibi, quod me fugit, deſiderantur Ornithogalum cœruleum, Ornithogalum latifolium maximum flore albo, Lilio narciſſus indicus ſaturato colore purpuraſcens, Liliaſtrum, Hæmanthus, Eryngium Juccæ folio, Melianthus, ſcribas velim, qui eorum plantas aut cepas inſtante autumno, aut ipſe adferam aut mittam certiſſime; qui Tibi de plantis, Bütneri ope, ex Krauſii horto deſideratis, gratulor feliciter acceptis.

In quatuor capitibus humanis hiſtoriam nervi quinti paris, pro viribus meis abſolutam, litteris mandatam habeo, neque ramum iſtum a ſecundo quinti, ubi per foramen infra orbitale exit, per os maxillæ ſuperioris ad dentes ejusdem deſcendentem neglexi: ſed deſunt hic mihi neceſſarii ad evolvendum libri Autorum, qui de hoc nervo ſcripſerunt, quos ſi aliquando apud Te,

qui nullo eorum deſtitueris, cum tuis accuratiſſimis obſervationibus de eodem nervo, perlegere, atque cum meis conferre licitum fuerit; & haberem quod mihi valde gratuler, meque pro tua hac tanta benevolentia Tibi redderes devinctiſſimum. Labores meos anatomicos, aliorum inſtitutioni per hybernum tempus deſtinatos, collegio finii oſteologico, quod ſecundum tua, quæ hauſeram avidus, doctiſſima præcepta, ad Albinum de oſſibus corporis humani, tradidi, laudem atque applauſum omnium meritus, qui ad audiendum confluxerant, & initio præterlapſi hyemis eandem jam Buddæum tradentem audiverant, cujus vero uti in anatomicis, ita & in oſteologicis demonſtrationibus. . . . .

Berolini die 11. Julii MDCCXLVI.

P. S. Stratiotes cum Lentibularia ac Hottonia non terræ ſed vaſi aqua & limo pleno, optime injicitur, aut aquæ in terra ſtagnanti, quippe radices longiſſimæ, ad duo pedes & ultra inhærent limo, ipſa planta aquæ innatat; reliquæ terræ commiſſæ humidæ, facile propagantur.

330.

## D. LUDWIG.

Inter multos labores, quæ Collegia & Praxis clinica exigunt, vires gravi morbo exhauſtas vix ſenſim ſenſimque recupero, Providentiam divinam

nam ſupplex veneror, quæ me ferme ſuccumbentem ex faucibus mortis quaſi eripuit, & amatæ & amicis reddidit.

Res botanica noſtra languet; Waltheri morbus ſemper gravior eum impedit, quo minus horti ſui curam habeat convenientem, ego vero aliis laboribus detineor, & æſtuans nimis cœlum facit, ut multæ excreſcant plantæ, antequam flores & ſemina exhibeant, feliciorem Tibi ſucceſſum apprecor.

Otium omne in terris meis ordinandis conſumo, quo tandem typis committi poſſit opus illud, quod me a multis deterruit laboribus, quos ſtudio botanico conſecraſſem. Gratias Tibi perſolvo, quo Te inſtigatore, mihi etiam ignoti homines, aliquid ad opus meum conferant. Pharmacopæus Beurer Norimbergenſis terras ex Penſylvania acceptas mecum communicavit; ſi & inpoſterum ſimilis ſe offerat occaſio, fac ut amicos, meis ſtudiis faventes, inveniam.

Inter nova literaria hujus anni nihil magis mihi ingratum fuit, quam controverſia tua cum Hambergero; laudo Te, quod mitius ſcribendi genus elegeris quam ille, qui paſſim acerba immiſcet verba. Sed non permittas, Vir illuſtris, ut tuam commoveat bilem, ſed veritatem defendendo, ſtudia promoveas. Ego vero ut ſæpius jam feci, inpoſterum quoque Hambergero dicam, ut ſilentio tegat omnia, nam accuratam anato-

men requirit hæc controverſia, ad quam exercendam aut tempus ei deficit, aut cadavera, aut amor hujus ſtudii. Anatome enim in Jenenſi Academia non adeo colitur, & ſæpius monui, ut Hambergerus filium ad exteros mittere deberet, is vero ut intelligo, jam in erudiendis aliis occupatus eſt. Certe dum meam inſcitiam & tenue ſtudium conſidero, ſæpius miror, quomodo alii tam facile officium Doctoris in ſe ſuſcipiant.

Plantas ſignis ſuis, ut ais, pathognomonicis diſtinguere, & methodum inſtruere, bina ſunt & quam maxime diverſa; non ſemper, ut in Geranio fructus roſtriformis, vel in Ranunculis nectarium ad unguem petali ſignum pathognomonicum ſive, ut in inſtitutionibus characterem eſſentialem ſingularem unico vocabulo vel charactere exprimere poſſum: varia ſigna concurrentia fere characterem ſingularem quorundam generum efficiunt, & hæc ſæpius maxime incerta. Quem characterem Valerianis adſcribis, quo ordine collocas? Et ſi tandem plantas cunctas variis characteribus inſignitas haberes, inde tamen nullus ordo vel maxime confuſus, dum is ab omnibus ferme plantæ partibus dependeret; mox in corolla, mox in ſtaminibus, vel in aliis partibus eſſet poſitus. Vide Malvaceos flores, quos Linnæus conjunxit, quanta in fructibus differentia, qua in omni hactenus cognita methodo disjunguntur; ſed non plures ad Malvaceos poni poſſent ex indole naturali, e. gr. Hermanniæ &c. quæ licet nec tot ſtamina habeant, nec filamentis coalita, tamen

tamen reliquo habitu ad Malvaceos accedunt. Sed ſatis de his, ne Tibi prolixiori ſcribendi genere moleſtus ſim.

Dabam Lipſiæ d. 23. Jul. 1746.

331.

## CAROLUS LINNÆUS.

Redux ex itinere quod hac æſtate inſtitui per 250. milliaria ſuecica ad montes & loca maritima Weſtrogothiæ, ſuaves tuas literas accipio, pro his & amicitia tua grates reddo maximas. Flora Zeylanica abſoluta erit & impreſſa proximo menſe Martii, in qua publice oſtendam, qua veneratione Te proſequar, & quanti Te faciam.

Aparine ſemine coriandri diverſiſſima eſt ſpecies ab Aparine vulgari, & cum Valantia ſ. Cruciata convenit floribus maſculis ab hermaphroditis diſtinctis.

Annon poſſes in tuo ſpecimine videre ſtamina & piſtillum Juncariæ? ſi poteris, quæſo me doceas.

Quadraginta nova plantarum genera habeo, pleraque ex Indiis.

Præterita æſtate tantum duas diſſertationes emiſi, alteram de Sponſaliis plantarum, alteram de Muſeo Adolpho-Fridericiano; mittam has & reliquas, quas habeo.

In itinere multas piſces & inſecta nova legi, & integram hiſtoriam cantharidis illius, quæ maximum damnum adfert ligno quercino apud navium fabricatores.

Algæ vitriariorum flores & fructus vidi, quæ novum conſtituit genus, & cum Aro ordine naturali convenit.

Peloriam in Suecia duo juvenes diverſis aliis locis obſervarunt, & herbariis ſuis inſeruerunt.

Anandria hac æſtate ſingularem florem unicum produxit, reliquis vero omnibus ut in diſſertatione deſcriptis; prædictus flos radiatus erat, radii petalis tripartitis, quod valde miratus ſum.

Faunam ſuecicam ſi non acceperis, mittam.

Quæ e Noveboraco ad me miſſæ fuere plantæ, omnes in Hiſpanorum manus inciderunt, una cum Mitchelii per plures annos collectanea in Virginia: ille tamen ſalvus, ſed nudus rediit in Angliam.

Polygonatum caule anguloſo diverſum eſſe a vulgari caule tereti, hoc vere obſervavi.

Pulchra erant, quæ obſervaſti in Orchidibus; apud nos hæ ſpecies rariores ſunt, nec niſi in remotis provinciis naſcentes.

Vidiſtin procul dubio dudum Seguierii Floram Veronenſem, ad me eandem miſit, nondum vero accepi.

Limnia

Limnia Ruſſorum eſt vera Claytoniæ ſpecies ſive *Claytonia* foliis ovatis, diverſiſſima a Claytonia (Gron. virg. 125.) foliis linearibus; priorem deſcripſi in Actis Stockholmenſibus menſe Junii.

Nomine Societatis noſtræ iterum quæſo mittas obſervatiunculam pro Actis Upſalienſibus.

Varias Conchas legi, inter quas una maritima, ſed ſimul ſubterranea, duobus poris perpendicularibus inveſtiganda.

Alſine polygonoides Pluck. phyl. 75. f. 3. eſt novi generis planta diandra digyna.

Tu diu valeas & faveas. Dabam Upſaliæ 1746. Aug. 23.

332.

## J. F. SCHREIBER.

Dedi ad Te, Vir Amiciſſime, litteras ante plures menſes. Poſtquam vero tamdiu in exſpectatione Tuarum fui, & judicavi, intercidiſſe meas: & continere me ultra haud potui, quin ad Te nunc ſcriberem. Etenim vix habeo amicum, quem Tecum conferre queam; certe habeo neminem, quem Tibi præferam, ſive eruditionem tuam adeo ſingularem, ſive ſincerum tuum in me adfectum, ſive amicitiæ noſtræ vetuſtatem, ſive, quæ ipſe volueris alia, conſiderem. Id de Te lætiſſimo animo audivi, Te adhuc ſoſpitem Gottingæ vivere, & diſputationem cum Ill. Hambergero

gero circum actus reſpirationis nuper feliciſſime multa Tua cum gloria finiviſſe. Adeoque quum ſalus tua atque amicitia tua mihi adeo cara ſit: fac, Amiciſſime Vir, ne ſolita favoris tui teſtimonia, quibus ægre carui hactenus, mihi in poſterum detrahantur. Nova a me vix exſpectes. Illuſtr. Amicus Sanchés bene valet, atque æque ac ego, epiſtolam ſibi optat. Cl. *Gmelinus* abitum parat, quamvis nondum ſit ex voto dimiſſus. Cl. Abrah. Kaau Boerhaave, Vir Juvenis elegantiſſimæ doctrinæ, ſed proh! totus ſurdus, adeo, ut omnia ſcripta ipſi exhibenda ſint, ante aliquot hebdomadas huc advenit, Noſocomio Marino Petropolitano, uti dicunt, Medicus præponendus. Quum adhuc Hagæ Comitum moraretur, Academia Scientiarum Petropolitana ipſum adſcivit Membrum honorarium. Illa, per ſexennium Præſide orba, hunc denique munificentia Sereniſſimæ recepit, Illuſt. & Generoſiſſ. Comitem & Cubicularium, & Equitem, Gregorium de Raſumoffski, qui, duce Eulero, Berolini ſtudia ſua coluit. Celeberr. van Swieten Vindobonæ quovis die per horam prælegit in Boerhaave Inſtitutiones; nec non, de modo ſtudendi Medicinam. D. Sanchés recepit Londino *magnetem artificialem*, quem componit, vili pretio, D. *Knight*. Retulerunt mihi, exſtare in Diario Eruditorum (Journ. des Savans) Brixiæ prodiiſſe ſcriptum, cujus titulus: *Obſervationes de uſu mercurii crudi in febribus peſtilentibus*. Rogo, ut mihi hujus copiam facias, ſi levidenſe ſcriptum: ſaltim, ut me bees aliqua recenſione; quum facile talia Tibi

bi adquirere valeas. Si de me quæris, quid agam? decurro in veteri ſtudio, atque quotannis Anatomen, Chirurgiam ac Praxin morborum virorum adultorum explico. Compendium Chirurgiæ ac Medicinæ practicæ a me in chartam conjectum, quod auditoribus in calamum dictare feci, & quod quater emendavi, quando potero, ad Te transmittam, ut ſi dignum cenſueris, edendum cures. Quamvis id re vera nihil novi contineat, adtamen mihi videtur ſatis perfectum Compendium, id eſt, brevi complexum omnia, quæ in Chirurgia vel Praxi medica interna innotuerunt, & ſatis concatenata. Amiciſſime Hallere fac, ut cito, ſaltim mihi, reſpondeas; certus, me, quæcunque fuerint, ſi vetueris, omnino celaturum. Abrah. Kaauw multum, ſaltim verbis, teſtatus eſt, quod Te veneretur. Vale, meque ama. Petropoli, 17 $\frac{26}{8}$ 46.

Libellus Boerhaavii de morbis oculorum Gottingæ prodiit, ſed cujus auxilio?

333.

## D. LUDWIG.

Acceptis per nuncium publicum pecuniis tum tuis tum Richteri veſtri, die 26. Aug. libros optime involutos Seidenſtrickero rhedario Northuſano dedi, qui Tibi eosdem aut jam reddidit, aut brevi reddet. Quod plantas noviter collectas in hortum inſerueris, gratulor, ſed ex iis quas nominaſti, vix unam vel alteram conſervabis, tales

tales enim plantæ ſylveſtria amant & culturam reſpuunt. Quocunque enim modo varietatem naturæ in ſolo diverſo imitari ſtudemus, raro tamen ſuccedit negotium, ſed plantæ pereunt; poſſum Tibi catalogum centum plantarum communicare, quæ decies in hortum illatæ ſemper pereunt. Aquaticas non in omnibus aquis, arenoſas non in qualibet arena creſcere, multiplici experientia cognovi; fateor tamen, Gleditſchium Berolinenſem in cultura plura præſtitiſſe, quam nos unquam præſtare potuimus. Hortulani noſtri præter culturam arborum & olerum, rarius Aurantiorum ſimiliumque plantarum culturam didicerunt. Cum igitur a me exigas hortulanum expertum & bonorum morum, ego vix cognoſco hominem, quem Tibi commendare poſſem. Suadeo igitur, ut in vicinia noſtra hominem quæras, nonne in hortis Hannoveranis, Salzdahlen, Schwebber, vel in cujusdam principis horto famulus eſt, quem ab hortulano commendatum reciperes. Si enim Lipſienſem Tibi mitto, ille in cultura plantarum exoticarum parum verſatus erit, cum præſtantiores jam in hortis præſtantioribus noſtris ſedem fixam obtinuerint. Noli tamen credere, me rem commiſſam inpoſterum negligere velle, quod ſi enim hortulanum aptum veſtro horto invenerim, Te mox certiorem reddam, ut ſi nullum alium obtinere potueris, eumdem ſuſcipias. Ante aliquot annos ſcriptum de cultura plantarum exoticarum meditabar, & cum optimo, ut mihi videtur, hortulano Germaniæ Thranio Carlsruhano, qui nobiscum

biſcum in Africa fuit, multa hac de re egi, ſed aliis negotiis diſtractus imperfecta reliqui. Scripſi quidem Thranio, ut germanico idiomate aliquid conſcriberet, ſed & ille rerum phyſicarum ignarus, nihil perficere potuit.

Perverſus in Academiis noſtris docendi modus ex eo pendet, quod multi præceptorum intra biennium vel triennium curſum ſic dictum medicum abſolvere tentent. Abſolvunt equidem, ſed auditores omnino ex omnibus aliquid, ex toto nihil addiſcunt. Fateor equidem diſſolutam ſtudioſorum vitam multos a vera ſcientia removere, ſed præceptorum eſt illos ſolida inſtructione allicere, & propria diligentia illis exemplo eſſe. Objiciunt nobis Lipſienſibus in vicinis Academiis, nos annuo tandem ſpatio ob multas ferias, diſciplinas abſolvere: ſed licet ferias præſcindam omni modo, licet nimias ſubtilitates fugiam, tamen nec Anatomen, nec aliam diſciplinam ſemeſtri ſpatio abſolvere poſſum.

Dabam Lipſiæ d. XXVI. Aug. 1746.

334.

## J. F. MECKELIUS.

Plantas Tibi fuiſſe gratas, quid eſt quod majori mihi poſſit eſſe gaudio, Aloiden vero & ſi quæ ſunt aliæ putredine conſumtæ aquaticæ, cum reliquis quæ Tibi deſiderantur mittam, ſin exemtioni ceparum juſtum tempus fuerit, easque adferet

feret Juvenis quidam, qui cum aliis hoc autumno ad vos, me perſuadente tranſibit, Medicinæ addictus. Catalogum Ludolfi addere ideo dubitavi, quod ipſe Clar. Ludolfus mecum collocutus, ſe eum per Büttnerum filium ſuum Tibi tradi curaſſe dixit; nec meo judicio, liceat veritatem profiteri, multum intereſt, eſt quippe confuſa alphabetico ordine, plantarum relatio, atque valde imperfecta, quippe & multæ plantæ, quas hortus alit hic loci botanicus, & plurimæ in agris Berolinenſibus & circa hanc urbem occurrentes plane deſunt, e. g. Pyrola uniflora, Scheuchzeria, Oxycoccus, Linagroſtis uniflora &c. ut taceam plures alias, quas hic & ego & mecum Gleditſchius reperit, gramina cyperoidea, muſcos &c. tanquam exiſtentes vero ac in horto botanico inveniendæ plurimæ relatæ legantur in eodem catalogo plantæ, quæ plane deſiderantur. Sed Gleditſchius catalogum plantarum omnium, quæ in horto botanico nunc aluntur, & circa Berolinum naſcuntur, ſeſe exornaturum, & licet conſcriptum tantummodo, mecum communicaturum fore mihi promiſit, ut Tibi illum perlegenti patere queat, quæ ſint quæ Tibi ex his & vice verſa, quæ Gleditſchio ex tuis deſiderantur plantis.

Ab illuſtri Profeſſore Dethardingio Roſtockii degente diſſertationem accepi de corticis chinæ in gangræna & ſpacelo, adhuc dubia efficacia, quam eo præſide aliquis nomine Schæffer, qui per ſemeſtre hybernum in anatomicis meis uſus fuit inſtitutionibus hic Berolini, defendit, ac pro gradu Doctoris

Doctoris habuit; nec minus hic Berolini in publicum prodiit tractatus germanicus: *Vernünftige Gedanken von den Urſachen des Blitzes und deſſen wunderbaren Wirkungen*, autore Süppriano Doctore Hallenſi, qui duas diſſertationes alteram de Phyſiognomiæ in medicina utilitate, alteram vero habuit, qua medicum philoſophum eſſe debere ex mirifica cerebri ſtructura demonſtravit; hic eſt, qui ante aliquot dies Profeſſor Medicinæ extraordinarius Halæ conſtitutus, proximo menſe Octobris ad hoc officium ſuſcipiendum Halam profecturus erit; vir in philoſophicis perquam gnarus; in medicina practica non ignarus, ceterum theoreticam ut vulgo ſolet anatomiam tenet, & curſum ſuum anatomicum hieme præterita me adjuvante, in theatro, quod hic eſt, anatomico habuit, ego vero has publicas lectiones, quas dicunt curſorias, finivi demonſtratione cerebri, præſentibus omnibus Medicinæ Profeſſoribus, qui hic loci ſunt, per tres & dimidiam horam una ſerie locutus, qua omnium applauſum ſatis facile merui.

Felicem Te in itinere fuiſſe, quod paraveras botanico, in inveniendis plantis, Teque ſalvum ac incolumem ex illo rediiſſe ſummopere gaudeo, dolui abſentiam meam; ego vero hic nuperrime inter plantas rariores ſpeciem Damaſonii foliis cordatis longiſſime petiolatis ſature virentibus, ac ſuperne nymphææ foliorum inſtar ſplendentibus atque aquæ innatantibus inveni, cujus nullam mentionem & in tuis & aliis operibus repe-

rire potui; hinc addere plantam non dubitavi ſiccam, rariorem Tibi non fore ingratam ratus. Gramina præterea multa cyperoidea helvetica hic collegi, quæ omnia omiſſa in Ludolfiano Catalogo ſunt, eumque plane fugiunt, aliis nimis diſtractum laboribus; addo etiam duas ſpecies graminum, quarum altera abortiva mihi videtur, junci foliis articulatis, brevioribus ſaltem, donata; altera caricis ſpecies; utræque ad paludem naſcuntur cum illa Damaſonii ſpecie, ac rore ſolis. Itaque excurſionibus quas feci ſæpe repetitis numerus plantarum exſiccatarum ad duo millia excrevit, & quod excedit, quas omnes ordine Tibi uſitato, optimo omnino, in claſſes diſtributas conſcripto inſerui catalogo.

Berolini die XIX. Septembr. MDCCXLVI.

335.

## NICOLAUS ROSEN.

Ex reduce Fratre meo dilectiſſimo intellexi, quanta in eum tua ſint, non dico officia, ſed merita. Eum enim, quæ ſumma tua eſt humanitas, non tantum benigne excepiſti, ſed ea etiam, quæ ad dirigenda ſtudia ejus pertinere Tibi videbantur, tanta fide curaſti, ut doctior jam mihi ſit redditus. Quæ omnia, uti pergrata mihi ſunt perque jucunda, ita facere non poſſum, quin in ſingulas res meritaque tua Tibi gratias agam immortales. Is quidem certiorem Te fecit, non poſſe aliquid accedere ad eum amorem,

rem, quem erga Te habeo, ſed multum jam acceſſit, nec aliter fieri potuit, homo enim non eſſet, qui non reſponderet in amore illi, a quo tantis beneficiis, tantaque liberalitate provocatus eſt. Præter enim ea, quæ pro fratre, quem diligo, feciſti, opera etiam, quæ vel ipſe elaboraſti, vel tua cura typis exſcripta ſunt, miſiſti, quo quidem munere id effeciſti, ut in dies jam in ſtudio medico & anatomico proficiam, meusque in id, & in Te, ſit animus, quem Tu eſſe vis, & qui eſſe debet. Sed & alio adhuc nomine me Tibi obſtrictum reddidiſti. Cum enim, nuper nato noſtro Principe Guſtavo, ob adverſam ejus valetudinem in ſumma eſſem ſolicitudine, reque probe perpenſa, omnibusque fruſtra adhibitis remediis, ut nutricem mutarent ſuaſiſſem, hocque conſilio, neſcio quomodo, plurimorum in me odia concitaſſem, tuo & magnorum virorum Richteri atque Brendelii judicio firmatus, me ipſe collegi, animoque forti magnoque, tantorum virorum auctoritate addita, in ſententia pertinax, de Collegio Medico, aliisque victoriam reportavi, victoriam dico, nam cum increviſſet mirum quantum quotidie vis morbi, & meo perpetuo ſuaſu tandem, mandato Regis, Principis hæreditarii ac Senatorum Regni mutaretur, die 56. a nato Principe, nutrix, non laxabatur tantum vis morbi, ſed ita ſtatim depellebatur, ut ab illo temporis momento optime valuerit Princeps forma excellens, & adhuc, quæ Dei eſt gratia, perbelle valeat. Et hæc quidem res Medicinæ fuit ſummo honori atque laudi, eaque, quo

plures habui adverſarios, eo major ad exiſtimationem meam facta fuit acceſſio. Ab eo tempore honoribus Archiatri ornatus ſum (unicus vero in toto Regno eſſe ſolet), & præter reditus, quos ex medica Profeſſione habeo, ſtipendia etiam annua 500. thalerorum mihi decrevit Princeps optimus, nec me, niſi largiſſime remuneratum, a ſe dimiſit. Ab eo etiam tempore Stockholmiam vocatus ſum, dum alicui ex Regia domo incommoda fuit valetudo. Ita innocentiſſimis conatibus ſupremum benedicit Numen, dum artem ſaluberrimam ex optimæ mentis conſcientia facimus. Ex hiſce omnibus vides, maxima ac plurima me Tibi debere. Quare benevolentiam tuam lubentiſſime imitari vellem, licet merita aſſequi non poſſim. Velim interim exiſtimes, me, quæcunque dignitati tuæ conducere arbitrabor, ſanctiſſime ſemper eſſe obſervaturum. Omnia enim pro Te facere amor meus in Te tuaque officia cogunt.

Quæ ad Regiam Societatem Upſalienſem miſiſti commentaria, eadem ipſe ſtatim Secretario Societatis Dno. Linnæo tradidi, qui iisdem proximum Actorum volumen exornabit. Tibi de invento ſingulari gratulor, & ut ſempiternæ laudi Tibi ſit exopto. Ipſe, dum legi, incredibili lætitia affectus fui, quod idem non accidit Linnæo, quippe, lecta deſcriptione Amethyſtinæ, . . . . . . . . dixit, ſe eandem etiam deſcripſiſſe.

Inter illos, quos anno præterlapſo miſi libros,

bros, erat etiam compendium meum anatomicum, quod quidem voluiſſem Te nunquam vidiſſe. Novi enim me imprudentem ſæpius erraſſe, & in plurimis defeciſſe, ſed nec aliter fieri potuit. Summa enim heic eſt cadaverum inopia, nullus diſſectioni aptus, licet demonſtrationi aptiſſimus, locus, nulla inſtrumenta, imo gens noſtra uſque adeo abhorruit ab anatome, quam poſt fata Rudbeckii, patris, vix unam vidit, ut cum anno 1731. publice heic primum cadaver femininum diſſecarem, conſpectus meus plebi diu eſſet inviſus. Tunc etiam temporis bibliotheca mea non ſatis erat inſtructa. Non itaque multum operæ ſtudiique in libello componendo conſumere potui. Interim tamen, licet opera mihi princeps, & prope omnis ab illo etiam tempore in medica praxi ſumta ſit, poſtquam aurea tua ſcripta manibus terere licuit, ſpondere poſſum, me meliora medicinæ ſtudioſis daturum, ſi novam ejus editionem foras dare meæ rationes aliquando permiſerint. Alios etiam, pro eo ac occaſio tulit, miſi libros. Comes de la Gardie, qui æſtate præterita in Galliam ſe contulit, Faunam Suecicam Linnæi ſecum portavit, ut Tibi, meo nomine, daretur. Cum Dno. Magiſtro Heſſelgren, qui nuper Germaniam adiit, binas Linnæi diſſertationes, quarum altera ſponſalia Plantarum, altera Muſeum Adolpho-Fridericianum exponit; continuationem Actorum Societatis Reg. Stockholmenſis & orationem, quam, cum Præſidium mihi ab illuſtriſſimo Comite Teſſin collatum in generoſiſſ. Dn. Horleman transferrem, habui, miſi. Lube-

cam per mare ea jam mitto, quæ ex Actis Upſalienſibus obtinere potui, aliaque Tibi non ingrata futura, ut cura Dni. Doctoris Wagneri Tibi tradantur. Plura, dum obtinuero, habebis. De Actis Stockholmenſibus multa habeo, quæ monere poſſem. Dicam tantum de commentariis Dni. T . . ., quod metuam

Ne, ſi forte ſuas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula riſum,
Furtivis nudata coloribus.

Quæ de ulcere cancroſo œſophagi & ventriculi narrat Dn. R . . ., manca admodum ſunt. Laborabat is, cujus morbi mortisque hiſtoriam dedit venerea lue. Sed Tibi ſoli hoc dictum ſit. Illuſtri enim loco natus erat ægrotus. Celſii omnia bona ſunt & fide digna. Veriſſima etiam eſt hiſtoria vitæ ejus, quam cultiſſimo ſermone facundiſſimus expoſuit liber Baro a Höpken, ut noctes duceret Celſius noſter inſomnes potum coffeæ quovis veſperi hora IX. aut X. per ſeptennium hauſit, qua re effecit, ut exiguum admodum, & nimis breve fuerit vitæ ejus curriculum. Dni. Strömmer, Nic. Wallerii, Elwii & horum Præceptoris Dni. Klingenſtierna vera fide traditæ ſunt obſervationes. Quod & idem dictum ſit de illis Dn. Polhem, (qui 86. ætatis annum agit,) Brandt, de Geer, Tilas & Ehrenſwerd. Frater meus, qui, ut oblatam medicam Profeſſionem accipiat, iter Lundam jam parat, plurimam Tibi ſalutem dicit, ad Te ſcribet, cum plus otii nactus fuerit. Doleo ſeculi calamitatem. Ea enim quo-

rundam

rundam eſt gloriæ cupido, id hypotheſibus inhiandi ſtudium, ut nunquam requieſcens ingenium hiſtorias ſæpe vel fingat, vel veras ita cogat, ut ſyſtemati faveant. Sed mitto hoc. Utinam vero, tuo exemplo, excitati medici, a ſectarum ſtudio alieni, viſa candide enarrarent, cautique inde deducerent conſectaria! Spes non omnis ſublata eſt, quamdiu Tu ſtudium medicum excolis, & amicos tuos ad Praxin perficiendam incitas.

Sed modum & finem epiſtolæ facio. Reliquum eſt, ut Te orem & obſecrem, velis diligentius omnia, quæ putaris me ſcire opus eſſe, perſcribere, meque certiorem facere quid agas, quidque tui meditentur amici. Faciam, eorum quæ heic aguntur, ut ne quid ignores. Richterum, Werlhofium & Brendelium, excellentis doctrinæ viros, ſalvere velim jubeas plurimum. Tu vero, eam, quam ad omnes res adhibes, inprimis ad valetudinem tuam conſervandam adhibe prudentiam, meque, ut facis, ama, qui ero dum ero &c.

Upſal. die ſt. v. 12. Septembr. an. 1746.

336.

## CAROLUS LINNÆUS.

Juſſu Regiæ Societatis ſcientiarum Tibi, Vir Illuſtris, ſummas ago gratias pro binis tuis obſervationibus, quas præfatæ Societati nuper ob-

tuliſti per D. Eb. Roſen. Pulcherrima iſta obſervatio de *tunica oculi* in nuper natis omnes in admirationem rapuit. *Amethyſtina* planta opus habet deſcriptione, figuram quam paravi ſi ipſe non addere velis, ego adponam; ſi vero optimus tuus pictor propriam habeat, melius eſſet, nam noſter pictor minus valet. Corollam ego aliter in meis vidi, ſed forte hallucinatus ſum, licet copioſe floruerit. Verbenas ad Diſtemones refero, cum nolim lacerare genus naturale; Sherardiæ Valantii omnes Diſtemones ſunt, & tres aliæ quas exſiccatas poſſideo. Proprii generis planta eſt Amethyſtina, uti ex viva vidi, Lycopi ſpeciem ex ſicca judicavi.

Occupatiſſimus quotidie ſum in colligendo generum ſpecies & ſynonyma; Tu mihi multum ſublevaſti in germanicis vel Europæis: niſi ſynonyma omnia colligantur numquam ſpecierum certitudo exſpectanda, tertiam partem generum quoad ſuas ſpecies abſolvi, ſed creſcit numerus in infinitum; ſtudioſe differentias quæro, ſi abſolvere umquam valeam, lætabor.

Hiſce diebus adfuit Dnus. Eb. Roſen, dixit ſe accepiſſe a Te *tuam imaginem* æri inciſam, & libro, cui eruditorum imagines inſeruntur, adnexam eſſe, iſte liber non occurrit in hac patria; oro itaque quæſoque, pro antiqua tua amicitia, mihi mittas imaginem hancce tuam cum primo tabellario, quem avidiſſime exſpecto; poſſideo antea præſtantiſſimorum plerorumque imagines, inter

inter quas tua deſiderari nequit; ſi hic mercede proſtaret, quovis pretio emerem; nunc autem nequeo.

D. Eberhardo tradidi pro Te duas diſſertationes, quarum altera de Muſeo Adolpho Fridericiano, altera, de Sponſaliis plantarum, promiſit ſe eas ad Te deferendas prima occaſione; Muſeum iſtud minus Tibi arridebit, qui animalia vix, ut puto, curas; de altera vero diſſertatione, & quidem de generatione ſeu fœcundatione ipſa judicium tuum expeto.

Tu diu vivas, floreas & valeas. Dabam Upſaliæ 1746. d. 24. Septembris.

Accepi Seguierii Floras Veronenſes; utinam tuo modo plantas deſcripſiſſet, longe plura tum præſtitiſſet.

Rediit Dnus. Mitchel e Virginia, ubi ſedulo per ſex annos plantas collegit, ſed in itinere a piratis Hiſpanorum omnibus ſpoliatus, non ſine ſummo damno Botanices.

Ego in eadem navi amiſi plantas & deſcriptiones plurimas, quas miſit illuſtris Colledenius e Noveboraco.

Pro tua imagine reſtituam meum nummum, cum autem pendeat circiter ℥j quæro non liceat eundem per tabellarium mittere, nec ne?

337.

## J. JAC. DILLENIUS.

Literæ tuæ 28. Febr. & April. 28. ſcriptæ cum Tab. libelli de Allii genere & ſeminibus adjunctis rite pervenerunt ad me. Semina erant circiter 12. nempe Anthericum, Hyſſopifolia, Veronica ſpicata longifolia, Gallium Ruſſicum, Lychnis Sept. Allium bicorne anguſtifolium, flore purpuraſcente, Hieracium alpinum Succiſæ folio, Hier. ſax. præm. rad. Veron. ſpic. latif. alb. Saponaria Rupp. Scorzonera caule ramoſo, foliis planis, quæ pleræque germinaverunt, & pro iis ago referoque gratias. Ea vero quæ Te Hamburgum ad Sprekelſenium miſiſſe in litt. 28. Apr. ſcriptis memoras, quæque nimis multa eſſe, quam quæ cum regiis litteris deferri queunt, hactenus ad me non delata ſunt, nec ab eo tempore quicquam litterarum ab amico meo veteri Hamburgenſi habui. Cum hiſce alia (numero 41.) ad Dn. de Reich miſi, inter quæ ſpero quædam fore Tibi non ingrata.

Creverat mecum e Sibiricis ſeminibus Jacea calyculis argenteis major T. a Te nomine Jaceæ fol. lacin. tenuioribus, calycibus argenteis ſplendentibus miſſa, quam ego Jaceam calyc. arg. T. eſſe dixi & adhuc dico, ſed non ſatis caute pro tua in Act. Phil. deſcripta & depicta habui. Eam plantam hoc anno mihi natam diverſam omnino concedo ab illa. Ceterum ſevi olim Jaceam nigram

gram pratenſem latif. C. B. & per multos annos calycis ſquamas integras ſervavit, nunc vero cilia acquirit in aëre Angliæ.

Unicum ſaltem mihi eſt ſpecimen Orchidis ſabuletorum Zeelandiæ, quo carere nequeo, nec præter vulgares Angl. alias habeo. Inter Sherardinas plures Orchidis ſpecies ſunt, Tibi forte non viſæ; ſed agglutinatæ, nec, licet tales non eſſent, mihi licet earum numerum imminuere. Quodſi, ut olim innuiſti, Angliam adire licuerit, non tantum has, ſed & quaſcunque alias plantas perſpicere, & in tuos uſus obſervare licebit.

Linnæi Iter Oehland. & Floram Suecicam nondum vidi. Non eſt unius hominis conſcribere Floram univerſi regni. Canis feſtinans &c. Promiſit mittere cum peregrinatore quodam ſtudioſo. Ego poſſum expectare, ſed tamen diu emiſſem, modo libri minores apud transmarinos excuſi proſtarent apud noſtros bibliopolas. Vidiſti procul dubio Orchides illius in Actis Suecicis, partum egregium, quem facile peſſumdabis. Vereor tamen, ne nihil agas, eſt enim homo . . . . . . . . . . . . . ne quid gravius dicam. Scribit ad me quotannis fere ſemel, nil niſi ſemina efflagitans, licet ipſe nulla mittat. Miſi plurima, ſed an fecerim opere pretium, hæreo, inhiat tantum generibus novis & multa petit, quæ nunquam apud nos ſemina, immo nec flores ferunt, ignarus rei hortenſis. Specierum ipſi parca cognitio, novi tamen bene merita & amorem in plantas, ob quæ ipſi bene cupio.

Tu

Tu vero eximii quid in ericetis Cellenſibus videris perſcribe, & vale ſaveque Tui ſtudioſiſſimo D.

Scrib. Oxonii 13. Octob. 1746.

338.

## D. LUDWIG.

Obiit tandem Waltherus d. 12. Octobr. & teſtamento ſuo commonſtravit, eum me maxime amaſſe. Non tantum enim hortum ſuum & libros botanicos, ſed & 2000. Imperiales, & alia plura ex ſuppellectile ſua mihi teſtamento legavit; qua de cauſſa maxime excitatus fui ad ſtudium Botanicum acrius excolendum. Nunc totus in eo ſum, ut novam definitionum plantarum editionem exponam, quo facto ad opus de terris regrediar, & hoc edito alia Botanica, ſi Deus vitam largitur, ſuſcipiam. Hortulanus, quem Tibi nuper commendavi, proxime Göttingam veniet, ut videat, an e re ſua ſit Horti veſtri culturam ſuſcipere. Hambergerum vidi his ipſis nundinis, ille quidem ægre tulit, quod in veſtris novis litterariis contra eum ſcripſeris, cum, ſi aliquid monendum eſſet, potius in Programmate Academico expectaret, controverſiæ hujus ulteriorem excuſſionem.

Experimentum quod inſtituis circa ſemina hyeme ſerenda maximam partem fruſtraneum erit, & hoc olim tentavimus ſine ſucceſſu, nam terra

terra culta ut in hortis eſt, & ſylveſtris maxime differunt, biennes melius ſe habent, nam ſemina diſperſa ſemper in autumno jam novas plantas exhibent, quæ proximo anno florent; nunc jam habeo plantulas Blattariæ albæ Lchnitis dictæ, Cynogloſſæ Creticæ &c. ſed ſi ſemina nunc ſpargerem, forte non haberem plantulas proximo anno. Aliud experimentum inſtitui, vidi nimirum Harmalam in deſertis Africæ creſcentem, hanc ſæpius ex ſemine creſcentem vidimus in vaſis, nunquam florentem; copia efficit, ut unam alteramque plantam inter perennes reponeremus & in hoc anno optime floruit, & licet ſemina non matura dederit, forte radix, quæ adhuc viva eſt, majora capiet incrementa; inde nunc omnes plantas ex hybernaculo, quibus commode carere poteram, & quæ radice replante gaudebunt, e. gr. Convolvulum ſpicæ folio, Abſinthium Lavendulæ folio, & varias alias, in terram transplantavi, ut muſco contegi, & forte per hyemem conſervari queant. Circa culturam plantarum in hortis Gleditſchius optime verſatus eſt, ſed nihil ſcribit, & Fungos quos ante aliquot annos promiſit, nondum exhibuit. Cum interim nunc in horto, quem quidem colo, ſed ex ſingulari gratitudine erga Patronum ſemper Waltherianum dicam, omnia ex mea voluntate diſponi poſſint, plantas in claſſes conjiciam non ex methodi legibus, ſed ex natura plantarum, quo illæ quæ cultura conveniunt, conjunctim plantentur, & poſtea & miſtionem terræ & loca ſeligam apta unicuique claſſi convenientia. Schedula addita hæc

hæc magis explicabit; licet enim ſola ſit ſciagraphia, tamen aliquam ideam inſtituti mei Tibi dabit, ad quod ſi quædam monenda habes in ſchedula ipſa ad marginem adjicias. Nulla nova habemus præter has Diſſertationes, quæ forte levioris momenti erunt; en tractatum de Venenis. Vale, & me ut ſoles ama. Dabam Lipſiæ d. 19. Octobr. 1746.

## 339.

## J. G. GMELIN.

Ad Siegesbeckium propero. Nihil ſcripſi de illo, niſi quæ ipſe blatteravit. Et hic ejus mos eſt, ut quæ ipſe deſiderat, poſtea vituperet oblitus præteritorum. Tu, amice optime, quicquid velis, de illo ſentias. Cum illum non admodum amem, nimis ego partium ſtudium tueri viderer, ſi contra illum declamarem. Homo ſeniculus Te nunquam amabit. Ergo certum eſt, tædio omnia futurum eſſe plena, ſi commercium continuaveris. Nullum dubium eſt, quin ego totus ſim tuus, qualis fui ex ipſo illo tempore, ex quo te novi. Itaque habebis a me omnia, quæcunque deſiderabis, modo e Ruſſia exierim. Noli unquam credere, me invidia agitatum aut amore proprio incenſum frigidum fore erga Te, qui Te novi. Nullus hominum cogitationes, quas de Te habeo, habere poterit, nimium confiſus forte, ſi id faceret, tentabit ſibi ipſi. Si aliquis homo rixatur, qui librum tuum vidit,

vidit, crede mihi, quod non rixetur propter librum tuum, ſed rixatur ideo, quia rixari amat. Profecto, non poteras a priori ſcire, Wagnerum practicotatum hominem, cum Siegesbeckio arcto junctum eſſe commercio; ab illo enim praxis medica abhorret. Sic nulla eſt tua culpa, quod ſemina non affixeris viro, de te quidem forte bene merito. Debebat ille ſemina iſta transferre. Si transtuliſſet, homo iſte, in quem transferenda forent, cum illo eſſet rixatus. Ergo tu ad avertendas rixas ſemina tecum retinere debuiſti. Quid igitur? finis eſto commercii tui cum ejusmodi hominibus, qui male ſentiunt & qui rixantur. Doleo, quod Amethyſtina alicui de me querimoniæ occaſionem dederit. Male egit Siegesbeckius, dum illa, quæ in conventibus academicis aguntur, cum exteris communicavit. Verum eſt, me per occaſionem dixiſſe, Siegesbeckium in culpa eſſe, quod multa de Sibiricis plantis propalentur, quæ ſatius eſſet, hic primum propalare. Hæc dixi ideo, quia malevoli fuerunt homines, qui crimini id mihi vertere voluerunt, quod multæ jam plantæ Sibiricæ ab exteris deſcriptæ ſint. Facile tibi perſuadere poteris, quamdiu adhuc in Ruſſia vitam agere oportet, optare me, ne ulli malevolorum hominum ad me perſequendum anſam præbeam, inprimis, cum Flora Sibirica prelum jam ſubierit. Si itaque aliquid de Te precibus contendere licet, hoc eſt, ut ne icones plantarum Sibiricarum jam factas divulges ante meum abhinc diſceſſum. Spero autem, hunc brevi mihi contingere poſſe. Ne

autem

autem invidiam ullam in me ſuſpiceris, a qua alieniſſimus ſum, ad fratrem ſcripſi, ut ſemina plantarum ſibiricarum ad Te mittat. Vale. Dabam Petropoli, d. xxi. Octob. cIↃ IↃCC XLVI.

P. S. Heri epiſtolam Schreibero inſcriptam ad me adtulit curſor, ſciſcitans ex me, annon noſſem ejusmodi hominem. Mox habitaculum ejus ipſi indicavi. Ille mox & ipſe novit, dicens, ſe propterea neſciviſſe, quia Archiatri dignitas titulo adjecta eſſet. Et profecto nunquam Archiatri munus geſſit vir, mihi cætera amiciſſimus. Nullus cætera dubito, quin acceptiſſima ipſi fuerit epiſtola tua, mire ſe longo ex tempore excrucianti, quid Te ad tam diuturnum erga ſe ſilentium commoverit. Caryophyllum Sibiricum Enſius, novus hic advena, pro non novo habet. Cepa Buxbaumii etiam in Flora ſibirica recenſita eſt. Puto a Porro ſectili differre foliis ſcapo plerumque longioribus, & floribus multum patentioribus. Linnæus tamen pro una eademque planta habet. Creſcit in omni Ruſſia & Sibiria. Linnæus, certiſſimus mihi amicus, quem magni habeo, aliquantum pertinax eſt ſententiæ ſemel receptæ. Ex hac ejus indole deduco omne, quidquid contra Te duriuſcule interdum ſcribere videtur. Novi interim, quod Te & magni faciat. Si Tu, Vir optime, veritati litabis ſoli, nunquam puto, faciet Linnæus, ut animo duro ſit erga Te. Homines ſumus, nati ad condonandum, non ad lædendum. Tua certe fama ex illius ſcriptis nunquam periclitabitur. Iter Gothlandicum Linnæus

næus non miſit, quia Succica lingua ſcriptum eſt. Belgarum erga te calumnias diu ceſſaſſe me certiorem reddidit D. Sanchez. Et mortem comitis Thombſen plures adhuc reſcidiſſe autumo. Nihil itaque cauſſæ eſt, cur codicem de auditu edere differas. Quod autem in tuis poliendis laborare malis, non male agere videris, qui ingenio polles, quod alieno opus non habet. Elegantiſſimum eſt inventum membranæ valvuloſæ, iridi continuæ, quæ pupillæ oſtium in fœtu claudit. Sed maxime adhuc neceſſaria inquiſitio reſtat, quo abeat. Nam deſtrui poſſe vix veriſimile eſt. Iterum vale.

Winklerus ſponte obtulit, ſe epiſtolam ad Te commode transmiſſurum eſſe. Dedi tunc temporis unam & per Schreiberum alteram. An nondum accepiſti?

340.

## CAROLUS LINNÆUS.

Gratiſſimam mihi tuam imaginem hac hora accepi & exoſculatus ſum; docet pictura quod numquam deſcriptio licet perfectiſſima valeat; tamquam viventes per multa ſecula ad minimum umbras hominum oſtendit ſeris nepotibus & remotiſſimis.

In collectione ſpecierum omnia quæ umquam poſſum ſynonyma colligo Dilleniana in Muſcis & horto Elthamenſi, ut & tua ex opere

 Hel-

Helvetico gratis aſſumo absque examine, utpote ſatis tutus, hinc valde mihi labor minuitur.

Gentianas iſtas tuas etiam ego conjunxi; video ambas diſtinctiſſimas, easdem tamen eſſe ſpecies adhuc diſtinctas dubito.

Niſi varietates ad ſpecies reducantur, iterum numerus ſpecierum adhuc magis augebitur & novæ ſpecies quotidie prodibunt; omnis enim varietas habebit vel admittet aliquam notam.

Rubeolam miratus apud nos ſemper dari floribus albis, numquam purpureis; examinabo ulterius.

Noli quæſo in ſingula epiſtola me exculpare; ego doleo magis quam Tu ipſe velles (ſi modo ſcires), quod Te offenderim; ego hoc publice ita exponam, ut numquam Tu ipſe hoc idem melius præſtares; ubinam Te culpem, quod Granadillas cum cucurbitaceis junxeris? ego certe non memini, neque hoc in epiſtola, fugi enim omnia argumenta; nulla propoſui; eſto mitis, & amabilis, ut ſoles; ego Tuus ero, uti jubes ipſe.

Accepi hisce diebus Sternam Faun. Suec. 129. & delineare curavi, quam numquam antea inter manus habui; rectrices intermediæ 2. ſolæ longiſſimæ; cujus hiſtoriam propediem dabo.

Similiter e Norlandia accepi *Muſcum Norvegiæ, umbraculo latiſſimo purpureo* Gel. quem in appendice habet Dillenius de Muſcis, natus 20 millia-

milliaribus ſupra Tornoam ; pileus eſt receptaculum iſtud, cui inſidet capitulum (exempli gratia polytrichi) quod dilatatum eſt in membranam latiſſimam fere planam, in noſtro ſpecimine flavam; hanc antea numquam vidi, & puto Sphagni ſpeciem eſſe.

Alſine ternifolia tua Hall. Helv. t. 7. an eadem cum planta ſynonyma Seguierii t. 6. f. 2. & cum Alſinoide Raj. ſyn. edit. 3? an tua inſtruatur ſtaminibus duobus & totidem piſtillis? facies plantæ ſiccæ, quam ex Magnolianis poſſideo, videtur mihi alia, ſed unicum ſpecimen; plura ſtamina pingit Seguier; Monſpelienſis planta magis polygonum refert; hæc interrogo non ut objiciam, ſed ut inſtruar ipſe.

Nummum mitto, Tu uti ipſe velis, facias.

Carolus Teſſin eſt Senator Regis Regni Sueciæ.

Clar. Horleman eſt ſupremus ædificiorum regiorum & hortorum præfectus, in ſua arte excellentiſſimus.

Claud. Ekeblad eſt comes inter ditiſſimos noſtrates.

And. Höpken eſt eximii ingenii juvenis vel vir, unus ex fundatoribus Reg. Acad. Scient. Stokholmenſ.

Negotia interrumpunt publice habenda; nolui deeſſe hac hora cum tabellario literas mittere, ut teſtarer, quanti facerem imaginem tuam. Tu vive & valeas & numquam obtineas me pejorem

 inimi-

inimicum. Dabam Upſaliæ 1746, die 21. Octobris.

Publicis impenſis pro Academia noſtra habebimus Acta ſ. Commercia Norimbergica, & Bibliothéque raiſonnée. Quomodo obtineamus pro proxime inſequenti anno, Tu forte dicere poſſes.

Thalictum minimum fœtidiſſimum non habemus, nec habuimus.

Rhea iſta duo ex facie diſtinctiſſima ſunt, ſed differentia ſpecifica difficile eruitur alia, quam ex proportione deſumta.

Acetoſa montana lato folio T. an Avi eſt floribus ſtaminiferis & piſtilliferis ſimul, ſeu mihi hermaphroditis?

In proximis fac ut ſciam, utrum acceperis has literas, ut ſi abſtulerint, alias reddam.

Semina ſerenda ſunt hoc autumno, loco minus calido, nec nimis gelido. Oryza recentiſſima eſt, illa autem non ante proximum vernale tempus loco apto. Thapſiæ duæ. Cyperus odoratus, & aliæ 3.

341.

## J. F. SCHREIBER.

Spem mihi olim feciſti certam, amiciſſime Haller, bibliopolam veſtram ſcriptiunculam meam de

de peſte impreſſurum. Illam revidi, adeoque auxi, ut duplo major ſit, ſaltimque nunc, quum tot recogitavi, non indigna, quæ aliis de peſte libellis adjungatur: quare, ſi id effeceris, mihique promiſeris, eam tibi transmittam, ſed futura æſtate, ſi Deus vitam conceſſerit: quoniam ante neceſſum eſt, legiſſe prius ſcriptum italicum, quo denuper mentionem tibi feci, ſemper adhuc dubius, unde & quo pacto illud ſim recepturus. En quoque plagulam primam aphorismorum, quos hic quotannis explicui, cum titulo: eorum cauſſa, qui Chirurgiæ hic aptantur. Quamvis fatear, nihil novi in ipſis contineri, adtamen vel recentiſſima hic in connexione propoſui, ut putem, huic ſcopo nempe Chirurgis convenientem libellum in lingua germanica non haberi hactenus.

Judicabis, an e re bibliopolæ futurum eſſet; ut conjicio, ſi charta majore id imprimi faceret. Tales plagulæ cum dedicatione ad illuſtriſſ. L'Eſtock ſunt XXV. Numerus ordinarius auditorum meorum adſurgit uſque ad 70, ut ſatis conſtet, vel huc multa exemplarii impendi poſſe. Vel quo pretio conſtabit impreſſio talis operis, charta majore, ſi 600 exemplaria excuderentur? Hæc duo ſunt, quæ mihi determinate in proximis tuis ſignificabis.

Cl. Ens, inſignis Botanicus, denique huc advenit in ſolamen parentis ſui, ſenis, primarii Chirurgi. Ajunt, ipſum ocyus officio admotum iri. Magnus ille Poeta Germanorum, Gottl.

Frid. Guilielm. Junker, amicus meus, d. 10. Novemb. ſt. vet. poſt apoplexiam irreſolubilem 36 horarum, hic mortuus eſt, annos 42 natus. Pridie ante fatalém inſultum veſperi adhuc me inviſerat. Secundus annus eſt, quo me Medico uſus eſt: videbatur laborare aſthmate convulſivo; quum & ante annum ſputa cruenta dediſſet. Morbus ipſius videbatur hyſterico ſimillimus, & per paroxysmos adoriebatur. Cadaver apertum nobis oſtendit polypum in cavitate dextra cordis, alium in arteria pulmonali. Corpus calloſum fuit ſolito altius. Inter piam & arachnoidem multum ſubſtantiæ gelatinoſæ fuit; nec non in interna ſuperficie aortæ usque ad exitum e pectore. Illius membrana interior erat hinc inde obſita ſteatomatibus exiguis, quæ anguſtabant orificia arteriarum intercoſtalium &c. Nuperrime monui, ut, quæ in poſterum ad me daturus es, velis includere faſciculo ad Dom. D'Aſch, Directorem poſtarum Petropolitanum ſignato; tunc enim noſtræ litteræ ſine noſtro ſumtu, hoc iter emetiri poſſunt. Ut hunc annum feliciter finias, & inſtantem non minus fauſte incipias, ex animo Tibi voveo, Tibi Tuisque addictiſſimus. Vale & fave. Petropoli 17 $\frac{25}{11}$ 46.

342.

## J. G. SIEGESBECK.

Faſciculum ſeminum veris initio a. c. a Te transmiſſum, ſero accepi, die nimirum 27. Jun. ſt. n.

ſt. n. & tandem quoque die 15. Octobr. ſt. n. Tractat. de Allio cum ſeminibus nonnullis, ex Antigoa Inſula allatis. Digna iſta ſingula, pro quibus gratias agam. Etſi vero veriſſima ſint contingentia, quæ Tibi de Amethyſtina ſcripſi: attamen re paullo penitius ponderata, me non deterrebunt, quin tam aſſiduo botanices promotori rariora ſemina Sibirica adhuc porro communicem: peto tamen ſimul, ut ante publicatas Gmelini deſcriptiones, nemini vel dicas, quod miſerim, vel alios illorum participes reddas. Utque diſquiſitionibus tuis eo magis proſim, en! jam mitto inter reliqua; quatuor ſemina, ad Tr. de Allio omnino pertinentia, nempe 1) Allium campeſtre juncifolium, floribus umbellatis albis Gerb. 2) Cepam paluſtrem altiſſimam Buxb. Centur. IV. Tab. XLV. 3) Porrum montanum Aſphodeli folio, floribus in capitulo majori rubris, Amm. Deſcript. p. 107. 4) Porrum Sibiricum Narciſſinis foliis latioribus. Poteris ſic ex cultura facile perſpicere, an plantæ hæ in Tr. de Allio jam ſint recenſitæ, vel an addi debeant? Ego jam diu eandem fovi opinionem, quod Allia, Porra, cum Cepæ & Moly ſpeciebus, in unicum genus conflari poſſint. Semina plantarum Helveticarum, Valerianæ Scrophulariæ folio, Violæ luteæ, Cacaliæ, Cirſii Lappæ capitulis &c. ſi ad maturitatem pervenerint, pro Horto noſtro Academico libenter obtinerem. Scripſiſti in litteris die 11. Nov. 1745. ad me datis, quod in faſciculo ultimo, transmiſſis ſeminibus adjeceris ſemina quarundam plantarum Hercyniæ, a me non deſide-

rata, nempe Symphytum petræum Thalii, Sonchum cœruleum, Campanulam Echii foliis, Veronicam ſupinam Teucrii folio &c. Sed hæcce ſemina non interfuerunt reliquis, ſicque ſine dubio ex oblivione prætervifa; hinc ſi adhuc quædam illorum ſuperſint, & iſta efflagitarem. Imprimitur jam Flora Sibirica Dn. Dn. Gmelini, quæ ſi ad finem perducta fuerit, curabo, ut tam Flora mea Petropolitana campeſtris, quam B. Gerberi Flora Moſcuenſis prelo ſubjiciatur. Sponte jam obſervavi, quod Linnæus ſiniſtre Tecum egerit in Flora Suecica, ſed nihil novi id eſt, quum & cum aliis Botanicis ſic agat. Poſt deceſſum B. Ammanni, correſpondentia ejusdem cum exteris Botanicis in manus meas pervenit, inter quam & inveni litteras Linnæi, ad Ammannum exaratas, in quibus me & ſcripta mea unaque Heiſterum ſugillare & ſcoptice traducere non eſt veritus. Sed ſolatium eſt, quod jam octo ſciam Auctores, qui varia in ſcriptis Linnæanis contenta carpant & derideant. Sed tranſeant hæc. Tu vero cura ut valeas, & res botanicas adhuc porro ſtrenue promovere non intermittas. Dabam feſtinanter Petropoli ex Horto Academico, ad diem $\frac{26}{15}$ Octobris 1746.

P. S. Si Polygonatum foliis verticillatis in Horto veſtro baccas maturas exhibuerit, quæſo transmittas quasdam, vel ſaltem ſemina in illis contenta.

343.

## EBERHARD. ROSEN.

Tandem ergo, Vir Illuſtris, literas ad Te dare incipio; id autem ſpero & quidem nimium a me ſero factum eſſe, & pudet & pœnitet. Quod inde a diſceſſu meo Gottinga facto, vix ſedem aliquam firmam fixerim, ſed alias Londini Gothorum, alias Holmiæ, Upſaliæ vero & ruri alias inſtabilem hucusque pedem poſuerim; id quidem apud alios ſpeciem aliquam non nimiæ in ſcribendo negligentiæ præbere poſſet; apud Te, cui tam multa debeam, juſtæ excuſationis locum tenere non poterit. Ex quo autem circa tempora Michaelis domum redux factus, Profeſſionem, qua fungor, Medicinæ Practicæ exercere cœpi, indies de literis cogitavi, quas quidem affectus in Te mei gratiſſimique animi indices, jam molior. Etenim omni illo tempore, quo caram mihi Tui gratia Germaniam veſtram vidi, tuæ in me benevolentiæ expertus ſum indicia, ut utilis non minus quam jucunda commoratio mihi Gottingæ fuerit. Quoties igitur cogito Te ſtudioſorum agmine ſtipatum, in hortum, colles & prata late Gottingam ambientia, exſpatiantem; aut in Theatro Anatomico Scholisve privatis, eadem circumfuſum juvenum corona mirabili artificis mæandros humani corporis explicantem; (cogito autem indies,) toties valde lætor, quod in eorum numero & ipſe fuerim, ſubitque animum gratiſſima nominis tui commemoratio, quod Collegis

juxta ac Diſcipulis meis, ut ante ſemper, ita jam nunc celebratiſſimum eſſe cœpit.

Ut autem aliqua eorum, quæ jam ago, ratio Tibi conſtet, indicare volui, Vir Illuſtris, quod eorum aliqua, quæ a Te didici, in Auditores jam meos diffundam. Ergo quidem Inſtitutiones Medicas Boerhaav. tuis illuſtratas commentariis, privatim diſcipulis meis propono, & ex Anatomia comparata, tabulisque anatomicis, cum humana cadavera nondum ſuppetant, illuſtrare tento; dum publice Aphoriſmos Boerh. & materiem medicam, junctim Auditoribus meis trado. Quod reliquum eſt temporis, faciendæ ægrotantibus Medicinæ impendo, cum id Medicinæ Profeſſori neceſſitas apud nos quodammodo ſuadeat. Ceterum, hic in mitiori, quam Upſaliæ eſt, cœlo vivimus, & Hafniam quidem e feneſtris noſtris, dum ſudum eſt & ſerenum cœlum, proſpicimus. Diſtat autem Londinum noſtrum Upſalia 70. milliaribus Suecicis, hoc eſt 95. milliaribus Germanicis. Atque hoc quidem iter ſub feſtum natalitiorum Domini noſtri, ſuſcipere neceſſum habeo; nuptias, ſi Deo placuerit, celebraturus, cum ſponſa per biennium mea, ſorore vero minima natu uxoris Fratris mei, Ulrica von Hermanſſon.

Evocatus fui ad Gubernatorem Generalem Pomeraniæ Suecicæ, Comitem de Meyerfeld, in prædio ſuo Scanenſi Sösdeborg Eryſipelate cum delirio aliquo decumbentem. Ibi quidem uſque dum ſanitati reſtitueretur nonagenarius fere ſenex & uni-

& unicus fere diſcipulus ſuperſtes B. m. Regis Caroli XII. non niſi morte, ut videtur, ſine morbo occubiturus; morari neceſſum habui.

Dabam Londini Gothorum, die 30. Novemb. ſt. vet. 1746.

344.

## NICOLAUS ROSEN.

Herba Britannica ſeu Rumex Hort. Cliffort. 138. Flor. Suecic. 292. magnum dicitur ſecretum Coldinghamenſibus ad ulcera phadagænica. Ulcus palati, in quo os palati pereſum erat, cum ſucceſſu inopinato curatum vidit Dn. Cadwalader Colden, lavando ſolummodo ulcus decocto radicis & hauſtulo ejusdem quotidie exhibito. An valet quoque in Phthiſi? *Collinſonia* eſt ſpecificum in doloribus poſt partum. Colden. *Actea* racemis longiſſimis Gronov. Virg. 57. radix eſt ſpecificum in Aſthenia, ſeu languore virginico (morbo Virginiæ endemio) ſed moderata doſi, cum tinctura radicis copioſius aſſumta ægritudinem & ſudorem frigidum efficiat. Idem. *Camphorosma* foliis hirſutis linearibus ſeu Camphorata hirſuta Bauhin. Pin. 486. eximium eſt in fluore albo medicamentum. *Hæc e diſſert. proximo intervallo ventilanda ſub præſidio Linnæi.* Hedyotis foliis lanceolato-ovatis, floribus verticillatis, ſeu Valerianella paluſtris, foliis nervoſis &c. Burmanni Zeyl. 227. t. 108. f. 1. eſt Auricularia Dal. Pharm. 160. decantatum illud ſpecificum in cophoſi ſeu ſurditate

tate, quam perperam Menthæ ſpeciem fuiſſe Medici plurimi ſtatuerunt, nec Mentha hujus ſuccedaneum eſſe poteſt, cum Hedyotis ſtellata ſit planta, Galio affinis, nec ullo modo verticillatis aſſocianda. *Ex eadem diſput. manuſcripta*, quæ 40 continet nova genera. Ante aliquot dies amiſimus Cancellarium Academiæ noſtræ, Regni Senatorem, Regiæque cancellariæ Præſidem, comitem Carolum Gyllenborg. Ex obitu ejus magnam fecit jacturam ſtudium medicum, inprimis vero Botanicum. Hoc enim miro ardore promovebat. Hiſtoriam morbi ejus diuturni acerbiſſimique in Actis Stockholmenſibus dabo. Fatis quoque nuper ceſſit Comes Lagerberg, itidem Regni Senator. Utriusque cadaver poſt obitum eſt apertum. Sed calamum temperare debeo. Vale itaque; vir ſumme, meque ſemper ama. Raptim Upſaliæ die 16. Dec. ſt. vet. 1746.

345.

## J. JAC. DILLENIUS.

Litteræ tuæ 29. Sept. ſcriptæ cum incluſis ſeminibus 23. rite ad me per quendam ex curribus noſtris velocibus delatæ fuerunt, quo curante, an Dn. de Reich, an Alberto, me latet. Noviſſimas vero Tuas, quinto Decembris ſcriptas habui a Dn. Gynandro, ad quem etiam (officia ſua offerentem) per amicum Londinum profecturum, miſi has meas, cum ſeminibus circiter 43. & ſcheda deſiderata Catal. Nottingham. In iis (po-

ſterio-

ſterioribus) mentionem facis duorum faſciculorum, 50. forte, ſeminum ſpecies continentium, quorum unum me jam accepiſſe, modo dixi, alterum vero ſpero adventurum. Interea Faſciculus Spreckeiſenianus, Aprili miſſus, circa finem Octobris, paucis diebus, poſtquam ad Te ſcripſeram, ad me miſſus fuit, per Nauclerum, mihi olim bene notum, Joh. Caſtens, continens plura ſemina, & quædam multa deſiderata. Litteræ nullæ nec a Te, nec ab amico olim optimo Spreckelſenio, cujus mortem, ſi ita ſe habeat, maximopere lugeo.

Ceterum litteræ tuæ 29. Sept. datæ, multa habent Botanica, ſed ſunt adeo velociter ſcriptæ, ut plura nequeam intelligere, præſertim quæ de Muſcis regeris. Mentionem facis, Te Byſſi, vel ſi placet, Lichenis odorati (cujus magnam vim collegeris) ſpecimen illud addidiſſe, ſed profecto oblitus fuiſti. Videtur fato quodam fieri, ut ejus compos non fiam. Vellem & habere exemplaria Hippopodii matura, (nam quod a Montio datum habeo, non ſatisfacit) ut videre queam, quomodo capita rumpantur, & an opercula habeant, aliorum Muſcorum inſtar formata, horizontaliter nempe abſcedentia, an & qualis farina ſit, vel an potius ad Fungos pertineat. Naſcens nunquam vidi: Buxbaumii figuras & ex ſicca qualemcunque fecit Hiſt. Muſc. Tab. 68. n. 5. ubi vicinia fig. 4. mihi in memoriam revocat animadverſionem Helv. Add. 772. in Te ipſum cuſam. Cum enim occupatum me ſcires in deſcribendis

bendis & figurandis iſtis rebus, oportebat mittere exemplaria optima & perfecta, quod vero ego a Te habui, fragmentum potius, quam exemplar erat. Ibi etiam obſervo, a Te citari librum illum: Sylva Muſcorum, cum tamen titulo Hiſt. Muſc. prodierit. Unde credo futuros eſſe, qui exiſtiment duos me de hac materia publicaſſe libros.

Sed ad litteras tuas revertor. Doles jacturam Laſerpitii Prutenici, nec cauſſam aſſequi potes. Vidi id olim Elthami, eodem fato, quo tuum periiſſe. Videtur mihi eſſe planta biennis, ſerenda mature auctumno, Auguſto nempe menſe, ut plantæ nempe formatæ, poſſit mature ſequenti anno florere & ſemina maturare. Sic ego vellem ſerere, ſi mihi ſemina ejus contingerent. Immo vero omnes umbelliferæ melius gliſcunt auctumno ſatæ, quam vere, præſertim ſi id ſiccius contingat. Idem mihi evenit in Umbellifera, Seſelios nomine miſſa ex Siberia, quæ vere ſata, flores quidem dedit, ſed ingruente hyeme ſemina non perfecit & poſtea interiit. Vidi eſſe Hippomarathrum Riv. aut ſaltem ejus ſpeciem, ob calycem umbellarum partialium peculiarem monophyllum, 6. 8 ve denticulis inciſum, (umbella totalis ligulas tenues ad ſingulos radios ſingulas habebat, a Rivino omiſſas, ob tenuitatem forte?) Semina, quantum recordor, Cari erant exacte ſimilia, non alata, ut habet nota Fl. Jen. III. 280. Quodſi ſynonyma ibi vera, Cluſius calyces privatos omiſiſſe cenſendus eſt. Verum Cluſius præterea

terea lobos foliorum breviores & in progreſſu lateſcentes pingit, ſecus ac in Hippomarathro Riv. obſervatur, ut de ſynonymo ejus dubitem. An vero ad Hippomarathrum Riv. referri debet Libanotis ναρθηκοειδης Thal? 71. vel Daucus tenuifolius Cord. L. 2. c. 75? Poteris, ſi loca a Cordo memorata tranſiveris, examinare. De eo mihi conſtat, non poſſe ad Hippomarathrum Riv. referri Fœniculum 5. Vaill. Bot. Par. p. 54. Tab. 9. f. 4.

Non novi Jacobæam illam, quam annuam dicis, cujus figuram in Flora Jenenſi exhibes pro Jacobæa incana Senecionis folio perenni Raj. Dico eſſe plantæ alienæ, nam Rajana flores habet majores, vulgaris magnitudine & eſt perennis planta, ut recte Rajus obſervavit. E ſeminibus hoc anno ſatis habui in Horto plantam, quæ præterita æſtate floruit & ſemina perfecit, quæ hic mitto, utinam ſatis bona, nam nimis ſero floruit. Evanuere folia & caules exaruerunt, verum jam in horto percipio radices greſſus facere, & ſecundum eos frequentem ſurrigere ſobolem, ut de ejus perennante genio dubium non ſit. Folia ejus in longiora & minus frequentia quam in vulgari, ſegmenta diviſa ſunt, alius non multo magis, niſi locis ſterilibus, quam illius incana. Vide Jacobæam incanam, ſegmentis longioribus Hiſt. Ox. III. 108. n. 2. Sect. VII. Tab. 12. ſer. 2. f. 2. & Jacobæam incanam repentem Barr. Obſ. 1075. Icon. 153. ubi non male repræſentatur. Vulgaris quidem Jacobæa foliis multum ludit, habemus

habemus tamen aliam, quæ non eſt in Syn. Raj. foliis multifariam inciſis, ſaturate viridibus, quam ab aliis Erucæ Artemiſiæve ſimilitudine expreſſam exiſtimo. Ex vicinò monte Shotover ſemina legi, & in Horto cum præcedenti eodem tempore ſevi, ſed nondum floruit, foliis autem abundat, in extremitate latioribus, læte adhuc viridibus. Jacobæarum differentiæ melius in Horto, quam in campis ediſcuntur. Vellem tuæ vel Ruppianæ Jacobææ ſemina habere.

Scribis Te habere *Aſpalathos* tres, mihi tantum eſt, Aſpal. arboreſcens pinnis foliorum crebrioribus oblongis, *Caragana, Baralo* Mogulis Stirp. Ruth. n. 285. & unum tantum ampliore &c. Stirp. Ruth. n. 174. cujus ſemina miſi, Tu nunc mitte tua, cum *Clymeno* Gerb. *Caryophyllo rupeſtri*, (præter ſquamis ciliaribus donatum). Sic gratum facies. Vale.

Scrib. Oxon. 31. Dec. ſt. vet. 1746.

346.

## JOSEPH. EXUPERIUS BERTIN.

Quanta ſit mea erga Te veneratio, vir experientiſſime, ſi Tibi expoſuerit diſcipulus meus chariſſimus Hugo, non dubito, quin aliqualem de me exiſtimationem conceptam habeas. Te itaque ſupplex oro, ut ſi per tempus liceat, per primum tabellarium tuam ſententiam de canali venoſo exponas, ſcilicet an aliquam communicationem

tionem habeat canalis iſte cum vena portarum aut cum ipſius ſinu. Pluribus verbis reſpondebo, atque cum a longo tempore commercium epiſtolare in votis meis ſit Tecum colere & fovere, quæ hic nova proponentur aut verius fuere propoſita, Tibi communicare ſummo honori ducam. Vale. Dabam Pariſiis, die 9na Januarii, an. 1747.

## 347.

# J. G. GMELIN.

Weitbrechtus d. 8. hujus menſis mortuus eſt. Diu phthiſi ſe laborare ipſe credidit & crediderunt omnes. D. Riverius & ego curam ejus habuimus ultimis duabus hebdomadis ante mortem, cœci perpetuo in cauſſa morbi. Diſſecui cadaver. Valvulam reperi ſive introſuſceptionem ilei, ab inferiori in ſuperiorem partem ſex circiter pollicum, cujus vix erat ante mortem indicium. Pulmones anteriori parte & ad latera per filamenta pleuræ accreti, poſterius liberi, in omni ſuperficie ſcatebant veſiculis nucis juglandis magnitudine ad piſum uſque, aëre plenis. Nullus fere cruor in pulmonibus, nullus ichor, nullum ſerum. Bronchia aliquantiſper infarcta. Conformatio naturalis vitioſa. Duas partes trunci pectus, unam abdomen occupabat. Umbilicus nullo fere ſpatio interjecto ſupra pubem collocatus erat, ex cujus adverſo coſtæ ſpuriæ terminabantur, abdomen tantum coercentes, ut eo a-

perto manus ventriculum vix attingere potuerit, qui ſine dubio diaphragma perpetuo preſſit, & reſpirationem reddidit difficilem. Semina, quæ deſideraſti, ad Te miſſa eſſe, frater ſcribit. Accepi non ita diu ſemina Aſtrachano & ex Perſicis finibus a D. Lerche, quæ hic mitto, cum Siegesbeckius iis non ſit dignus, ego autem proximo vere in patriam rediturus ſim, ut ipſe culturam eorum adminiſtrare vix poſſim. Adibo lares tuos humaniter invitatus, & mirabor tecum pulcherrimas plantas, quas hortus tuus alet. Multas ex hiſce, quæ mitto, ſeminibus, accipies plantas in Centuriis Buxbaumii recenſitas & male deſcriptas, atque male depictas, quicquid dixerint eo tempore, cum liber prodiret, Lipſienſes, icones ad naturam exactas pronunciantes. Organum auditus præparatum accipies proxima æſtate. Vale & me ama. Dabam Petropoli d. XXVIII. Febr. cIↃ IↃCC XLVII.

348.

## JOH. GESNERUS.

Lubenter addidiſſem ſemina plantarum alpinarum, ſed conatus meus in his comparandis irritus & ſine ſucceſſu fuit; quem enim miſeram in Uriorum Alpes Rizotomum, fracturam cruris paſſus eſt; & D. Zelwegerus, qui & ſemina ex Abbatiscellanorum Alpibus mittere promiſit, ajebat ſe omnia cum plantis nonnullis vivis S. Gallam miſiſſe, ut per D. D. Gillerum communem noſtrum amicum ad Te mitti poſſent.

Me

Me quod attinet, magis magisque infeſtans morbus fere ab omni itinere & aëris viciſſitudine ſubeunda me quam maxime impedit. Cæterum mea negotia lente domi conficio. Noſtra ſocietas phyſica meis auſpiciis cum hoc anno læta cœpit initia. In univerſum ſunt 20, qui labores præ-lect. & experimentorum ſumtus in ſe ſuſceperunt. Numerus vero, qui inter auditores ſ. Membra honoraria referri cupiebant, ad 60 aſſurgebat. Singulis 14 diebus una convenimus: & apparatum Bibliothecæ, ſuppellectilis inſtrumentorum & quæ huc pertinent, ſenſim nobis comparamus: & omnino ſpes eſt Hortum medicum conficiendi: in qua quidem re Tu Vir ampliſſ. & amiciſſ. unus omnium maxime & conſilio & opere præcipue ſemina plantarum communicando adjuvare nos poteris, quod imprimis a Te flagito. Tentavimus nuper experimenta D. Ferrein de chordis ſonoris in productione tonorum vocis humanæ, nec ſine ſucceſſu; inflando aſperam arteriam feminæ in aqua ſuffocatæ ſucceſſive pro varia tentione chordarum tonos diapaſon ut-re-mi &c. produximus. Quæ hactenus prælegi, agebant de ſitu urbis noſtræ & pendentibus inde mutationibus; de conſtructione problematum vel æquationum omnis generis mechanica per ſolum regulæ Logarithmeticæ motum ad eum fere modum, quem D. Camus in menſurandis doliorum capacitatibus propoſuit; de ortu & progreſſu Societatis Regiæ Pariſinæ. Alii alia propoſuerunt. D. Steinerus Microſcopium paravit, in quo omnia microſcopiorum commoda ſimul juncta habentur

X 2 cum

cum non paucis emendationibus. In eadem enim machina habetur Microſcopium ſimplex, compoſitum, ſpeculis concavis pro objectis opacis inſtructum; ſolare & anatomicum Lieberkühnianum. Et generatim amor ſtudii phyſici magis magisque apud noſtrates increſcere videtur, ut ex parvis his initiis aliquando majora & utilia b. c. D. ſperem; omnium maxime, ſi quandoque præclara Tua inventa nobiscum communicaveris, quod etiam atque etiam meo & ſociorum nomine rogo. Cl. Stehelinus de edendo ſuo opere de ovis cogitat. Sculptorem ſibi deeſſe ſcribit; poſſem apud nos in hoc genere non rudes ipſi ſuppeditare, ſi velit. D. Fauré ditionis Bernenſis Genevæ edidit opuſculum, in quo circuli quadraturam ſe inveniſſe jactat; quæ daret rationem quadrati diametri ad aream circuli ut $9^2 : 8^2$ quæ quidem aream polygonum 9 b. laterum adhuc excederet. Parato pretio demonſtrationem ſe additurum promittit, ſed ut hujusmodi homines ſolent, nimium promittunt, potius ex inſcitia & lucri cupiditate, quam malo animo. Vale. Scripſi Tiguri d. 17. Febr. 1747.

## 349.

## CAROLUS LINNÆUS.

Hisce diebus prodiit Iter meum Weſtrogothicum, in quo character Algæ & ter tua encomia juſta.

Impri-

Imprimitur quotidie Flora Zeylanica, in cujus præfatione dixi de Te, quod de nullo alio. D. Roſen promiſit ſe illud miſſurum.

In Diſſert. novorum generum itidem Te, ut debui, extuli; hæc adhuc ſudat, intra menſem ventilabitur.

Ex hisce tribus videas, quod tuus ſim; & magis quam nullus alius. Tentavi tuam obtinere gratiam, ſi ſit in humana poteſtate.

Nunc totus ſum in hiſtoria morborum, quam publice doceo & privatim in mineralogicis.

An verum quod D. Doppelmeyer, Prof. Math. Noriberg. ab electricitate in Hemiplegiam inciderit?

Quomodo Tu electricitatem in uſum medicum trahas, totus orbis mecum ſcire deſiderat.

An Te culpaverim in diſſertatione quod Paſſifloras inter cucurbitaceas retuleris plantas? minime. Sic ego in fragmentis methodi naturalis; & adhuc idem ſentio; nec umquam aliter. Doleo quod ſis iratus; alias numquam ita explicares.

Vale & diu vive. Dabam Upſaliæ 1747. d. 10. Aprilis.

350.

# CAROLUS LINNÆUS.

Cum ante octiduum Stockholmiæ eram, Academia Regia ſcientiarum Stockholmenſis Membra extranea denominavit, uti Geſnerum, Juſſiæum, Te, Gmelinum, Sauvageſium, Claytonum, Collinſonum, Swietenium; mihi in mandatis dedit prædicta Societas & Academia, ut Te hiſce literis perofficioſe vocarem, & invitarem; hocce, levidenſe licet, animi mei pignus non reſpuas, qui natus es in ſcientiarum reformationem atque reſtitutionem. Quod ſi benigne excipias, literas mittas ad Academiam Regiam Scientiarum Stockholmiæ, ipſique ſignifices, Te haſce meas accepiſſe. Vale. Dabam Upſaliæ 1747. d. 12. Maji.

351.

# JOH. GESNERUS.

Tua liberalitate ad me miſſum faſciculum elegantiſſimorum libellorum ante aliquot hebdomadas cum iis quæ Cel. Morgagno deſtinaſti, rite accepi, & operam dedi, ut ſine mora Patavium mitteretur. In illis non exiguam voluptatem mihi attulit Barianum ſcriptum & amicitia authoris, quam ex ejus inſcriptione cognovi; & hanc ut bene multa, immo innumera alia benefacta, Tuæ in me benevolentiæ tribuenda eſſe facile ſentio & gratiſſimus agnoſco. Bakerus his diebus advenit. Hujus authoris judicio & obſervationibus

nibus plurimum tribuo, & multo majora quam Adamo licet ſit copioſior, ſubinde tamen hallucinatus eſt, ut ad caput de floribus & ſalibus inſpicienti abunde patebit. Flora Germanica magno ſane rei botanicæ incremento in lucem emittetur; det Deus vitam, ſanitatem, otium ut ipſum opus felix perficias. In Suevia & Wirtembergico Ducatu medici inter ſe ſtabiliverunt ſocietatem, quam Crypto Jatricam vocant, quod nonniſi medica tractet, potiſſimum quæ ad morborum certam prognoſin & diagnoſin ac curationem atque vires medicamentorum pertinent, quodque ſuas obſervationes unice inter ſocios per commercium literarium communicent. Noſtra ſocietas phyſica fautores & amatores magis magisque invenit; medici hujus ſocietatis ſcriptum parant vernaculum de reſtituenda vita ſubmerſorum; nuper experimenta electrica in ea exhibui imprimis recentiora Boſiana. D. Lavaterus peritus & induſtrius pharmacopœus, quippe plurimos annos in officina Linkiana & Boulduciana degebat, pulchra admodum & nova experimenta inſtituit de variis phosphori ſolutionibus & ſpecifica indole ſalis, quod ex eo habetur: Imprimis curioſæ ſunt eæ, quæ in liquore æthereo Lullii & oleo vini perficiebantur. Cæterum hæc ſocietas mihi non exiguam temporis & otii mei partem eripit, quod mihi arctius redditur, maxime cum hoc tempore oneroſo Scholarchæ munere apud nos fungar. Tu vero vale, Fautorum & amicorum princeps; Te ſalutant amici & mea conjux. Iterum vale, & mihi favere ut ſoles perge.

Scripſi Tiguri d. 13. Maj. 1747.

352.

# JOSEPHUS EXUPERIUS BERTIN.

Epiſtola tua, Vir illuſtriſſime, a tribus hebdomadis jam ad manus meas pervenit; qua quidem, non ſine ſumma animi voluptate, percepi, operum quæ in orbe litterato prodeunt nova, inter te & me commercium individuæ amicitiæ pignus fore, & mutuum neceſſitudinis perpetuæ vinculum. Gratiſſimum mihi erit, ſi mea in mittendis ad te recens inventis vigilantia, in communicandis tecum elucubrationibus meis anatomicis ſedulitas, ad ampliſſimam laborum tuorum ſegetem tantillum conferre queant. Quod ſi nondum ad te miſerim diſſertationes noſtras Pariſienſes potiſſimum de anatomia & chirurgia, & quod tam tarde prodeat reſponſum tuæ epiſtolæ, id morbo qui a quatuor hebdomadis & ultra lecto me affigit, tribuendum venit.

Bene dixiſti, cum arduam eſſe carotidis externæ accuratam deſcriptionem delineationemque monuiſti, ipſam jam abſolvi, at fatebor, non ſine metu infauſti eventus prodibit hæc angiologiæ meæ pars. Arteriæ, quæ per tubam & muſculos ipſius per tonſillas, quo partem ſuperiorem pharingis & quarum mox trunci mox rami intra cranium per varia baſeos cranii foramina intus ſuſcipiuntur, ubinam reperiuntur deſcriptæ, geminæ aut tres plerumque ſunt in ſingulo quoque latere

latere harumque altera a loco diviſionis trunci communis in carotidem externam & in internam, oritur. Diſſertationes varii argumenti a te memor accepi, & clariſſimo Winslowo eas commiſi, quas eidem committendas juſſiſti.

Antequam germanus profeſſor (Günz) ſuam ederet de arteria maxillaris internæ epiſtolam, jam a longo tempore diſcipulis meis pleraque, quæ ab ipſo proponuntur, demonſtraveram, quod nec ipſe diffitetur. Nonnulla tamen teneo, quæ omi ſit, de quibusdam quæ proponit, dubito. Tuam de inſertione venæ umbilicalis in portam ſententiam rogavi, ut mihi nitide innoteſceret, utrum eadem cum mea penitus conſona & ſimilis eſſet. Verum ut video longe diſtamus, etenim admittis ſinum portæ ramumque ſiniſtrum ſinus, ortum canalis venoſi a ramo ſiniſtro ſinus e regione quidem & e directo inſertionis venæ umbilicalis, quibus omnibus nullatenus aſſentior. Ramum enim hunc, quem vocas ramum ſiniſtrum venæ portarum, pertinere ad umbilicalem venam judico & per hunc, umbilicalem ſanguinem pervenire ad lobum hepatis dextrum. Scilicet truncum portæ concurrere cum hoc ramo umbilicali ad efformandum truncum quendam, is eſſet juxta omnes ramus dexter ſinus, venoſum inſignem breviſſimum, ſanguini venæ umbilicalis & venæ portæ æque pervium, in ramos innumeros diviſum qui omnes per lobum hepatis dextrum diſſeminantur. Nec ullam guttam ſanguinis venæ portarum pervenire autumo ad hunc ramum, quem

vocas ſiniſtrum ramum ſinus venæ portæ, verum truncum inſignem umbilicalis venæ & huic ramo & lobo dextro partim, & variis aliis ramis per lobum ſiniſtrum ſparſis & canali venoſo unice proſpicere. Unde ſequitur motum ſanguinis in hepate fœtus non fieri a dextra in ſiniſtram partem hepatis, verum a ſiniſtra in dextram. Quæ omnia jam ante aliquot menſes Academiæ regiæ ſcientiarum demonſtravi. Dabam Pariſiis die decima quarta Maji 1747.

353.

## J. F. SCHREIBER.

Reſpondeo ad binas tuas litteras, quarum alias per Wagnerum, alias per Winklerum recepi. Jam dudum ſignificavi, experimenta Tua de reſpiratione recepiſſe, ſed abfuiſſe libellum de oculorum morbis, cujus mentionem feciſti. Id addo, mihi videri, quod ductus ex glandula parotidis adceſſoria a Te inventus, de quo verbum injeciſti in dedicatione tua ad DD. Trew, præmiſſa illis experimentis, mihi non videatur differre ab iis, quibus de retulit *Juſtus Veſti* in Programmate, edito a. 1686. Erfordii, ſequentem in modum: Superiores ſalivales Stenonianos ductus ita deprehendi, ut in utroque latere majorem bini minores, aurem verſus, concomitarentur. Hambergeriana non legi: adtamen doleo, quod animi duorum præcipuorum in Germania

Medi-

Medicorum ita inter ſe collidantur. Adtamen nec crediderim, Hambergerum Tecum comparari velle in argumento, quo de agitur. Filius amici mei, qui Tubinga ad Vos tendere voluit, eſt filius Directoris tabellariorum hujatis, Aſch. Diu hunc non conveni: ſicque ignoro, an mutaverit ſententiam. Sed de hoc poterit referre coram Gmelinus. Si de me quæris: reſpondeo, me adhuc in antiquo conſiſtere ſtatu: deliteſcere inter privatos parietes, nunc legere, nunc aliqua in chartam conjicere, nunc plane otioſum eſſe; quia fere idem videtur mihi fore, agere vel non agere. Weitbrechti obitus ſat notus eſt. Siegesbeckio non roganti miſit Academia dimiſſionem ab officio, adeo, ut ſenex, liberis forte ditior, quam opibus, transfretaturus dicatur, haud dubie Heiſterum ſuum aditurus. Gmelinus ante dies quatuor mihi dixit, ſe ultimum vale nobis poſt 2 vel 3 hebdomadas dicturum, & aditurum Gedanum, Berolinum, Lipſiam atque Gottingam Tuam. Id quod felix fauſtumque eveniat. Is Tibi tradet donum ill. Sanchez, aurem internam ab artifice noſtro inſigni van Melln, præparatam. Hic ipſe mihi hodie oſtendit elegantem præparationem cordis. Eſt hoc eleganter exſiccatum & præparatum: & ope feneſtrarum, aperiundarum & claudendarum, debite in ſubſtantia cordis, valvulæ omnes in ſitu videri poſſunt, atque quadam ſectione, quæ totum cor tranſit, dum ope ginglymi cor explicari & claudi poteſt, omnes partes cordis internæ: ſeptum: foramen ovale, quod in hoc ſubjecto adulto apertum fuit, &c.

De

De peſte libellum lubenter & quidem ultima vice, recuſum vellem: quia habeo longe plura addenda, quæ mihi videntur operæ pretium factura, & ſententiam meam quam maxume corroboratura. Sententia explorata, poſſem Mſ.tum ultimis navibus transmittere. De cetero gaudeo, quod valetudo Tui corporis tantis laboribus ſufficiat, atque ut diu integra perſtet, ex animo voveo. Petropoli 17 $\frac{6}{6}$ 47.

354.

## JOH. GESNERUS.

De Tabulis coloratis D. Gautier vix magna mihi promitto ex ea recenſione, quam in Diario Trevoltienſi legi, cum & poſthumæ ſint profe-ctoris Duverneii, & ipſi recenſores Galli imperfectionem non diſſimulent. Diſſertationem D. Scheidii faſciculo incluſam ad me miſit amiciſſimus Gillerus, ut darem operam, ut ad Te per curſorem publicum deferatur, cui lubens morem geſſi. Adjunxi tabulam monumenti inter rudera dirutæ olim arcis *auf dem Lindenhof* inter fodiendum detecti. Ego dum lapides ruderum accuratius contemplatus ſum, inter alios non paucos offendi alabaſtritas totas plenos petrefactis Teſtaceorum variorum.

Tumore pedum Te laborare non ſine mœrore intellexi, ſed erexit animum, quod ſine moleſtia aut morboſis ſymptomatibus acciderit; ſæpenu-

penumero enim Natura in hoc ætatis conſiſtentis ſtatu exundantibus humoribus hiſce in extremitatibus locum quærit absque incommodo; ſunt enim non pauci, qui ad ſummam ſenectutem aliis morboſis acceſſibus liberi pedes tumentes perferunt. Fortaſſe frequens in humidis locis, horto imprimis & itineribus botanicis labor aliquam huic incommodo anſam dedit, quod moderatione nimiorum laborum Deo dante remittet, quod ardentiſſime opto.

Ludwigii definitiones auctas bibliopola attulit; caracteres plerique ex Linnæo contracti; ſibi vero in eo diſſimilis videtur, quod haud raro ex partibus vegetationis radice & foliis differentias generum ſtatuat, dum in aliis locis hujusmodi notas excludit, & nonniſi Linnæana genera conſervat, licet numeroſiſſimam plantarum claſſem admittant, & ex foliorum aut radicum aut calicum differentiis in plura genera ſubalterna eodem jure poſſent diſtribui: Cæterum difficile admodum videtur, Linnæanas generum deſcriptiones contrahere, cum omiſſis quibusdam non raro in examine florum deinde merito deſiderentur; niſi ea omittenda ſint, quæ toti claſſi ſunt communia. Si plura genera naturalia eo modo, quo Tu, Vir excellentiſſime, Allium exhibuiſti, a Botanicis pertractarentur, facilis foret ad perficiendam Botanicam vir. Ludwigius ad repetitas meas literas nil reſpondet, poſtquam hæreditate Waltheriana auctus eſt. Maximum habebo beneficium, ſi plantas rariores, quæ ſucceſſive & ſubinde in horto

horto Veſtro proveniunt, mecum communicaveris. Introductionem in Botanicam ad normam Linnæanam & eam, quam in Diſſertationibus meis exhibui, conſcribo, & Tabulis, quæ differentias partium vegetationis & fructificationis repræſentant, illuſtrabo. De hoc conſilio quidem nihil cum publico communicare animus eſt, ante librum editum; audio enim, Halæ Saxonum editionem fundamentorum botanicorum Claſſ Linnæi cum meis diſſertationibus parari; quæ ſi notis & tabulis illuſtraretur, meum fortaſſe conſilium irritum facerent. Tuum vero in his judicium plurimum ſemper faciam.

Te locum Cel. Dillenii cum illuſtri eo, in quo conſtitutus es, prorſus non commutaturum eſſe, facile Tui amici pervidere poterant. Si vero optare cum fructu liceret, id modo optaſſem, ut apparatus & ſuppellex botanica, qua Dillenio uti licuit, per aliquot annos in tuum uſum concederetur, ut aliquando plenam & perfectam hiſtoriam plantarum univerſalem eruditiſſima & diligentiſſima tua cura elaboratam orbis eruditus nanciſceretur.

Scripſi Tiguri d. 16. Jun. 1747.

355.

## NICOLAUS ROSEN.

Quo minus crebrioribus literis Te, Vir illuſtris, adpellarem, permulta obſtitere impedimenta,

ta, heic operoſe non recenſenda: at nunc, aliquid otii nactus, calamum arripio, non tam Tibi, quam nobis gratulaturus de Te, utpote digniſſimo Academiæ noſtræ ſcientiarum Stockholmenſis Membro ordinario. Commentatiunculam Tuam, Vir optime, de Tunica pupillari, ſi Tua venia liceat, in ſermonem Suecanum convertère, ego perlubens ipſe convertam, quo Actis noſtris rite & cum Tua laude inſeratur; quemadmodum eandem operam amiciſſimam Tibi delatam cupio in aliis quibuslibet ex Tuo ingenio prodituris & Societati noſtræ literariæ multum lucis ac ſplendoris, uti auguror, fœneraturis. Non Rollinus, ſed Medicinæ Studioſus D. Rothman a Sacra Regia Celſitudine nuper eſt conſtitutus Profector ad hanc Academiam. Hic cuncta, quæ hac in re acta ſunt, ſumma fide tibi narrabit. Cum frater meus apud Te eſſet, de Profectore ne quidem cogitavi. Norenum obtinere non potui, Rothmannum vero nova arte conſecutus ſum. Hunc, quo neceſſaria artis præſidia ſibi comparat, ad Te jam mittit Academia noſtra, eundemque nomine conſiſtorii noſtri Tibi ſummopere commendo. Pervelim ſcire, an uſus baccarum lil. convallium in Epilepſia, corticis peruviani in cancro, & D. Herrenſchwand contra Tæniam confirmetur. Anne hoc remedium e cryſtallis lunæ, Elaterio albo & ſapone Starkeyano præparetur? Expuli nuper uncia rad. Jalappæ Tæniæ ulnas XVI. in hac tumor digiti craſſitie eſt, e quo minutiſſimas Tænias exprimere poſſum: An hoc aliquid novi? Linnæus Archiatri titulo eſt mactatus. Ego

Rector

Rector Academiæ Upſalienſis per hoc ſemeſtre creatus ſum. Fac de cetero valeas, vir amiciſſime, resque tuas feliciter & ex animi ſententia geras. Dabam Upſaliæ die XIV. menſis Julii ſt. v. A. 1747.

356.

## J. F. SCHREIBER.

En Tibi tandem amiciſſimum noſtrum Gmelinum, quem videre, cujus colloquio frui, tanto, & tam juſto deſiderio tenebaris! Utere igitur ipſius conſortio, & quantum permittet botanicum otium, noſtri memento! Quæ juſſiſti, hac commoda occaſione transmitto ſcripta Hartmanni. Nova litteraria, quæ me longe melius noſti, referre non poſſum. Id audivi, Te indefeſſum in ſtudiis, tabulas novas anatomicas, & hiſtoriam morborum Uratiſlavienſium edi curaſſe! Faxit DEUS, ut vires corporis diu conſtent! Novum honorem, dum Te in Academiam ſcientiarum Suecicam modo receperunt, ex animo gratulor. Vive ſanus & felix, meque redamare numquam deſine. Petropoli, 17 $\frac{22}{7}$ 47.

357.

## J. G. GMELIN.

Scripſeram ad Te, optime amice, Lubeca, & promiſeram, brevi Te convenire. Detinuit me

Lubecæ

Lubecæ catarrhus aliquod temporis ſpatium idque majus, quam ſperaveram. Subſtiti Hamburgi integram bebdomadam. Ibi de ulteriori itinere deliberans perſpexi, male me geographiæ Germanicæ fuiſſe gnarum, dum Hamburgo Göttingam & hinc Berolinum proficiſci conſtituebam. Mutavi itaque conſilium, & huc profectus ſum, hinc Dresdam & Lipſiam, tandemque ſuaviſſimam Göttingam petiturus. Duo me affligunt, primo, quod Ill. Werlhofii colloquio, ita ferente caſu, fruſtratus ſim; ſecundo, quod pauca ſpes ſuperſit, ex horto veſtro Academico proficiendi. Cum vero, quod ad primum ſpectat, Ill. vir, ſecundum mea vota diu adhuc inter vivos ſuperſtes futurus ſit, non omni me ſpe excidiſſe credo illius colloquio olim fruendi, deinde cupido, quæ in me eſt maxima, me forte ſalvabit. Quod attinet ad alterum, tuo horto ſicco fruendi ſpes eo affulget major, quo minus curis horti vivi impeditus eris. Litteras Petropoli accepi, Ill. Sanchez officio ſuo tandem demiſſum reditum in Patriam meditari. Scripſi jam ad Te, me organum auditus, Mellii cura præparatum, ab illo accepiſſe, ut Tibi offeram. Tenuem etiam faſciculum a D. Schreibero habeo, diſſertationibus quibusdam, quas ab illo petiiſti, farctum, quem adferam. Supereſt, ut me Tibi totum commendem, & ut bene mihi cupias, exoptem. Vale. Dabam Berolini d. XXVI. Septembr. cIↃ IↃCC XLVII.

358.

## EBERH. ROSEN.

Tractationem ſolidiſſimam de reſpiratione contra Hambergerum eo avidius legi, quo jucundior mihi eſſet memoria, ſpectatorem egiſſe me plurimorum ea in re a Te inſtitutorum experimentorum. Quam vellem ut apud nos etiam aliquid Te dignum aliquando prodiret, quo ſic gratias referendi occaſio, ſeſe mihi offerret, quum in ære tuo multis nominibus eſſe me grata mente agnoſcam. Botanicen, ex quo in Sueciam factus ſum redux, negligentius tractavi; cum futuri horti Academici curam retinere voluerit Collega meus honoratiſſimus Guſtavus Harmens. Ex quo autem vergente æſtate urgere nunc frater meus cœpit, ut ne factos apud Te Botanices progreſſus ultra promovere deſiſterem; priora equidem in memoriam revocare cœpi. Primum quidem plantulas aliquot, quas patriam repetens in inſula Hedenſee Rügiæ finitima primo vere obſervaveram, luſtrare iterum cœpi. Ex his autem binas mihi tum quidem omnino ignotas offendi. Unam quidem ex oraculo meo, Helvetia nempe tua, cognoſcere didici. Eſſe nempe illam Alchemillam foliis levibus lobatis, lobis multifidis Helvetiæ tuæ p. 185. n. 3. Levem autem viridemque tuam plantam dicis, noſtra a tomento argenteo ut prior ſpecies N. 2. obducta obſervatur. Radix plane lignea eſt, modo craſſo cortice obducta, & habemus ſpecimen, cujus folia tam infra quam ſupra

tomento

tomento hujusmodi albo obducta ſunt. Plantulam mittimus, ut Te Cenſore diſcamus, vera ne ſit, quam opinamur, Alchemilla hæc tua nec ne? Numnon quoque vere differat ab illa, quam n. 136. H. Suec. Linnæus recenſet? Ceterum eodem loco & alteram mihi ignotam plantam vidi, cujus nondum adultæ folia tantum, Mari odorem ſpargentia, carpere licuerit. Cognovi equidem nunc Abſinthium eſſe, ſed de ſpecie plane hæreo. Satis conveniunt folia cum ſpecimine Echarti, ſub nomine Abſinthii tenuifolii camphoram ſpirantis Halleri & cum Artemiſia Helvetiæ tuæ p. 694. n. 1. Sed cum ſuſpicio ſit Abſinth. Seriphium Belgium N. 641. Linn. Suec. quod nondum vidimus, ſimilia quoque exhibere folia, & Abſinthium maritimum latifolium, ſive Matthioli J. Bauh. III. p. 144. ſimilem pene habeat foliorum diviſionem, dubius plane ſum, quænam ſit hæc, quæ in Hedenſea creſcit Abſinthii ſpecies. Habemus radicem, quæ ſatis craſſa & omnino lignea eſt, magnumque faſciculum foliorum, quorum aliquod mittimus, ad terram protrudit. Memini mas quoque caulem ab altero anno emarcidum ſatis longum & craſſum vidiſſe nos, ut inde ſuſpicaremur, mox quidem ſpeciem aliquam Artemiſiæ vulgaris foliis multifidis, hic ſubeſſe. Sed hæc nobis non ſufficiunt, ut de ſpecie aliquid certi ſtatuamus. Tu vero, vir illuſtris, ex hiſce nos dubiis facile extricabis. Porro: in eadem hac inſula vidimus Lithoſpermum Helv. p. 518. n. 3. vel Tabern. Anchuſam Ic. 849. ſed flore præditam cœruleo. Quæ num frequens ſit varietas, lubenter ſcirem.

Ibi quidem in ſumma provenit copia, unde plura legimus ſpecimina.

In Scania noſtra hac æſtate paucas reperimus herbas, a Botanicis noſtris nondum, quod ſcio, in Suecia obſervatas, circa Gottingam vero, ut olim vidimus, creſcentes. Sunt autem hæ:

1. Verbaſcum flore albo Helv. p. 510. n. 2. Quod cum deſcriptione Helvet. & Joh. Bauh. convenit, niſi, quod folia in noſtro rotunde crenata magis, quam argute ſerrata obſerventur. Stamina enim in noſtro buxea ſunt & apices miniati. Quare vix crediderim, varietatem hanc in margine foliorum tanti eſſe faciendam, ut ad Verbaſcum Helv. p. 511. n. 3. referri debeat. Grato noſtrum odore erat fere Violæ martiæ.

2. Lotus floribus umbellatis, ſiliquis pendulis, caule erecto Helv. p. 541. n. 2.

3. Cirſium Helv. p. 682. n. 12. radice Aſphodeli. Hoc autem propter radicem, ut nobis viſum eſt, vix Aſphodeli, multum nobis fecit negotii. Neque enim icon radicis vel in Joh. Bauh. vel in Tabern. noſtri hujus Cirſii radicem bene exprimit. In ceteris autem fere idem & convenit plane cum tua & Bauhini deſcriptione, nec non cum ſpecimine, quod Gottinga detulimus Cirſii radice Aſphodeli; id, quod reperiiſti, Vir Illuſtriſſime, menſe Sept. in prato quodam humido, haud procul a Göttingervalde, dum herbarum

barum cauſſa Tecum læti exſpatiaremur. Radicem autem Gottinga non attulimus. Si velis Iconem radicis in Cirſio hoc noſtrate, inſpicias tantum iconem radicis in Spatula fœtida, quam dat Tabern. p. 650. quæ in eo tantum a noſtra differt, quod radix in noſtro hoc Cirſio longius ſerpat, & plurium ſæpe caulium mater ſit, haud fere aliter ac in Chamæiride Tabern. p. 680. Cumque viderimus nec eſſe Carduum Helv. p. 677. n. 4. nec Cirſium Helv. p. 681. n. 9. concluſimus, eſſe plantam hanc noſtram Cirſium tuum n. 12. An locus in quo provenit noſtrum magis ſiccus & fere montanus effecit, ut parenchyma radicis tenuius eſſet, ignoramus.

4. Allium ſtaminibus ſimplicibus, umbella bulbifera, vagina bicorni, foliis teretibus, Haller. de Allio p. 49. n. 23. Ita vocare liceat Allium apud vos repertum, niſi quidem mediam quandam allii ſpeciem inter N. 23. & 24. foliis ſemiteretibus ſtatuere Tibi placuerit. Multum utique convenit noſtrum cum Cepa n. 205. Lin. Suec. ſed differt fructu, qui in noſtro hexagonus eſt, & ſex monticulis ad apicem diſtinctus. Nec in noſtro folia diſtinctos adeo & eminentes aut ſcabros angulos habent, qui numerari commode, ut in Linnæano queant. Convenit cum Icone Allii tui foliis teretibus, ſed minus noſtrum obſervatur vix pedale, nec vaginas adeo longas, caput habet. Convenit quoque cum deſcriptione tua, ſed involucrum radicis in noſtro non ſubfuſcum, ſed album nitidum eſt; nec aliter

intelligere potui, quam bulbillos exiguos ex latere generet, quamvis incautius fodientes, eorumdem cum primario bulbo cohærentiam, mediantibus fibrillis reperire non potuerimus. Porro folia in noſtro ad unciæ vel ſemiunciæ tantum longitudinem fiſtuloſa obſervantur, cavo prædita duplici, quod ex ſulco formatur, qui folium ſuperius per longitudinem excavat. Reliquum foliorum magis planum obſervatur ſemperque emarcidum, ut bis locum, ubi naſcitur, repetere coacti fuerimus, donec tandem unicum folium, quod non ad culmum uſque emarcidum erat, reperiremus.

5. Siſymbrium pinnis profunde ſerratis diſſitis Helv. p. 548. n. 4.

Præter hæc jam recenſita, varietates quasdam reperimus. Ex horum cenſu, Scabioſa integrifolia Thalii eſt; Bidens, porro, flore radiato & Stoechas citrina calycibus aurantiis. Rhapontici quoque N. 3. Helvet. folia inferiora partim haſtata, partim quoque integra legimus. Quæ cum ante nobis ea figura viſa non fuerint, animi cauſſa mittimus.

Ceterum, ut ne diutius Tibi, Vir Illuſtris, minutiis hiſce meis tædioſus ſim, finem tandem ſcribendi faciam. Plura quidem circa plantas quasdam a nobis lectas & notatas dubia occurrunt; ita vero tuo jam frui favore decet, ut eundem quoque alia vice flagitare liberius auſim.

Dabam Lundæ die 24. Septembris ſtili veteris 1747.

359.

# JOH. GESNERUS.

Cum præterito Auguſto menſe humaniſſimas tuas literas acceperam, paucos poſt dies idem iterum febrilis & exanthematicus morbus, qui hoc ipſo anni tempore me jam aliquoties anniverſaria velut acceſſione afflixit, per aliquot hebdomadas lecto affixit.

Magnificentiſſimum Conſulem Aeſcherum & Ampliſſimum Blaarerum ſalutavi tuo nomine, & propoſitum indicavi, data commoda occaſione cum ad Orationem ſolemnem invitarem, quam in Feſto Felicis & Regulæ dixi de reſtitutione eorum, qui mortuorum ſpeciem præ ſe ferunt. Hi inſtitutum tuum omni conatu lubentiſſime adjuturos eſſe promiſerunt, & pro eo quo feruntur erga Te amore, & maxima Tui exiſtimatione nil in hoc genere prætermittent id vel coram vel per literas agere, & Cl. Bodmerus mecum non ceſſabit Tui memoriam apud eos refricare. Te etiam plurimum per me ſalutant, nunquam ipſos video, quin de Te & rebus tuis mecum ſermones miſceant, idque imprimis optant, ut Te quam primum Patriæ redditum ſciant.

Præter ea quæ a Te cognovi de Societatis Suecicæ in me voluntate & judicio benigniſſimo, nil quicquam hactenus mihi innotuit; rogo itaque, ut benevole indices, quænam ea ſit ſocietas Literaria Upſalienſis, an Holmienſis Societas ſcientia-

 rum,

rum, & ad quem dirigendæ ſint literæ, ut gratiarum actiones mittere poſſem, quas tuæ procurationi commendare vellem.

Ex alpibus Abbatiſcellanis plantas circiter 150. diverſas hac æſtate miſit Cel. Zellwegerus, noſtris ſumptibus per Riczotomum collectas, omnes eas vegetas florentes & radicibus inſtructas, quarum non paucæ læte in hortulo ſuccreſcunt. Quorundam flores & fructificationis partes pictor meus ex recentibus depinxit. In iis etiam Orchidem nigro flore palmatam, quam alias petiiſti, & quâ nunc inſervire potero, niſi ea ſis inſtructus. Hoc modo notas diagnoſticas ſpecierum ex vivis ſpeciminibus, reliquas ex optimis ſcriptorum iconibus colligo, ut tandem tot quot ad repræſentanda genera ſufficere poſſunt, in tabulas diſtributa exhibere poſſim. Et ſic labor meus in botanicis continuo creſcit, & priſtinus fere plantarum amor redit, eo tempore quo & plurima negotia me avocant, & valetudinis ratio ab itineribus botanicis fere abſtinere jubet. Interim id ago, ut inſtitutiones parem botanicas, in quibus characteres generum, ſpecies cum paucioribus ſelectis ſynonymis locis natalibus & virium compendio exhibeantur. Icones ſpecierum eæ addentur operi, quales ex Fuchſio habeo, & alias nonnullas, ſed potiſſimum medicatas. Accepi catalogum hortiCarlsruhiani a D. Riſlero confectum, & inde non pauca mihi promittunt amici.

Hac æſtate optimus & diligentiſſimus D. Gagnebin, dum thermis uteretur Badenſibus, me invi-

inviſebat, & plurimus de te noſter ſermo fuit, qui ſerio & ardentiſſime Te in patria frui, & doctiſſimis tuis conſiliis uti optabamus. Scripſit ex eo tempore pluribus ad me, & communicavit catalogum plantarum in hoc itinere lectarum, quem ſi velis lubentiſſime ad Te mittam.

Societas noſtra phyſica continuo incrementa capit. Magnificentiſſimi Conſules & ampliſſimi Proconſules ac Archiœconomi interfuerunt quoque conventibus noſtris, non ſine benevolentiæ teſtificatione; id unum agitamus, ut hortuli medici initium commode fiat. A Seelmattero nil accepi, neque faſciculum illum, quem Cel. Morgagno deſtinaſti. Sulzerus noſter Profeſſor Matheſeos Berolinenſis a Rege Boruſſiæ electus eſt. Vale.

Scripſi Tiguri, d. 15. Octobr. 1747.

360.

## CAROLUS LINNÆUS.

Suaviſſimas literas Tuas d. 25. Maji ſcriptas accepi heri a Collega meo D. Roſen, cum incluſo ſpecimine de nummo; in quo iterum amicitiæ Tuæ ſpecimen habeo; gratus agnoſcam.

Spero quod D. Rothman hiſce diebus ad Te Floram meam Zeylanicam deferet, in quo plurimas ſpecies ad ſua genera amendavi; utinam Tibi non diſpliceret.

Utinam numeris velles determinare ſpecies, quas ſiccas deſiderares e Flora Suecica, mitterem mox; ſed Lapponicas vix poſſum; diſtat nempe Lapponia longius a me quam veſtra Göttinga, nec in Lapponia a meo deceſſu ullus Botanicus plantas Lapponicas legit; quas habui, dudum amicis dedi, excepto unico ſpecimine. Reliquas Suecicas, fere ſingulas, poſſem comparare, modo ſcirem quas velles. Semina habeo nulla niſi Sibirica; ſed ea pleraque, ni omnia, video in tuo horto. Corradam tamen nonnulla ſi velis.

Kulmius hisce diebus petiit Angliam, & inde petet Canadam, ut legat ſemina pro horto, cum Canadenſes apud nos optime ferant hyemes. Aſt ille meus diſcipulus, & nuper conſtitutus œconomiæ Profeſſor Aboenſis, quod munus, me commendante, obtinuit.

D. Ternſtrom, qui ante duos circiter annos, meo impulſu, Chinam adiit, nondum rediit, ſed tempeſtatem exſpectat in India orientali; eſt collector plantarum egregius, ſed nil ultra.

Heri abiit alter uti Concionator, qui Indiam orientalem cum navibus Indicis petet; eximius collector, licet parum alias verſatus ſit.

Hortum Upſalienſem abſolvi, proxima æſtate habebis; ſed pauper adhuc.

Colligo nunc ſpecies quas vidi omnes, & propriis generibus ſubjicio, quas edam cum ſyſtemate.

Lud-

Ludwigii definitiones nondum vidi, Linderum vero accepi, ſed parum præſtitit. De Gorteri Flora nondum ad meas manus pervenit; uti nec D. Gmelini Sibirica. Barrerii Ornithologia pulchra eſt, ſed deficiunt deſcriptiones.

Materiam medicam fere abſolvi, ſed Agallochum, Lignum Rhodium, Bdellium, Carannam, Elemi, Sagapenum, ſ. Ammonicum, Myrrham, Thus, Balſamum peruv. Aniſum ſtellatum, Myrobalanus Chebul, Belliric. Citrinum non novi; ſcilicet plantas unde deſumantur; ſi noviſti, quæſo impertias.

Bellevedere hoc anno floruit in horto, ſed hac nocte gelu plantas corrupit; ſtamina in noſtris plantis non reperi, quæſo inquiras, an dentur individua maſcula?

Incluſa ſemina ſunt Arbuti iſtius Fl. Suec. 340, ſed forte habes ex Alpibus Tuis. Noviſti, quod ſerenda ſint in terra ſabuloſa macra. Sunt recentiſſima & hodie e planta deſumta; mox ea terræ mandes, ſub dio.

Nil apud nos novi. Urſi cauda elongata deſcriptionem dedi in Actis Stockholmenſibus.

Adhuc ſudant Acta Upſalienſia, in quibus Tua obſervatio pulcherrima & vere nova de tunica oculi embryonum.

Hiſce vale. Dabam Upſaliæ d. 23. Octob. 1747.

361.

361.

## D. LUDWIG.

Pauca ſunt, Vir illuſtris, quæ reddere poſſim, cum tam egregia & Tua & aliorum ſcripta mecum communicaveris, inprimis vero Phyſiologiam lectionibus academicis accommodatam diu deſideravi; cum Boerhaavius multa anatomica immiſceat eaque non ſatis accurata, quæ nos in explicanda Phyſiologia ipſa vel confundunt vel retinent, dabo recenſionem in novis literariis. Hortum meum hac æſtate in ordinem digèſſi, hybernacula mutavi, & quasdam mutationes, quæ Walthero diſplicebant, ſumme tamen neceſſariæ erant, ſuſcepi; ſpero itaque me intra annum, & amicis qui mihi ſemina dederunt, & plantas aliquid reddere poſſe, ex tuis quoque ſeminibus nonnulla acceſſere bona & deſiderata, quæ iterum ſemina dederunt matura. Gmelini Floram Sibiricam nondum vidi, laudat eandem Kleinius, qui iterum botanica amare incipit; Flora Zeylanica Linnæi reliquis ſcriptis ſimilis, in novis generibus nimis præcipitanter agit, multa mutat poſtea, quæ prius non rite perſpexerat, ex plantis ſiccis genera definire ambiguum ſæpe eſt, cum ſtamina in his vix certo definiantur, & alia quæ genericos characteres exhibent. Doleo me Linnæo in pluribus & inprimis in graminibus inhæſiſſe. Ego certe, qui perlibenter Te videre cupio, iter Querfurtum ſuſcepiſſem, ſi me de itinere tuo certiorem feciſſes.

Vale,

Vale, valetudinis rationem habeas, & me ut ſoles ama. Dabam Lipſiæ d. XVIII. Octobr. 1747.

362.

## J. G. GMELIN.

Beneficiis tuis innutritus & tantum non ſatiatus hodie hora octava matutina huc incolumis perveni. Mindeni enim pernoctabamus, quod Caſſelis ſera nocte neminem in urbem intromitti fama percipiebamus. Sub meum huc adventum chartas meas perluſtrabam, nec epiſtolas Hamburgum atque Berolinum ſcriptas invenire licuit. Vix igitur dubito, quin Göttingæ reliquerim, de quo rogo, ut quamprimum litteras ad me dare libitum Tibi fuerit, certiorem me reddas. Conſiliarius aulicus, ad quem litteras dediſti, gazophylacium lubentiſſime & ſine mora monſtravit. Vix diverſorium ingreſſi ſumus, quod D. Huberus ad nos venit, ſuaque officia ſponte obtulit. Convenit nos poſtea in ædibus, ubi gazophylacium diſpoſitum eſt, & monſtravit theatrum anatomicum atque quædam ſceleta. Alia præparata ibi deſunt. Decreveramus mox poſt prandium proficiſci in illum locum, ex quo penus aquarum neſcio quo devehitur, ſed equos nullo modo comparare licuit. Contemplabimur itaque modulos, ſecundum quos ille locus exſtructus eſt, tum balneum marmoreum ingrediemur, lares denique Huberianos compellabimus,

mus, & collectis ſarcinis ingruente nocte iter ulterius proſequemur. Salvere jubeo Te, honoratiſſimam conjugem, lectiſſimam filiam totamque tuam domum. Idem mecum optat itineris ſocius, Günther. Vale. Dabam Caſſelis d. xx. Octobr. clↃ IↃCC XLVII.

363.

## J. G. GMELIN.

Nihil ſane adhuc fuit, quod reminiſcentiæ beneficiorum Tuorum, quæ larga manu in me contuliſti, obicem ponere potuiſſet, tanta illa fuere, quæ nec ſerior ætas delere poſſet. Utinam par pari referre liceret! Huberum ſecundum litteras, quas Caſſellis ad Te dedi, adii, ſed temporis brevitas non permiſit, ut vel minimam partem ejus præparatorum perluſtrare licuerit. Circa octavam enim horam p. m. ex urbe egreſſus ſum. Francoſurtum perveni d. XXII. Octobr. ſub ſeptimam horam p. m. Stutgardiam autem attigi d. XXV. ej. ſalvus & incolumis. Tubingam denique ſalutavi d. IV. Novembr. Jam hic vivo epulis quotidie vexatus & diſtractus, invitus licet. Sed hæc ad formam optimi mundi pertinere judicant amici, & ego judicium amicorum vix initiatus ſubvertere mihi non ſumo. Vale. Dabam Tubingæ d. XIII. Novembr. clↃ IↃCC XLVII.

364.

364.

## D. LUDWIG.

Horti Carlsruhani novam accepi editionem, a priore parum diverſam, niſi quod ſparſim genera Linnæi indicentur. Nonnullas plantas novas & rariores in eo reperi, ſed nil niſi ſemina inde expetenda ſunt, quas horti inſpector promiſit. Geſnerus Tuus opus botanicum ſub prelo habet, quantum illud? Gleditſchius nonnulla dedit & plura promiſit inſtante vere. Berolinenſes horti noſtris ditiores ſunt. Hiſtoriam Fungorum, novamque plantas diſponendi methodum edere promiſit. Hortulani de cultura plantarum exoticarum pauca præſtare poſſunt. Terræ mixtiones cognoſcunt, in qua tamen re non omnia poſita ſunt, aërem & aquam addere & demere inprimis tempore hyberno, maximam in conſervandis plantis curam exigit. Multa errando me docuit Waltherus, ſed fateor non omnia rite ſuccedere, ſed interdum plantas perire mea culpa. Vale, & me ut ſoles ama, & valetudinis rationem imprimis inter labores anatomicos habeas. Dabam Lipſiæ d. 1. Dec. 1747.

365.

## NICOLAUS ROSEN.

Literas Tuas, mihi gratiſſimas, perlegi, ſimulque Linnæo, quas ad illum miſiſti, tradidi. Nova

va item literaria accepi, ex quibus plurimas, easque egregias, diſſertationes medicas a vobis eſſe editas video. Excell. Wagnerus binos quoque mihi transmiſit faſciculos, in quorum poſtremo iconum anatomicarum faſciculus tertius, pars Phyſiologiæ Tuæ eruditiſſimæ, de Phrenitide optima diſſertatio, & alia docta continebantur. Quod honorificam adeo mei mentionem feceris in iconum anatom. ſplendido opere, id quidem gratiſſima mente agnoſco & ſemper agniturus ſum. Tuam famam licet ego adaugere, cum ſumma ſit, nequeam, diſcipuli tamen mei præter Te vix alium audient a me collaudari. Prelum reliquit Mineralogia D. D. Wallerii, quam, data prima occaſione, ad Te mittam, Tibi non ingratam, uti ſpero, nam cuncta quæ ad Regnum hoc pertinent, in claſſes, ordines, genera ſpeciesque non ſolum diſpeſcuit, verum ſingula etiam curate examinavit. Regnum ejus, quod adpellat, aqueum, brevi etiam prodibit. Linnæus in catalogo Horti academici Upſalienſis conſcribendo & materie medica edenda occupatus eſt; iſta, cum lucem viderint publicam, habebis. De Phyſiologia Tua mihi impenſe gratulor. Si eam per omnia intelligo, erit prælectionibus meis inſtar normæ. Miror profecto Te tot laboribus & ſcriptis tanta cura elaboratis ſufficere: Vellem ut ſalutis Tuæ rationem haberes, ſed volo etiam, ut, in ſtudio hocce decurrendo occupatus, omnes artis noſtræ partes, pro ea, qua cœpiſti, incredibili induſtria, felix abſolvas. Etenim vereor, ne aliquando, exemplo Rudbeckiorum, Morgagni & Douglaſſii hæc

hæc ſtudia relinquas, & totum Te aliis tradas. Id majorem in modum rogo, uberrimis tuis commentariis edas Boerhaavii libellum de methodo diſcendi medicinam, nam & utiliſſimus eſt hic labor, & Tibi perfacilis, qui non ſolum recte de auctoribus judicas, ſed etiam vaſtiſſima lectione dudúm inclaruiſti. Recenſionem Act. Societatis Reg. Stockholmenſis ad annum 1743. (in Bibliotheque raiſonnée) ſumma cum voluptate legi. Eandem quoque vidit Princeps noſtra Sereniſſima, Regiaque aula. Recitata enim eſt in conventu Societatis. Ut alia taceam, id effecit elogium, quod Dno. Brandt dediſti, ut Præſes Societatis per hoc trimeſtre ſit conſtitutus. Præter me nemo novit, Te recenſionis hujus eſſe autorem, neminique rem aperiam, niſi id tuo fiet juſſu. Videlicet, dum poſt aulæa deliteſcis, liberior Tibi erit cenſuræ locus. Contra hiſtoriam Regni Suiogothici, quam ad Te cum Dno. Rothman miſit auctor, amicus meus ſingularis, acriter inſurgunt antiquarii noſtri, utque ab ordinibus regni prohibeatur, contendunt, licet iidem ordines donum 6000. thalerorum illi ante triennium decreverint. Pergit vero ille in edendo tomo ſecundo. Fac, noſtri enim cauſſa omnia facere ſoles; fac inquam, ut D. Rothman, Te viam monſtrante, diurna nocturnaque opera in iis deſudet, quæ ſolertem, cum medicum, tum anatomicum conſtituunt atque ornant; felix eſt & velociſſimum ejus ingenium, ſed calcaribus ſemper opus habet, nec diu uni rei adhæret. Aſſiduus magis eſt Dn. Elf. Doleo Tecum vices D. Noren,

Noren, ſed nulla mihi ſuppetit occaſio, qua illi ſuppetias feram. Ignoſcas longiori literarum mearum intercapedini, quippe munere nunc tandem Rectoratus Academici defunctus, in poſterum tarditatem majori compenſabo diligentia. Unica mea filia, duodecim annorum, Tœnia laborat. Ejus undecim ulnas excrevit, quo caſu id factum ſit, narrabit Dn. Rothman, qui præſens erat, ego enim non aderam. Ab illo tempore fruſtra exhibui Eſſent. catholicam purgantem Rothii, pulv. radic. Jalappæ, Electuarium de ſtanno Edinburgenſium. Nec particulam ejus expellere potui, licet uno die propinaverim tres pulveres, quorum quivis continebat calomelanos gr. v. & G. guttæ gr. VII. Satis ceteroquin bene valet, licet doleat interdum ventriculus, regio vero inprimis umbilici, quæ quoque ſub paroxyſmo tumet. Tuam operam tuumque conſilium vehementer mihi expeto. Credo uxórem meam eodem laborare malo. Jam XX. numerare poſſum ægrotos, qui triſti hoc morbo affliguntur, & miſere interdum excruciantur. Integram jam una cum capite poſſideo tæniam, quam, pro ea qua eſt humanitate, ſumma cura delineavit Dn. Carol. de Geer. Partem tæniæ expulſam vivere nuper vidi. Tepidæ ſc. immerſa miros edidit motus, qui affuſa frigida ſtatim ceſſabant, tepida vero addita illico renovabantur. Vale, vir ſumme, & me ſemper ama. Dec. 1747.

366.

366.

## J. G. GMELIN.

Utramque tuam epiſtolam & ſemina & tres faſciculos cum novis litteris, & catalogum ſeminum rite accepi. Gaudeo, Te Göttingam nondum eſſe relicturum, & ſpem ſortis melioris tandem obtinuiſſe, & incitamentis non carere, ad majora in dies præſtanda. Lætor etiam inprimis de membrana iridem claudente, repetitis obſervationibus & præparationibus confirmata. Si quæ Tua prodeunt nova, cura quæſo, ut quantocyus eorum fiam compos. In horto tuo edendo feſtive & humaniter mecum agis. Nitſchius homo garrulus eſt & malæ concoctionis. Vix ſpero nova aut meliora illum de ſcorbuto ſcripſiſſe, quam ante habuimus. Litteras ad Schreiberum curabo. Nos Tubingenſes aliquantiſper, ſed pro more, otioſi ſumus. Ego Floram Sibiricam præ manibus habeo, ut ſequentes tomi brevi prodire poſſint. Rhapontici tui 3. & Cyani 3. plantas ſiccas habere valde optarem: habeo ego plantam Ingricam, quæ ſquamis calicis mire ludit, interdum totæ rhapontici ſquamæ ſunt, interdum cyani totæ, inferiores nonnunquam cyani, ſuperiores rhapontici. Et certe ſcio eſſe varietates. Folia etiam multum variant. Eadem planta etiam Stutgardiæ naſcitur, & neſcio, cui Tuarum adſcribam.

Dabam Tubingæ, d. 2. Jan. cIↃ IↃCC XLVIII.



367.

367.

# J. CHRISTOPH. RAMSPECK.

Poſtquam, uti noſti, Vir Excellentiſſime, Muſis Göttingenſibus valedixiſſem, Argentinam petii, ibique per tres circiter ſeptimanas moram nectens eruditos ejus Univerſitatis viros inviſi; præſertim vero Clariſſ. Gravelium, ad quem literis commendaditiis a fautore quodam Baſileenſi inſtructus acceſſi, cujus ſane Viri ſingularem in me humanitatem ſatis laudare nequeo, nec non experientiſſimi Behrii, qui me in numerum ſuorum Commenſalium atque amicorum recipere haud dedignatus eſt. Argentorato tandem publico curſu Lutetiam iter faciens per Dei gratiam Idubus Decembris anni præteriti ſalvus ac ſoſpes urbem hanc adveni, literasque commendatitias, quibus me pro tuo ſingulari in me affectu iter Pariſinum ingreſſum ad Celeberr. Winslòum inſtruxiſti, mox poſt adventum meum ipſi exhibui, cumque laudatus hicce Vir omnia benevolentiæ ac favoris officia abunde in me conferat, commendationi tuæ, qua præcinctus ad eum acceſſi, ſoli me ea debere nullum dubium eſt; a Te enim, Vir Celeberrime, quem Winslous inſignis eruditionis cauſa præ cæteris magni facit, ipſi commendari, cur commendatio non exoptatum effectum præſtaret? quem etiam re ipſa jam ſenſi, quippe jam ter me inviſere, meque jam ſemel convivio excipere dignatus eſt; Integra interim adhuc valetudine Vir laudatus licet octogenarius excepta βαρυηκοια

ευηκοια fruitur, Teque fautor Colendiſſime unicum tanquam anatomes in Germania decus ac lumen bene adhuc valere valdopere lætatur, e contrario vero obitum beati Waltheri atque Platneri, Virorum de quibus bene æſtimabat, haud parum dolet. Faſciculos tuos anatomicos, quos pro tua erga me munificentia mihi dono dediſti, ipſi cum Programmatibus contra Hambergerum mutuo dedi, quæ eruditione atque fama tua digna ſcripta non ſine animi oblectamento pervolviſſe mihi teſtatus eſt. Literas tuas, quas jam aliquoties ad ipſum dediſti, tam a D. de Hugo, quam a Dn. Oswald accepit, lubensque confitetur, merito ſeſe a Te, Vir Excellentiſſime, negligentiæ in ſcriptione literarum reſponſoriarum inſimulari poſſe, ſperans tamen Te pro tua æquitate eam in malam haud interpretaturum partem; mihi equidem pollicitus eſt, propediem ſeſe ad Te ſcripturum, literasque ut meis includam mihi traditurum, quo factum, ut deſiderio atque officio meo literas ad Te dandi non tam cito, uti optaſſem atque debuiſſem, ſatisfecerim; quum vero vir laudatus promiſſis ſuis nondum ſteterit, nolui literas meas ad Te, Vir Celeberrime, diutius morari, Winslovianas ſtatim ac mihi ipſas tradet Tibi miſſurus: multum inter alia mihi colloquebatur de tractatu ſuo *de monſtris*, qui in ultimo Tomo Hiſtoriæ Acad. Reg. Scient. continetur, mihique dixit, in Tomo proxime edendo novum circa eandem materiam ab ipſo proditurum. Quod attinet ad literas a Te ad Cl. B. . . exaratas, quoniam jam per ſemiannum affectu melancholico

lico-maniaco laborat, illas ipſi tanquam mentis haud compoti nondum exhibere potui, interim eas ſervo juſſu tuo, quomodo de iis ordinandum exſpectans. Cauſam προηγȣμένην hujus affectus audivi originem trahere ex inimicitia, quæ ipſum inter atque Ferreinium jam a quodam tempore exiſtit, quumque hic B. . . multum tædii ac injuriæ intulerit, facile in ejus organo ſenſorio mutatio quædam contingere potuit. Nunc etiam officii ratio exigit, ut Tibi, Vir Excellentiſſime, exponam, qua ratione ſtudiorum meorum, in quæ tua ſub manuductione incubuiſſe grata ac dulci memoria recordor, telam texere pergam. Fateor ante omnia, intermiſſionis itineris in Belgium, quod uti noſti, ſemper in animo habui, me haud parum pigere, valdopereque optare, ut conſilia tua ad Academiam Leidenſem proficiſcendi ſecutus fuiſſem, atque fere pudere, quod vano metu perterritus conſilium mutaverim hucque contenderim, quippe neque in anatomicis neque in practicis, neque in aliis Medicinæ partibus Galli exſpectationi meæ ſatisfaciunt, meritoque, ſi loqui fas eſt, invidendum fortunæ eorum, quibus olim Winsloi temporibus Anatomiæ operam dare ſub laudati viri manuductione contigit. Multa quidem cadavera a multis hic ſecantur, atque a variis varii curſus ſic dicti Anatomici inſtituuntur, quorum plurimis jam interfui, verum cedro dignis demonſtrationibus Hallerianis aſſuetus inde parum oblectationis capio, quippe ſpinoſa ardua quæque aliis Anatomicis crucem figunt,

gunt, ſicco ut plurimum pede tranſeunt, de notis vero ac levidenſibus multa inutilia blaterant, deinde uſum phyſiologicum ſubjungentes ſtomachum mihi ſæpe movent. Animus mihi quidem ab initio erat curſui Anatomico Dni. Ferrein intereſſe, verum, quum aliquoties tanquam hoſpes ipſum demonſtrantem audiverim, conſilium mutavi, quippe honorarium 120. librarum Gallic. ab Auditoribus exigit, neque ipſe partes demonſtrandas diſſecat, verum omnia Chirurgo cuidam Proſectori ſuo committit. Ego nunc apud ſatis eruditum virum nomine Disdier *Maître és Arts & Chirurgien Juré*, qui jam aliquot tractatus tam Anatomicos, quam Chirurgicos publici juris fecit, anatomicis laboribus atque diſſectionibus operam do, qui mihi etiam curſum operationum chirurgicarum atque faſciarum (des bandages) prælegit. Lectionibus ac demonſtrationibus anatomicis præterito menſe Januario in Horto Regio partim a Cel. Winslow, partim a Duverneyo Chirurgo ejus adjuncto, publice habitis ſedulo interfui, in quibus Winslous inter alia novæ tuæ Omenti deſcriptionis mentionem fecit, tuasque laudes ac elogia, Vir Excellentiſſime, hac occaſione publice prædicavit; Duverneyus ibidem aſſeruit, primum ſe obſervaſſe Muſculum Pſoam parvum vaſis cruralibus e pelvi egredientibus ſeſe circumvolvere, eaque quaſi vagina muſculoſa munire. Idem nepos Duverneyi, qui de auditu ſcripſit, tabulas magnas myologicas colore rubro tinctas in publicum edit, quas vero Cl. Winslous, uti mihi teſtatus eſt, haud magni facit.

 Alium

Alium curſum anatomicum publicum in Collegio St. Come Dn. Verdier Chirurgus nunc prælegit partesque demonſtrat, quem mox Garengeotus excipiet. In ſchola porro Medicorum alium curſum anatomicum Cl. Winslous mox auſpiciabitur, mihique promiſit, ſeſe ipſum cadaver diſſecturum, ſuosque labores maxime circa Neurologiam verſaturos. Ex cæteris lectionibus, quæ in dicta ſchola a Profeſſoribus publice habentur, parum ſolatii atque emolumenti percepi, forſan vero culpa mea eſt. Xenodochia *Hôtel Dieu* atque *la Charité*, etiam frequento morborum externorum operationumque chirurgicarum, non vero internorum cauſa, quoniam, uti vir Celeberrimus ipſe novit, praxis medica Gallorum potius empirica quam rationalis vocanda eſt. Curſum phyſicum experimentalem proximo menſe ſpero me apud Cl. Nolletum incepturum. Quod ad rem herbariam attinet, nil adhuc in Horto Regio obſervare potui, tempore quippe brumali ipſi minus favente, propediem tamen cum amico D. Bernhard de Juſſieu inviſam. Neque Chemia hyeme docetur, verum uſque ad proximam æſtatem plane ceſſat. Excellentiſſ. Stæhelinus noſter Parenti meo ſignificavit, ut a Te, Vir Celeberrime, ſuo nomine veniam peterem, quod minus ſedulus ſit in ſcribendo, utpote valetudine adverſa jam per quoddam tempus impeditus, eidemque promiſit, mihi poſt reditum in patriam ſe omnia communicaturum tam Anatomica, quam Botanica, Phyſica ac Practica, parum vero ſpei virum laudatum e morbo recreatum iri affulgere viribus

viribus quippe valdopere fractum Parens mihi ſcripſit. In conſeſſum Academiæ Reg. Scient. Dn. Clairaut, cui a Cel. Dan. Bernoullio commendatus ſum, me nuper introduxit. Quisnam honorem membri peregrini loco beati Bernoullii noſtri in Academia hacce adipiſcetur, nondum decretum eſt; ſi conjecturæ valent, Cramerus Mathematicus Genevenſis Academiæ Correſpondens, qui tanquam ſocius itineris cum Principe hæreditario Gothano nunc hic commoratur, palmam præripiet, omnibusque anteponetur. Dolerem ſane Cel. Dan. Bernoullium noſtrum, qui hoc modo magnam pateretur injuriam. Novellas literarias nullas nunc Tibi, Vir Excellentiſſime, communicare queo, præter quod haud ita pridem liber novus hic prodiit ſub titulo *Obſervations & prédictions des Criſes par le Pouls* Hiſpanice primo ac Auctore Hiſpano conſcriptus, in Anglicam linguam, inde tandem in Gallicam verſus lucem aſpexit; multas obſervationes continet, quibus Auctor probare contendit, per pulſum quamcunque inſtantem criſin ſive per hæmorrhagiam, ſive per ſudorem, aquam &c. prædici poſſe. Politicas quod attinet, fama eſt pacem inter Regem Chriſtianiſſimum Fœderatosque Pragmaticos mox conciliatum iri. Dabam Lutetiæ Pariſiorum, quinto Iduum Februar. 1748.

368.

## J. F. SCHREIBER.

Lecto tuo Compendio forte Tibi communicabo meum, quod ex Phyſiologia, diu jam in charta conjecta concinnabo. Quod Tr. de Peſte iterato promiſeris, quoad nitidiſſime, imprimendum: id lætus legi: neque, niſi hac ultima vice, illud argumentum retractabo. Curabo, ut ad Te hac æſtate hoc MStum certo perveniat. Secunda experimenta contra Hambergerum ex dono Gmelini poſſideo. Quod Ill. Sanchés honeſta dimiſſione impetrata nos dereliquerit, id diu jam ſcies: quantum novi, nunc moratur Pariſiis. Certiſſimum propoſitum fuit, Gottingam adire: ſed Berolino ſcripſit, ſe recta via Lutetias petiturum. Cl. Abr. Kaauw Boerhaave ſucceſſit in locum B. Weitbrecht, Anatomes & Phyſiologiæ Profeſſor, annuo 1000. Rublonum ſtipendio; audivi, ipſum nunc in ſectione monſtri humani, quod tamen non vidi, occupari. Nunc ad vos tendit amici mei, D. Directoris Poſtarum Petropolitani, Aſch *a*), filius, quo de jam diu ſcripſi, & Gmelinus pluribus haud dubie Tecum egit. Rogavit Parens ejus, ut ipſum tuæ doctrinæ, ac providentiæ, iterum maxumeque commendem. Poſtquam D. Sanchés abiit, verſor in ignorantia omnium ad rem litterariam ſpectantium. Ille enim ſolitus erat, mecum fideliter communicare, quæ ex Anglia, Belgio, & Gallia recipiebat. Vale & fave. D. 13. Febr. 1748. Petropoli.

369.

*a*) Nunc Exercituum Ruſſicorum Medicus primarius.

369.

## J. G. GMELIN.

Accepi Floram Ceylanicam, & plantas quasdam tuo beneficio miſſas & gratias ago ſummas pro liberalitate tua. Faſciculum plantarum paratum habeo, qui votis tuis non inferior erit. Curabo, ut ille brevi ad Te perferatur. Si Tu pariter olim quibusdam carere poteris, ne obliviſcaris quæſo amici tui. Conferva fontana nodoſa ſpermatis ranarum inſtar lubrica & mollis, Botrytis vulgaris cinerea, Riccia, Salvinia, Lenticula quadrifolia, Jungermanniæ, Ruppia, Gramen ſpongiola villoſa ad foliorum nodos Gœtt. Polygonifolia Dill. Potamogeton gramineum latifolium, Geum rotundifolium majus, Sparganium aquis innatans, Salicaria hyſſopi folio latiore præ omnibus aliis jam arriderent. Sed nullas contemnam, omnes magni habebo, modo a Te proficiſcantur. Si Salicariæ jam ſcriptæ ſemina recentia habes, rogo ut etiam granula quædam in litteris mittas. Ne rurſus conqueraris de inopia novorum Tubingenſium, en Tibi caſum medicum!

Fœmina viginti trium annorum ſana & proſpera valetudine fruens, ante annum viro nupta, peperit filium non ſine dolore quidem, nec tamen nimis obſtinate, ſcilicet prodiit infans vivus, & per aliquot hebdomadas vita fruitus eſt. Perendie aquam loturæ carnis ſimilem, per quam adverſum

verſum odorem ſpirantem ex utero excernit. Poſt effluxum viginti quatuor horarum a partu ſpatium retentionem urinæ experitur, quæ tamen brevi reſoluta eſt. Tum ſub partum tum puerperii tempore copioſiſſimæ contigerunt uteri hæmorrhagiæ, & lochia perpetuo erant fœtidiſſima, unde viribus ſæpe adeo debilitata erat, ut de ejus vita deſperarent multi. Poſt elapſas tamen decem a partu hebdomadas & vires aderant, & in priſtinam ſanitatem rediiſſe videbatur. A collectione & repulſione lactis nullum patiebatur incommodum. Catamenia nec poſt decem a partu hebdomades, nec vel poſtea aliquot adhuc menſibus præterlapſis fluebant, licet lactatione infantis nullum illis impedimentum injiceretur. Tandem aliquando equo cum magno corporis motu vecta, ad alvum ſolvendum laceſſitur, & ſellæ quidem inſidens magnosque niſus pro more ſuo excernens, ſpeciem ſentit ſpaſmi ab inteſtino recto ad genitalia interna ſubito extenſi, ſimulque ſenſationem habet veluti globi in vaginam uteri ruentis. Sub ipſo autem hocce lapſus ſenſu aliquot unciæ ſanguinis puriſſimi excernebantur, id quod poſtea pluries, quando alvum ſolvebat, contigit. Solicita tandem femina obſtetrici genitalia exploranda concedit, quæ prolapſum uteri adeſſe dicit, quem annulis applicitis juvare vult, fruſtraneo quidem conatu, quia prominentia paulatim annulum ingreſſa eſt, ut tandem eo multum emineret, & eminenti illa parte lapideam fere duritiem nacta eſſe videretur. Hæmorrhagiæ etiam redibant inſignes, & quando inducias egerunt,

egerunt, fluor albus aderat. Hæmorrhagiarum ea erat natura, ut nulla arte compeſci poſſent; nec tamen ſolus ſanguis purus excernebatur, ſed & coagulatus, qui cultro extenſus jam membranaceam fibroſamque texturam induiſſe viſus eſt. Sæpe hæmorrhagiam ſequebatur fluxus aquæ loturæ carnium ſimilis copioſiſſimus, cum ſumma virium jactura, deliquiis inſignibus, tinnitu aurium, cephalalgiis, cervicis tenſionibus ſpaſmodicis, pulſibus cordis intenſiſſimis, ſpaſmis levibus ſenſuque tractionis per integrum corpus. Si ſpaſmi in *ακμη* erant, tumor ſive globus ſupraſcriptus magis externa verſus prolapſus eſt, tunc in umbilico ſenſus ejusmodi erat, quaſi quis cum maximo impetu illum evellere tentaret. Et hæmorrhagiæ quidem illæ aquarumque fluxus nulli tempori adſtringebantur, ſed poſt duas, tres aut quatuor hebdomadas, raro ſerius, abſque ullo ordine redibant. Iis ceſſantibus appetentia ciborum optima erat, & bene per aliquot dies valere viſa eſt, præterquam quo alvum perpetuo ſegnem experiretur; impedimentum intra vaginam uteri manu Chirurgi, artis ſuæ gnari, exploratur. Is corpus tangit & vidit molle, ex orificio interno egrediens, anteriori parte pyrum forma & magnitudine exacte referens, poſterius rurſus aliquanto coarctatum ad pollicis uſque craſſitiem. Orificium iſtud adeo erat relaxatum, ut aliquot digitos inter illud & tumorem haud difficulter circumagere facultas ipſi eſſet. Pars in vaginam prominens nullo modo reponi poterat, ſed truſa ſiniſtro vaginæ parieti ſe applicabat & ſedem

ſedem quaſi figebat. Tumor tamen non eadem ſemper ſe magnitudine prodit, minuitur & increſcit, mollis eſt & durus, nec orificium internum ſemper relegatum manet, ſed ſæpe etiam conſtrictum eſt. Uterum non eſſe prolapſum ſatis jam evictum eſt. Nam ſponte ſe retrahit tumor ſæpiſſime in uterum, ut nihil plane ejus intra vaginam reliquum ſit, interdum ſed raro ita elabitur, ut paulo extra vaginam promineat. Ipſa ægrota ejus tumoris vel prorſus retracti intra uterum, ſenſum habet nonnunquam prorſus flaccidi & quaſi depleti, alio tempore tumentis admodum. Melius habuit ab applicatione ſacculorum, ſpeciebus adſtringentibus repletorum, vini & aquæ calcis vivæ partibus æqualibus incoctorum, & peſſi forma applicatorum, ut & a ſuffitibus adſtringentibus per metrenchytam in vaginam directis; etiam a ſpongiis decocto & ſpeciebus adſtringentibus, ſolius vini ope facto, imbutis & vaginæ intruſis. Alvus perpetuo ſegnis laxantibus ſæpe tentabatur. Et ſic quidem ſatis bene ſe habebat, quin & extra lectum ambulare totas dies commode poterat. Fluor albus ſiſti non poterat, & facies, uti a primo morbi impetu, plurimam partem erat pallida, non ſine flavedine, quæ præcipue in extremitatibus ſuperioribus diffuſa videbatur. Tandem doloribus dorſi & abdominis rurſus vexatur, quo preſſo pede inſignis uteri hæmorrhagia ſequitur, aliquot dies durans & vires maxime infringens, vomitu tandem, qualis & ante in ſimili aliquoties caſu contigit, finito, poſt quem ſcil. melius habuit. Vix hæ-

mor-

morrhagiæ aliquot hebdomadas inducias egerunt, novo cum impetu redeuntes, & talis fuit ſcena per duos fere annos. Sed per integrum fere annum poſt hæmorrhagiam loco fluoris albi ichor exibat obſcure fuſcens, fœtidiſſimus, ſubinde etiam materia purulenta. Sub idem tempus tumor aut nullus aut valde minusus erat. Ultmo die 1746. ſubito hora decima a. m. frigore concutiente duarum horarum vexatur, comitata copioſa excretione aquarum fuſcarum non valde fœtentium, unde vires ita infringebantur, ut lecto per aliquot dies affigeretur. Ex hoc tempore menſtrua quales fere adeo ſecundum ordinem licet aliquanto copioſa procedebant, ut ſpe magna alerent ægram reconvaleſcentia inſtantis. Subinde quidem aquarum fuſcarum aliquis fluxus erat, ſine ullo tamen incommodo. Tumor intra vaginam increſcit & minuitur, non tamen ad eam magnitudinem redit, uti fuit. Sub initium Maji 1747. inſtante menſtruatione mane aliquid cruoris rurſus effluebat, ſub veſperam autem ejusdem diei pomis frigidis, recens e cella elatis cutem detrahere excipiens, ſubito ſenſu magnæ per totum corpus mutationis corripitur, quam enormis uteri hæmorrhagia ſecuta eſt, & hanc excipiebant deliquia graviſſima, cum aſthmate ſuffocationem minante. Hæmorrhagia & deliquia alternatim redibant ſæpe, & quidem integra minuta plerumque ſingula eorum durabant. Cum cruore limpido magna etiam coagulati fruſta exibant. Summus inſtantis mortis metus erat, deliquia etiam poſt ſeptem horarum ſpatium effluxum ceſſabant

& hæ-

& hæmorrhagia remittebat, ut poſt duas bebdomadas lecto ſurgere, & in ædibus circumambulare poſſet. Sub finem ejus menſis denuo hæmorrhagia uteri tentatur, ſed levi, non tamen ſine cruore coagulato, fruſtis minoribus prodeunte, & poſt diei ſpatium præterlapſum ceſſante. Hæmorrhagiæ poſthac ſæpe redierunt, non raro copioſæ, non tamen vires refringentes, nec lecto affigentes, moderata cruoris e vena brachii miſſione plerumque valde moderatæ. Ichores etiam aquoſi ſæpe effluebant, modice adſtringentibus & alvum leviter ſubducentibus facile cedentes. Tumor mox imminutus, mox valde increſcens, ſub ipſum etiam hæmorrhagiarum tempus, imminutus tum demum, quando ſuperveniens brevi poſt alia hæmorrhagia cruoris majorem vim effudit. Graviſſima erat ſecundo Octobris, brevi tamen compeſcebatur. Quod vero mirum eſt, tot paſſa hæmorrhagias intra unius aut aliquot dierum ſpatium ita viribus rurſus refocillata erat, ut & corpore & animo alacris eſſet. Et ſic annus tranſiit ſatis placide fere ad finem uſque, dum inopinato rurſus hæmorrhagiam experitur graviſſimam, enormibus deliquiis ſtipatam, quales etiam ex illo tempore ſæpe redierunt, cum hac a prioribus differentia, quod & animo & viribus valde dejecta ſit, & perpetuo fere lecto affigatur, vix cum aliqua remiſſione. Symptomata etiam quæ prius hæmorrhagias comitabantur, jam omnia graviora ſunt, deliquiis exceptis, quæ ſatis tolerabilia. Dolores capitis, palpitationes cordis, angores animi, nauſeæ matutinæ, dolores vagi arthritici, phlo-

phlogoſes vagæ jam crebro invadunt, aut omnia ſimul, aut quædam ex his. Maxime incommodum ægrotæ hoc eſt ſymptoma, quando veluti motum quendam in toto abdomine ſentit, & tenſiones atque vellicationes umbilici, quæ tamen perſæpe contingunt. Deinde maxime ſenſibilis ejus eſt natura ex illo tempore, modo conclave per minutum unum apertum ſit, friget toto corpore, genua autem, licet vel maxime calida imponantur corpori tegmina, licet etiam totum reliquum corpus calidum ſit, nunquam incaleſcunt. Oppreſſiones pectoris frequentiores ſunt, & corpus ubique dolet. Vix quatuor dies effluerunt, quod nauſeam exporta eſt tota die, ut prandere vix potuerit, cum in illum uſque diem vix unquam de appetitu aut imminuto aut depravato querendi cauſam haberet. Quin cum ipſo illo die cœnæ accumberet, cujus in gratiam e lecto prorepſerat, mox rigore febrili per duas horas durante corripitur, quem calor non valde vexanexcepit. Sed nox iſta adeo erat inquieta, occaſione motuum ſupra ſcriptorum, quos in abdomine ſe ſentire credebat & tenſionum umbilicalium, & anguſtiarum pectoris & pulſationum tractionumque in capite ſenſum, & ſenſum exquiſitæ imbecillitatis, ut ipſa ſe noctem non ſupervicturam metueret, & metuerent etiam adſtantes. Laborabat jam per aliquot dies hæmorrhagia, quæ tempore motuum febrilium & ſymptomatum hyſtericorum fere ſupprimebatur, rediens altero die, ex quo rurſus melius habet. Tumoris etiam hoc anno modus ſemper idem eſt,

ut mox minuatur, mox increſcat. Aliquam tamen mutationem ſubiiſſe videtur. Chirurgus ſupra nominatus ſub medium Januarii denuo illum explorans intra orificium internum uteri affigi deprehendit, non quidem continuo ſed interrupto tractu, ita ut parvum ſpatium eſſet liberum, quod exciperet aliud firmiter utero accretum, hæcque exciperet denuo liberum, & ſic porro, in diſtantia duorum circiter pollicum. Tumor præterea valde erat ſenſibilis ad tactum, & ſolus tactus dolorem creabat ægræ, quem vix ferre poterat, quemque dolorificæ ſequebantur umbilici tractiones.

Temperies eſt cholerico-ſanguinea, habitus corporis ſatis robuſtus, paſſiones animi frequentes, ſed non violentæ. Cœlibatu fruens tantum non ſemper erat ſana, ultimis cœlibatus annis vitæ generi valde inquieto, poſtea magis ſedentario addicta. Maritus ante initum 2. matrimonium, quod ex voto utrique parti contigit, ſubinde ictericus erat, poſt initum matrimonium præter flatulentias hypochondriacas nullum valetudinis damnum notabile expertus eſt. Suſpicio etiam fuit, quæ apud multos adhuc viget, nimis violenter obſtetricem cum parturiente egiſſe, & forte lacerationem alicubi feciſſe. Eſt vero ſola ſuſpicio, eventu infortunato, nec ulla alia re fundata. Felix enim, & ad manuarias operationes vulgo aptiſſima cenſetur.

Reme-

Remedia ab initio morbi tentata erant ex claſſe confortantium, analepticorum, tonicorum, balſamicorum, temperantium, gelatinoſorum, leniter adſtringentium. Anno quadrageſimo quinto thermis ferinis noſtris uſa eſt, quas optime quidem ferre poterat, neque vero exinde vel parum levaminis in morbo ſenſit. Poſtea curam quandam chalybeatam, Medici ejusdem conſilio, in uſum vocavit; ex ea non pejus habuit, in morbo tamen præcipuo tollendo aut imminuendo nihil profecit. Venæ ſectio ſæpe adminiſtrata eſt, plerumque cum euphoria; ſuppoſitoria applicata ſunt, laxantia intus ſumpta ſæpe, quia uti per totam vitam alvo erat ſegni, ita præcipue etiam durante toto hoc morbo, id quod hæmorrhagia præſente aut imminente maximo damno fuit, quando conatibus ad alvum excernendam adhibitis proruptionem cruoris aut nimium maturavit, aut nimis impetuoſam reddidit. Nec lenibus remediis ſemper obediebat alvus, ſæpe fortiora in uſum vocanda erant, Pruna damaſcena nonnunquam ſola ſufficiebant, raro tamen. Diæta ſemper fuit ſatis laudabilis, niſi quod propter appetitum valde bonum in copia nonnunquam peccaret. Remediis internis nihil unquam effectum eſt, niſi quod ſymptomata eorum uſu mitigarentur.

Cum tamen malum increſcere, quotidiana ſymptomata palam facerent, res tandem menſe Majo 1747 inter duos Medicos in deliberationem venit & judicatam eſt 1) opus eſſe in genere,

ut cacochymia humorum nimis acrium corrigatur diluentibus, obtundentibus. Serum enim ſanguinis e vena emiſſi guſtu perquam ſalſum & acre deprehenſum eſt: 2) ut in ſpecie cacochymia humorum in utero, maxime circa uterum evacuetur: 3) ut omnes humores temperentur: 4) ut univerſum vaſorum ſyſtema, inprimis uterinorum, tonicis, martialibus, roboretur: 5) ut alvus perpetuo ſervetur aperta: 6) ut ſanguis in utero ſubinde ſtagnans diſſolvatur & tumor aut exſiccantibus aut cathæriticis aboleatur. Ad ſatisfaciendum quinque prioribus indicationibus I. per totum menſem ſero lactis caprini, chærefolio, fumariæ & millefolio incocto utatur, hac ratione ut primis tribus diebus ſex ejus uncias, reliquo tempore quovis mane duodecim uncias capiat. Elixirio ex tinct. Mart. cydon. Elixir. aperit. & Elixir. balſam. temper. unam horam ante prandium quotidie, & in plures menſes utatur. Pro potu ordinario ſit lene decoctum ex radicibus ſanguinem purificantibus & edulcorantibus cum cornu cervi paſſul. min. cort. citr. rec. crem. tartari caff. lign. mart. ſolub. Pro ſexta indicatione loco peſſorum mane & veſperi per octo continuos dies ſacculi applicentur herbis uterinis & aliquantulo corticis granatorum farcti & ſucco rad. bryon. & triplo aq. calc. viv. incocti, ne autem cruor ſtagnans adſtrictioni & roborationi vaſorum diſtentorum officiat, ante peſſorum applicationem quotidie bis ad tres uncias mixti ex ſucc. bryon. & aq. calc. viv. liquoris injiciantur. Poſt hebdomadis ſpatium efflu-

effluxum remotis ſacculis injectio fiat ex aqua phagædenica, quæ fit ex aq. calc. libr. j. & merc. ſubl. gr. xv. Circa menſtruam periodum ab omnibus emmenagogis & vel leniter exæſtuantibus, diu vino, aut infuſo theæ calido abſtineat, & atorgaſmum menſtruæ periodi præcavendum quinque aut ſex diebus, antequam ingruat, moderata v. ſ. in brachio adminiſtretur. Pridie, quam ægrota curæ initium faciet, xv. pil. ſtahlianas deglutiat, & quovis altero die earum uſum continuet, niſi forte hæmorrhagia aut menſtruatio contra indicet: præterea diæta præſcripta eſt tenuis & uſui remediorum conveniens.

Hoc conſilium d. xvii. Jun. ſuperioris anni effectui dare coeptum eſt, ſecundum rationem præſcriptam, niſi quod ad xxvii, uſque ejus menſis ex male intellecto conſilii ſenſu tam aqua phagædenica quam mixtura aq. calc. & ſucc. bryoniæ alternatim injicerentur. Ægra ab uſu pilularum flatulentias oriri putat, unde noctem inquietam tranſigat, alvum nunquam eſſe apertam niſi illo die, quo pilulas deglutiat, niſum tumoris ſub uſum pilularum exteriora verſus ſibi videri majorem, & tumorem illo tempore increſcere, cæruleſcentem colorem lapideamque duritiem induere. Flatulentiæ illæ lacti medicato a Medico adſcriptæ ſunt, hinc lac cum juſculo medicato commutare decretum eſt. Peſſi a primo Julii non amplius applicentur, nec jam aliæ injectiones fiant, niſi cum aqua phagædenica. Durante uſu injectionum ichor quidam

limpidus copioſus non fœtens exit, fibræque & lacertuli ſecedunt, quos ægra a tumore ſolutos eſſe credit. Quod ſi per impedimenta quædam domeſtica aut propter inſtantia catamenia injectiones omittit, tumor brevi valde increſcit, uſu injectionum brevi minuendus. Itaque magna fiducia in injectionibus iſtis collocatur, quæ propterea ad vigeſimum uſque Octobris diligenter continuatæ ſunt, cum ſubito & inopinato omnia ſalivationis inſtantis ſymptomata exorirentur, id quod cum Medicus mercurii particulis ex aqua phagædenica intra vaſa reſorptis adſcriberet, mox uſum illius aquæ interdixit, & temperantia, demulcentia, leniter laxantia, ut & gargariſmata adhibuit, ut motus ſalivationis compeſceret, quæ tamen ſatis larga procedebat; qua durante alvi conſtipatio multum laborem faceſſit, quippe nec pilulis balſamicis levanda. Tandem cum ſalivatio feliciter præteriiſſet, ægra in eum ſtatum rediit, in quo jam per totum ſuum morbum verſabatur. Tumor increſcit & decreſcit, hæmorrhagiæ copioſiſſimæ ſunt, raro fœtentes, ichor e fuſco rubens ſæpe effluit, flatulentiis & motibus in abdomine variis ſpasmodicis, inprimis umbilici tractionibus, multum ægra eſt obnoxia, anxietates præcordiorum, palpitationes cordis, cervicis ſpaſmi, capitis dolores & vellicationes vix per unum & alterum diem remittunt. Laſſitudo ſumma eſt & magna debilitas præcipue extra lectum, animus aliquando hilaris, ſæpe ſumme conturbatus.

Fuit

Fuit Medicus, qui ex incremento & decremento tumoris & ex copioſis hæmorrhagiis varicem, & quia aliquando materia purulenta cum cruore exiit, ſæpe ſuppurantem, credere voluit. Sed tumor ſæpe tactui non cedit, & lapidis inſtar durus eſt. Sæpe autem ſub ipſam hæmorrhagiam incrementa capit. Quod ad primam attinet inſtantiam, quæritur, an ex ſolo cruore coagulato tumor tam durus evadere poſſit? Quod ad ſecundam, jam ſupra monui, id ſi fit, ſemper novam hæmorrhagiam ſubſequi, & tunc tumorem depleri. Idem ille Medicus putavit, annon ligatura tumoris in ipſa radice medelam afferre poſſet. Sed obſtat baſis tumoris latiſſima, quam explorando noviſſime expertus eſt Chirurgus. An injectiones cum aqua phagædenica de novo incipiendæ ſunt?

Non ſane hæc ad fallendum tempus ſcripſi, quod mihi eſt pretioſiſſimum. Nec vel tibi Vir optime, tempus, quod tibi adhuc pretioſius eſt, & quod impendis in incrementum ſcientiarum & in ſalutem publicam, ſuffurari admodum vellem. Conſanguinea eſt, cujus morbum expoſui, cui optarem ut medela afferri poſſet. Haud difficulter conjicere potes, non diu eſſe, quod & ego triſtis hujus ſcenæ ſpectator ſim. Confero etiam mea quæcunque, bene gnarus, nihil me adhuc propoſuiſſe, quod tollendo morbo inſervire poſſet. Mulcemus, mitigamus ſymptomata, urgentibus, quoad fieri poteſt, ſuccurrimus, reliqua in tenebris obſcuriſſimis reptamus. Tu felici ſi-

dere nate qui uteri penetralia per integros annos ſcrutatus es, quem nec vel minima ejus venula aut nervulus latet, age quæſo, ſtringe vel per unicam horulam mentem in hunc caſum, vide an theoriam mali detegere poſſis, nec nobis cela, qua ratione tu velles, ut curam aggrediremur. Gratias habebimus ſummas, easque ex toto animo.

Plantas ſiccas, quas hisce diebus Francofurtum mittam, rogo ut cum fructu aliquo meo perluſtres, chenopodia præcipue & atriplices, tithymalos, artemiſias, abſynthia, ne fugitivis perluſtres oculis, & ſi quæ tibi notæ videntur plantæ, quas pro incognitis tradidi, ſignificare quæſo. De Chondrilla calicibus glaberrimis, quid ſentires perſcire velim. Annon haberes pro Hieracioide foliis variis? Cirſium calicibus inermibus acutis, foliis utrinque viridibus firmis, integerrimis, inæqualiter ciliatis, annon varietatem judicas cardui in avena provenientis? Quid ſentis de Btitoide, cujus caracterem nullo modo adhuc definire potui? Annon habitu atriplici quodammodo ſimilis eſt? Unam plantam appoſui, ad quam hæc verba ſcripta ſunt: Quæritur qualis plantæ? an ſcirpi, aut junci, aut butomi? Ceterum pleræque plantæ, quas mitto, Sibiricæ ſunt, paucis exceptis Wirtembergicis, quarum locus natalis adſcriptus eſt. Litteras ad Schreiberum ante duas hebdomadas miſi. Tuas Tuosque plurima ſalute impertio. Iterum vale. Dabam Tubingæ, die XIX. Febr. CIƆIƆCCXLVIII.

370.

370.

## J. G. GMELIN.

Accepi ſuaviſſimas Tuas & gratias ago pro benigniſſimo conſilio Tuo medico, cujus in actum deducendi cras initium faciemus. De effectu olim dicendi erit opportunitas. Ver exſpectabo patiens. Plantæ dudum ad Te paratæ & in faſciculum conſutæ heri demum abhinc miſſæ ſunt, auriga neſcio quas moras faciente. In eundem faſciculum impoſui librum Suecica lingua exaratum, de quo coram Tibi explicavi, quod ſit liber metallurgicus, ab Hiernio olim editus. Neminem Petropoli nanciſci potui, qui opus verſionis in linguam latinam, vel germanicam, vel gallicam, ſuſcipere voluiſſet. Tu ſpem feciſti aliquam propter ſtudioſos Suecicæ nationis, apud vos litteris operam navantes, ſi fieri id poterit, nummos pro verſione erogare non detrectabor, modo ſignifices, quot numerandi ſint. Miſi etiam, ſed cum aliquo dolore meo, aureum Tuum libellum, qui poemata continet, nec dolor prorſus remitter, niſi remiſeris hunc vel alium novæ editionis impertias. Ophtalmiatricas diſſ. Mauchartus edere continuat, in quarum fere ſingulis ſphincterem pupillæ ſerio inculcat, mihique aliquando in faciem dicere non erubuit, quaſi illum demonſtraſſet magnæ ſtudioſorum cohorti. Comperi poſtea, id ſe aliquando præſtare voluiſſe, cum vero nemo eſſet, qui conſpiceret, admonuiſſe præceptorem, ne tam ſtupidi coæcutirent ſtu-

 dioſi,

dioſi, leucomata omnia mox diſparuiſſe & viſum contigiſſe præter naturam clarum. Quicquid horum ſit, mittam diſſertationes omnes, quas comparare potero. Sed de veteribus dubito; habeo equidem plurimám earum, quas recenſes, partem, ſed cum pluribus aliis in libram compactam, quibus ſine detrimento librorum iſtorum carere vix potero. Vidi & legi judicium de Mineralogia Wallerii, recenſionem x. tomi Act. Petropolit. & Floræ Zeylanicæ, nec vidi quid ab amicitia alienum, nec iniqui Linnæo, pro quibus omnibus mille gratias ago. Sed quid de Te metuere liceat homini recte, ſaltem uti honeſtum virum decet, agenti, neſcio. Diſcant meo exemplo ſapere & alii. Video, ſapuiſſe Linnæum. Forte hinc augurium bonum capi poteſt. Tomum X. Comment. Petrop. nulli adhuc Academicorum Petropoli conceſſum eſſe, ex nuperis litteris intellexi. Mirabuntur itaque, ſi recenſionem in novis veſtris viderint. Dabam Tubingæ d. XI. Martii CIƆ IƆCC XLVIII.

## 371.

# PETRUS TARIN.

Vir clariſſime, humanaque œconomia miniſtrorum facillime princeps, Tua, mihi vix dum Medicinæ limina lambenti, neſcio quo felici caſul ocupletiſſima magni Boerhaavii inſtitutionum Commentaria occurrere; plurima me ex illo inexhauriendo pena hauſiſſe confiteor, cumque inde

de mihi, in tanti Viri aureis deambulare campis nata ſit occaſio, Tui, præceptoris tuique, ſic perpetuo duratura apud me invaluit exiſtimatio, ut vos meos mutos præceptores honori ducam & auſim appellare. Juvenis adhuc, paucis abhinc annis ad Demonſtratoris anatomici, in Pariſino fratrum charitatis noſocomio, vices gerendas vocatus, quam tunc ad uſus tantum peculiares excoluerar anatomem, mihi nunc ob mea rite munia obeunda, alioquin curioſo miraculorum naturæ ſcrutatori ſic excolendam ſuſcepi, ut tum in diſſectionibus, tum in auctoribus qui ſuis anatomicam rempublicam ditavere, perlegendis totus ſim: & cum nuda per hyemem corporis humani partium tum evolutioni tum deſcriptioni datam ſit incumbere, hinc prælectiones phyſiologicas per æſtatem ſuccedere decrevi, nihilque me opportunius quidquam acturum putavi, quam ſi eximio illo tuo libro ad propoſitum uterer, quin imo illum in vernaculam vertere linguam in me ſuſcepi: an tum typis mandatum expoſtulem; ne forte, in illa tam egregia dicta non vero ita interpretata interpretando erraverim, tibi tua cum licentia traductionem miſſam curabo, ne qua addenda ſuadeas, quæ vero eliminanda jubeas.

Tua tanti facio, Vir illuſtriſſime, ut Dictionarii illius tum ſcientiarum tum artium univerſalis ab anglicana in noſtram linguam verſi, anatomicam partem mihi commiſſam plerisque tuis decorari tabulis in noſtrorum utilitatem voluerim.

luerim. Conatus ergo juventutis meæ tuis ſuſtineas conſiliis, des auxilium quærenti, mihique tibi devinctiſſimo tuique colendiſſimo faveas. Etiam acque etiam vale. Dabam Pariſiis 1ma Aprilis 1748.

372.

## SIBTHORPE.

Speciminum ſiccorum faſciculum cum epiſtola veſtra ſalutavit Bibliotheca noſtra Botanica, de hac re diu occaſionem occurrere ſperaveram, quâ per litteras Vir ornatiſſime Te certum faciam, & amici noſtri mortem ſignificarem, eodemque tempore exoptans a Te favorem, quem Dillenio diu habuiſti pro humanitate tua Dilleniano permutare dignari, licet minus e merito. Uti vixit, ita tranquille, placide, ſine ulla fere colluctatione inſtanti morti ſeſe obtulit, apoplexia percuſſus dies paucos ante mortem hemiplegia ſubſequente; 2a. Nona Aprilis meta fuit Viri hujusce eruditi, veterum Germanorum moribus imbuti, menſe vero ſequenti a Collegio Medicorum Londinenſium ad locum ejus honoratus fui e longinquo rare medicinam exercens: quantum vero ad Botanicos amorem coluit, nil majus oſtendit, quam frequens repetitio nominis tui facile Botanicorum principis. Anima vix ſufficiente titubante lingua Te ſolum eſſe parem ad Pinacem Sherardinum complectendum, minimum me pudet hæc dicere. Utinam operi tantæ molis par eſſem. Utinam longiorem vitam, ſalutem meliorem Viro defuncto conceſſit Deus.

381.

# J. C. RAMSPECK.

Cel. Winslous varia mihi pro Te daturum promiſit ſimul cum litteris reſponſoriis, qui optimus Senex nuper in Horto Regio lipothymia correptus filum orationis abrumpere ſtatimque domum ſe conferre cogebatur, quam poſtea febris catarrhalis ſenibus aliás funeſta excepit, verum Vir laudatus præter ſpem atque opinionem convaluit. En ſchedulam e litteris defuncti Caſſebomii ad ipſum aliquando exaratis excerptam, quamque ut Tibi mitterem mihi deſcribendam dedit. Librum huncce Arantii, de quo Caſſebomius mentionem facit, Winslous nunquam vidit, an vero Tibi, Vir Celeberrime, notus ſit ſcire cupit. Faſciculum, quem Bertino inſcripſiſti, ipſi jam ante menſtruum ſpatium, antequam litteras a Te acceperim, exhibui, quum eo tempore ſatis belle habebat, ſpesque recuperandæ valetudinis affulgebat. Verum breve admodum erat hocce intervallum, quandoquidem haud multo poſt morbus recruduit, bonusque Vir paroxyſmo maniaco rurſus vexabatur. Omnibus itaque remediis in caſſum hactenus adhibitis in mutatione loci e conſilio Medicorum ſolatium quæret, quapropter propediem hinc proficiſcetur, atque in Britannia patria ſua ruri habitabit uſque dum convaleſcat. Quum ergo Bertinus valetudine impeditus anatomicis laboribus vacare nequeat, e conſilio Dni. Clairaut, cui cum Ferreinio amicitia inter-

intercedit, iſtius Viri curſum anatomicum jam a 2. fere menſibus frequento, ipſumque Angiologiam cum Neurologia demonſtrantem audivi, nunc vero circa Spanchnologiam ſenſuumque organa occupati ſumus. Ipſe equidem non diſſecat, aliis quippe negotiis diſtrictus, omniaque Proſectori ſuo committit, verum præteritis temporibus ſummo cum ſtudio diſſectioni cadaverum Monſpelii præſertim operam eum dediſſe audivi, quod etiam ex ejus demonſtrationibus conjicere licet, quandoquidem ſemper de ſuis obſervationibus, quas olim in cadavere fecit, loquitur. Multis in rebus particuliares equidem fovet ſententias, ſed tamen uti mihi videtur, haud absque rationis quadam ſpecie. Ex. gr. aſſerit, dari per totum corporis ambitum ubique glandulas ſubcutaneas, in propriis foveolis in cute inter pinguedinem locatas, materiem ſudoris præbentes, ſeque eas manifeſtiſſime in ſtrangulatis iisque qui frigore periere confertim obſervaſſe. Lienem ſtatuit non vaſculoſum eſſe, ſed propria quadam ſubſtantia fibroſa albida compoſitum, quæ nulla arte nec rubefieri, nec injici, atque ſolummodo microſcopiis obſervari poſſit, vaſa erga ejus ſubſtantiam perreptantia ab ipſa probe diſtingui debere. Quoniam laryngem nondum demonſtravit, de ejus experimento circa vocem nihil adhuc Tibi Vir Illuſtris ſcribere queo; nec de hepate adhuc, circa quod etiam cum aliis diſſentit, verba fecit. Bertinus ante morbum ſuum novam anatomicam deſcriptionem renum Academiæ propoſuit, non ſine applauſu, quæ in proxime eden-

do

do Tomo Hiſtoriæ A. R. S. continebitur, an Tibi jam nota ſit ignoro. Miſi nuper Dno. Langhans ſchedulam Tibi tradendam circa novum inventum anatomicum de communicatione arteriarum meſentericarum vaſorumque lacteorum, quod vero nondum extra omnis dubitationis aleam eſt poſitum, vaſa quippe hæc, quæ Tarinus pro lacteis habet, lymphatica ſolum eſſe poſſent, quæ ſententia etiam Winsloi de hac re eſt. Interim Auctor, cui mecum a quodam tempore amicitia arcta intercedit, ſumma cum induſtria ulterius in hocce inventum diſquiret, donec vel fallaciam quandam perſpiciat, vel de veritate ejus penitus ſit perſuaſus. Idem nunc in translatione Phyſiologiæ tuæ, quam ipſi commodavi, eſt occupatus, quæ mox gallico idiomate lucem aſpiciet, ejusdem tui libri Cavelier Bibliopola nonnulla exemplaria accepit, quorum vero emtores ſine mora invenit, ut ne unicum amplius proſtet. Tabulas etiam tuas anatomicas Tarino mutuo dedi, qui tam ipſas quam doctiſſimas deſcriptiones ſatis admirari nequit, iisque utitur pro Dictionario univerſali medicinæ, ad quod elaborandum etiam cum aliis operam ſuam confert. Bertino itaque mentis haud compote, Winsloo decrepito, ſi forſan Vir Excellentiſſime quodam eges, qui Tibi Pariſina communicet, Tarinus hicce contra Gallorum morem haud mediocri ſane eruditione munitus ſummo ſibi honori ducet a Te litteras accipere, Tibique ubicunque ejus opera utendum putabis inſervare. Apud Clariſſ. Nolletum circa initium præteriti menſis curſum phy-

ſicum

ſicum auſpicatus ſum, in experimentis equidem exſpectationi meæ ſatisfacit ampliſſima quippe nitidiſſimorum inſtrumentorum penu inſtructus, verum ratiocinium ejus, in quo nimis brevis mihi non ſemper placet. Nonnulli novi circa vim electricam in publicum hactenus prodiere e. gr. Obſervation ſur l'Electricité, où l'on tache d'expliquer ſon mechanisme & ſes effets ſur l'œconomie animale, 1747. Eandem vim tranſpirationem augere Nolletus in felibus & paſſeribus invenit, nunc in experimentis electricis circa emeritos milites in Noſocomio des Invalides dicto capiendis Vir laudatus occupatus eſt.

Dabam Lutetiæ e Muſeo octavo Iduum Aprilis MDCCXLVIII.

*Excerpta e Litteris Caſſebomii.* J'ai un Manuſcrit de 20. feuilles *in* 8vo. qui a pour titre: Tractatus de Muſculis Cl. Viri Julii Cæſaris Arantii Prof. Bononienſis, Bononiæ MDLXXIX. XIII. Martii, il vient de la Bibliotheque de Mr. Eltzholz ci-devant Medecin de l'Electeur Frederic Guillaume de Brandenbourg. Je l'ai conferé avec les Obſervations anatomiques dudit Auteur; mais le Tractatus de Muſculis n'y eſt pas contenu, je ne ſai pas s'il eſt imprimé ou non. Je vous prie Monſieur de m'en éclaircir, s'il n'eſt pas imprimé, il merite de l'être.

374.

## J. G. GMELIN.

Ecce tandem Tibi Aſchium, de quo multa ſæpe ſcripſi, quemque tua ope, tua benevolentia Te complexurum eſſe promiſiſti. Parente ingenuo & honeſtiſſimo natus eſt, qui, quicquid in eum contuleris, gratiſſimo agnoſcet animo. Fac quæſo, ut in tramite honeſtatis, ad quam indolem habet natura infuſam, ſtrenue pergat, & cura, ne ſeducatur conſuetudinibus malorum hominum. Vale Tuasque Tuosque plurima ſalute meo nomine imperti. Dabam Tubingæ, d. XV. April. CIↃ IↃCCXLVIII.

375.

## JO. B. MORGAGNUS.

Tam grata fuerunt mihi omnia, quæ nudiustertius a Te miſſa accepi, cum litteris humaniſſimis conjuncta, datis die 5. Julii anni ſuperioris, ut ſtatim per has litterulas gratias agere voluerim liberalitati erga me tuæ, ſimulque rogare, ut mihi indices, ſi quid forte librorum hinc optes. Carcani opuſcula, quæ per amicos quærendi nullum finem facio, neque adhuc, ne de Canano quidem deſpero. Salomonis Alberti Hiſtoriam habeo; ne in quærenda hac ſolicitus ſis. Orationes ejus iſtas tres opto, quæ cum annexis editæ ſunt A°. 1585. Schneideri autem diſputationes

 de

de reliquis oſſibus capitis, & præſertim temporum; nam librum de oſſe cribriformi, quem miſiſti, habebam: neque minus tamen pro hoc quoque gratias ago. Quæ vero Wepferi, Nicolai, aut Huberi cupiam, ſuperiori epiſtola ſcripſi, quam ferme ante biennium cum Corteſii Miſcellaneis per Bergomenſes, Orellios, & Tigurinos Ottios ad Te perferendam curavi. Deum precor, ut ſaltem angiologicas tabulas, quas, ut ex faſciculo tertio video, ſumma diligentia, & eruditione proferre pergis, feliciter abſolvas; quando de nova Boerhaaviana Operis editione dubitas. Quod ſcribis de Gunzii Programmate, ut de Albini Tabulis viginti, illud non vidi; harum autem non niſi primas olim Auctor miſit; noſtri autem Bibliopolæ in ejusmodi rebus hinc procurandis, magis vero noſtri Medici; ſi paucos excipias, in apparandis ſegnes ſunt, quo fit, ut in Italia hoc tempore vix aliquid de Anatome exeat, quod Tibi, grati animi cauſa, quantumvis cupiam, poſſim mittere. Apud vos autem præclarum Diſſertationum edendarum inſtitutum jam diu florere, nec ſatis commendare poſſum utiliſſimum propoſitum tuum meliores ſeligendi, & recudendi, quod ex miſſo ad me volumine lubens perſpexi, quippe quod complures habet, quas nunquam videram. Illud etiam quod de utero & luteo corpore, a Te nuper inſpectis, ſignificaſti, libenter legi, & ſi quando edam quæ de hiſce habeo, nonnullis in puerperis diligenter obſervata, utile erit conferre. Nunc autem quod alias ſignificavi, in eo laboro. Tu interea, Vir Illuſtris, non modo quamdiu iſtic eris,

ſeris, verum etiam cum in Patriam, quo Te virtus, ut merita tua vocant, redieris, fac, quæſo, ne communia ſtudia anatomica, in quibus adeo excellis, omnino deſeras, neve hominis obliviſcaris Tui obſervantiſſimi, Tibique obſtrictiſſimi. Vale. B. Patavii Kalendis Maji cIɔ Iɔcc xxxxviii.

376.

## J. G. GMELIN.

Tabulam ad Hortum Göttingenſem & initium verſionis libri Hierniani accepi, gratias agens pro utroque. Verſionem vellem continuari, licet enim tanti non ſit, ut magnæ utilitati eſſe poſſit: continet tamen, ut puto, varia, quæ in hiſtoria litteraria uſui eſſe poſſunt. Si vero nihil digni contineret, convictus de hoc tum demum eſſem, quando verſionem legiſſem, & vel hoc mihi ſufficeret. Non ita pridem litteras a Ludwigio accepi, in quibus ille putat, obſervationes botanicas jam tanto ſtudio urgeri, ut Botanica brevi aut culmen perfectionis ſuæ attingere, aut prorſus corruere debeat, quod ego quidem non ſatis capio, niſi forte Linnæum nimis audiverit, qui multas hybridas plantas introducere velle videtur. Multa ex multarum hybridarum plantarum conſideratione aliquis ſibi ſomnium faciat, omnes plantas ex duabus tantum plantis originem traxiſſe, & paullatim reliquas ex immutatis primigeniis, tota corruet Botanica. Introducentur Adamus botanicus & Eva botanica. Vale & me amare perge. Tubingæ, d. 6. May 1740.

377.

## J. G. GMELIN.

Tractatum mitto, ſuperiori anno hic editum, quo carere quidem non difficulter poſſes, ſed ne hiſtoria litteraria etiam in hujus Profeſſoris, qui ſcripſit, celeberrimo nomine Tibi deficiat, retinere nolui. Ipſe de eo nihil ſciveram, ſed jam demum vidi. Deinde duas plantas mutilatas mitto, de quibus facile inducor, ut credam unam eandemque eſſe, quas in Barguſini fluvii montoſis locis autumno lectas olim miſit Stellerus ſub generico Doronici nomine, ego vero reducere nequeo, conſilium Tuum mihi expetens, quo referenda ſit, & annon conjecturam quandam veriſimilem de illa ſuggerere poſſis. Quoniam vero nullum exemplum præter hæc, quæ mitto, poſſideo, rogo ut ad me remittas. Non enim deero uti jam aliquoties ſignificavi, mittere a Te plures non adeo obſcuras, quæ itaque Tuo Gazophylacio magis digna erant. Vale & me amare perge. Datum Tubingæ d. XIII. Maji CIƆIƆCCXLVIII.

378.

## J. F. SCHREIBER.

Gratiſſima fuerunt Patri Aſchio, quæcunque bona ſcripſiſti de ejus filio. Debeo ſummo Tuo in me amori, quod adeo facilam Te promiſeris in edi-

editione ſcripti mei de Peſte. Mittam illud proxime, hactenus impeditus morbo gravi, & omni momento imminente morte, matris meæ conjugis, quæ mecum vixit hactenus. Ecquis replevit vaſa lactea per arterias? an Jurin Anglus? ſic legi. [*Tarin*] Quis factus Maniacus? & qui inde triumphat, an Ferrein? [*B.*] Et cur? Nec novi eum, qui Nervorum Paris quinti in veſtro theatro anatomico in liquidum deduxit? Quibuscumque me donaveris lucubrationibus Tuis, eas omnes exoſculabor, tanquam res mihi nunquam non adceptar & neceſſarias. Sed Compendii Tui phyſiologici oro, ne obliviſcaris: ut neque tabulæ ramificationum paris quinti nervorum. Kratzenſteinius dicitur receptus in academiam noſtram ſcientiarum, ejusque adventum præſtolantur hic. Gmelinus ſpem fecit proximi reditus. Petropoli d. 19. Maji 1748.

## 379.

## CAROLUS LINNÆUS.

Legi recenſionem Tuam Fl. Zeylanicæ in novis Litterariis, ex ea intellexi, Tuum generoſum in me animum, unde non leviter fui excitatus. Curabo in omnibus meis poſthac opuſculis ut idem a me experiaris.

Miſi ad Te cum ſtudioſo, qui ante aliquos dies hinc diſceſſit Göttingam, Hortum Upſalienſem, qui continet brevem Catalogum plantarum

in gratiam ſtudioſorum, absque ullis obſervationibus.

Dolui quod non acceperam Acta Upſalienſia, ut eadem mittere potuiſſem, in quibus binæ tuæ obſervationes pulcherrimæ de Amethyſtina & nova Tunica oculi dudum impreſſa ſunt; mittam prima occaſione.

Ante ferias æſtivales tres diſſertationes academicas proponam ventilandas:

1) *de Surinamenſibus Grillianis*. qua continet ſerpentes & animalia,

2) *de uſu plantarum Suecicarum œconomico*,

3) *de Homine curioſo admiratore Creatoris.*

Hisce diebus incipiem imprimere Materiam medicam, qui liber mole erit parvus. Demonſtrationes & excurſiones botanicos me totum occupant. Domus inſtruitur in Horto pro Muſeo academico. Si Dn. Ternſtröm vivat, qui Chinam ante duos annos adiit, eundem hac æſtate reducem habebimus.

De Kalmio, poſt acceſſum Londinum, nihil audivimus; eundem tamen dudum iter in Canadam ſuſcepiſſe non dubito.

Occupatus adhuc ſum cum itinere Domini Haſſelquiſt in Terram Sanctam; vellem quod aliquis Botanicus deſcriberet floram Palæſtinæ, ut Philologi, & Theologi, facilius & certius plantas biblicas extricarent.

Proxima

Proxima æſtate, ſi vixero, Scaniam peragrabo juſſu Regio.

Miſi itidem cum ſtudioſo Diſſertationem de Cryſtallorum generatione.

Nil novi in noſtris terris, omnia a veſtratibus habebimus.

Semina quæ miſiſti, pulchre excreverunt. ſi quasdam e meis deſideras, exceptis iis quibus ſignum Crucis + eſt adpoſitum, moneas & curabo ut habebis.

Vale & fave. Dabam Upſaliæ 1748. d. 28. Maj.

Pater meus Nicolaus Linnæus, natus 1674 die 1. Julii hisce diebus obiit, ſive d. 12. Maji Fuit ſummus æſtimator plantarum rariorum, & ſemper habuit ſelectum hortum pl. non vulgarium.

380.

## J. C. RAMSPECK.

Quin venerandus ſenex Winſlous ad Te Vir celeberrime! ſcripſerit nullus dubito, paucas quippe horas, antequam Pariſiis valedixeram me inviſens litteras nondum abſolutas mihi monſtravit, ego interim mea manu petitioni ipſius ſatisfaciens inſcriptionem exaravi. Citius quidem ad Te litteras dediſſet, niſi bellici tumultus, qui per aliquot annos Gallos inter atque Pragmaticos fœderatos ſæviebant, ipſum a propoſito aver-

tiſſent, veritum ne commercium epiſtolicum cum viro in hoſtili regione degente ipſi moleſtiam exhiberet, pace nunc vero conciliata absque metu a Te nunc ſcribere poteſt. Timidiuſculus paulum eſt optimus aliâs hicce Vir, qui ut Caſſebomii methodum ſecandi ipſi mittam, me rogavit libro quippe hocce Pariſiis haud apud Bibliopolas proſtante, quod etiam lubentiſſimo animo a me fiet. Vidi porro apud ipſum Anatomiam C. H. Hiſpanico idiomate in 4to c. f. Hiſpali 1746, autore Martinez, eodem, cujus Diſſertatio quædam in primo Collectionum Tuarum Tomo continetur, figuræ vero omnes ſine ſelectu e Verheyeno depromptæ ſunt. Oſtendit mihi etiam figuras ſuas oſteologicas in folio nitide admodum pictas, quas, niſi Albinus ipſum præveniſſet publici juris feciſſet. Quod literas ad Dn. Miſſa Pariſinum meis incluſeris Tibi haud parum me obſtrinxiſti, nactum hoc modo occaſionem cum præſtantiſſimo hocce Floræ filio amicitiam contrahendi, qui etiam ab eo tempore in numerum amicorum me recipere haud dedignatus, omnis amoris atque amicitiæ officia larga ſane manu in me contulit multisque modis me ſibi haud parum devinxit. Præter alia Clariſſ. virum Bernhardum de Juſſieu inviſendi occaſionem mihi præbuit, qui humaniter admodum me excipiens omnia vegetabilia, quæ in horto coluntur regio, mihi monſtravit, meque ut ipſi Ruppii Floram Jenenſem a Te Vir illuſtris! auctam Pariſiis vero haud inveniendam, mitterem rogavit, quâ in re optimo huic Viro lubentiſſime inſerviam.

viam. Experimentum Ferrcinianum de voce, quod tibi paradoxon videtur, idem laudatus Miſſa, ut me de veritate ipſius convinceret, in conclavi meo cum larynge ſuillo præſentibus nonnullis amicis inſtituit, optimeque meo ſaltem judicio theoriam Ferreinii probavit; ipſemet etiam idem experimentum feci optimoque cum ſucceſſu, ita ut, cum ratiocinia a priori contra experimenta, nil valeant, non poſſim non theoriæ Ferreinianæ a poſteriori ſuffultæ victas dare manus. Plura oretenus Tibi de hocce experimento Cl. Miſſa communicabit, quippe ipſi Upſaliam petenti per aliquot dies Göttingæ moram nectere animus eſt, Te inviſendi Tibique tantum in orbe litterario nomen adepto colloquendi cauſa; ſin vero conſilium mutaret, navique iter conficeret, alia vice Tibi, quæ ad experimentum, hoc ſpectant cum aliis dogmatibus Ferreinianis ab ipſo in curſu anatomico nobis traditis communicabo, ne epiſtola in nimis magnum volumen excreſcat. Excellentiſſ. Stæhelinum noſtrum, nunc vicinum meum (qui plurimam Excellentiæ Tuæ ſalutem dicit) quotidie fere inviſo, ejusque e conſortio haud parum emolumenti capio. Plantas meas quas tam Berolini apud optimum Gleditſchium quam Göttingæ tua ſub manuductione (cujus gratiſſima mihi ſemper erit recordatio) collegi mecum hac æſtate perluſtrabit. Quoniam autem Vir optimus ſyſtemate nervorum valdopere debilitato laborat, ita ut vix incedere vixque unciam continere poſſit, quin ſponte effluat, ut balneis confortantibus utatur ipſi ſuaſi. Fungos ſuos Tibi

Præceptor colendiſſime! propediem lubentiſſimus mittet, ut mihi promiſit. A pictore plantas nonnullas capillares ἐπιφυλλοσπέρμας depingi curat, eas Viro Cl. optimo Gleditſchio cum Epiſtola reſponſoria miſſurus. Commercii epiſtolici Caſp. Bauhini cum reliquis hujus ævi Botanicis potero Te forſan, ſi deſideras, participem facere. Cl. Gmelinus, uti ab amico percepi, propediem Tubinga huc adveniet. Nova litteraria nulla habeo, quæ Tibi Vir celeberrime communicare poſſim. A Societate quadam ſic dicta Helvetica hic florente in hiſtoriam naturalem agri Baſileenſis inquiritur, cumque labores ejus typis mandentur, primus jam eorum tomulus in publicum prodiit, continens deſcriptionem hiſtorico phyſicam pagi *Muttenz* cum monte adjacente, cum figur. Ea quæ ad Botanicen ſpectant in hoc opuſculo a Cl. Friderico Zuingero amico meo honoratiſſ. elaborantur, partem hiſtoricam Sprengius Societatis hujus Præſes ſuppeditat, regnum vero minerale a Domino Bavier Lithophilo deſcribitur, ſi Tibi placet opuſculum hocce Tibi mittam. Dabam Baſileæ e Muſeo Nonis Junii A. R. S. 1748.

381.

## J. FR. SCHREIBER.

Manuſcriptum de Peſtilentia quod promiſiſti apud vos & ſplendide & correctius, in 4to imprimendum, ſi impreſſione dignum judicaveris. Nobiliſſi-

Nobiliſſimum Dominum Bibliopolam, quem ſaluto, quique poterit certus eſſe, me impreſſionem libelli nunquam reiteraturam, unde & ultima editio in titulo adpoſui, rogavero, ut aliqua exemplaria charta magna ad me mittere velit. Quomodo vetus Præfatio ex editione Berolinenſi, nec non obſervationes Odzacovienſes ex eadem imprimi debeant, in ſcripto ipſo adnotavi: data occaſione, opinor, notum facies, Te ſcriptum illud recepiſſe. Petroburgi $17\frac{18}{17}48$.

Forte duo vel tria exemplaria, interque ea Comiti deſtinatum, poſtquam impreſſa ſunt, mitti poterunt per Tabellarium publicum: qua in re Aſchius inſervire poterit. Saltim Pater hanc methodum mihi ſæpe & obtulit & propoſuit. Kratzenſteinius, ut ajunt, in hanc Academiam receptus, brevi exſpectatur. Vale, meque amare perge. Nolim oblivifci, mihi Tua noſtraque, forte per Wagnerum transmittere: Compendium in primis Tuum phyſiologicum, & collectionem de morbis epidemicis Uratiſlavienſium, quam Præfatione Te ornaſſe inaudivi. An Commentarius Tuus in Inſtitutiones med. Boerhaave ex veteri propoſito, reimprimetur in 4to auctusque? Iterum vale.

382.

## JOH. GESNERUS.

Me quod attinet, varia interim fortuna ſum adfectus. Cariſſima ſoror ex lento morbo hydropi-

dropico, qui tandem in phthiſin & violentam tuſſim abiit, mihi erepta fuit, non ſine maximo animi dolore. In meis negotiis lentius pergo, ſpero vero promtiores progreſſus, poſtquam depoſui Rectoris munus. In Societate noſtra phyſica lætos faciunt progreſſus, ea publica benevolentia ampliſſimi Magiſtratus noſtri quoque fruebatur; eique conceſſum fuit, ut per ſortes publicas (Lotteries) quandam pecuniæ ſummam pro expenſis colligant. Factum inde ut ſpecimen aliquod hujusmodi collectionis publici juris factum fuerit; Præſtantiſſimam antliam duplicem, cum omni apparatu cibi comparaverunt. Et ut ſpero Hortus botanicus hoc anno adhuc inſtruetur, quum commodus ei locus, qui & obſervationibus aſtronomicis phyſicis aptiſſimus foret, commode ſeſe obtulerit. Sunt etiam non pauci e Societate, qui per donationes inter vivos, pecuniam conferant. Perplacebat etiam locus celeberrimo Gmelino Profeſſori Petropolitano, qui cum doctiſſimo fratre Pharmacopæo & medicinæ Licentiato, nos Tiguri invitebat. Hoc Viro nihil humanius aut ſuavius eſſe poteſt. Quantam vim obſervationum impr. botanicarum congeſſit? & quanta humanitate omnia communicat, & quanto cum judicio & eruditione de omnibus diſſerit? Hoc etiam mihi jucundiſſimum in cæteris fuit, quando de Te Vir illuſtriſſime, & de Tuo in me amore & proſpera valetudine tua quævis læta nuntiavit. Meos in Botanicis conatus ipſi indicavi, eos ſuo judicio ſubmittens, tuam opem mihi ſubmiſſe expetens. Probavit conſilium de edenda compendiaria

ſtir-

ſtirpium hiſtoria, de qua olim pluribus ad Te ſcripſi, probavit etiam, ut differentias & partes florum, fructuum & vegetationis in tabulis æneis per ſynopſin repræſentarem: & ſingulis claſſibus characteres generum ex ſpeciebus ſedulo adnotandis exhiberem. Plura mihi ipſe mecum benevole communicaturum promiſit. Inter plurima, quæ de Te & præclaribus laboribus tuis laudavit, ſpem nobis fecerat, Te proxime editurum eſſe deſcriptionem Horti Göttingenſis, in qua ſit quoque nova graminum methodus, qua ſane huic difficili materiæ egregiam & utilem opem adferes. In meo opere malo poſteriores curas exſpectare, quas majori accuratione inſtituere potero ſi Hortus botanicus noſter ex voto ſuccedat. Ex plantis Abbatiscellanis alpinæ circiter 30 per hiemem ſervatæ ſunt; alias nunc ex Valeſia & iisdem alpibus exſpecto. Ut periclitarer, quantum vires meæ ad itinera botanica valeant, montem Uetliacum noſtrum conſcendi lætus, vegetus, & priſtinum in herbas amorem lætus in memoriam revocavi. Plantas quoque rariores nonnullas in hortum transferri curavi. Non tamen inveni novas, aut antea non viſas. Mitto iconem Ophridis nigro flore, pictam coloribus (quæ tamen non admodum placet) eam faſciculo Francofurtum pro Te miſſo addidi. Chamæorchidem recentem autem non habeo ut depingi poſſet.

Tiguri d. 3. Julii 1748.

383.

## PETRUS BORSIERI Principis Epiſcopique Gurcenſis Medicus.

Interpellari Te a graviſſimis occupationibus ab homine nec nomine Tibi noto mirari deſinas Vir Celeberrime: præclaræ enim tuæ doctrinæ, prodigioſæque in re medica peritiæ fama ita Te celebravit, ut univerſus terrarum orbis tuo jam nomine ſit plenus, ignotisque notiſſimus ſis factus. Fama de tua doctrina majora in dies incrementa ſumit, & famam ipſam ſuperant virtutes tuæ: opera quæ dedidiſti, omnes legunt, lectaque ſuſpiciunt, mirisque laudibus efferunt, atque ſingulorum ſuffragia primas Tibi in arte deferunt. Iniquo igitur haud animo feras, ſi in pertinaciſſimo morbo, qui curandus mihi proponitur, cujusque hiſtoriam hic Tibi paucis ſubnecto, tuis artis oraculis imbui, recrearique conſilio tuo & ope vehementer exoptem. Herculeo indiget auxilio herculeus morbus, tuisque meditationibus dignus eſſe videtur, contra quem nihil aggredi mecum conſtitui, niſi prius Te conſulto quid agendum ſit, intellexero.

### *Morbi hiſtoria.*

Octavus jam occurrit annus, a quo nobilis Juvenis 30. annorum temperamenti ſanguineo-cholerici, & tenerioris macilentiorisque corporis habitus, luem celticam ex impuro concubitu ſibi con-

contraxit, quam ut debellaret, nihil intentatum reliquit: Lignorum enim decocta antimoniata diu, large atque iterato ingeſſit, hisque nihil proficientibus ad præparata mercurialia ſe convertit, uſusque mercurio dulci cathartico absque levamine, eodem ſublimato dulci ſalivationem ſibi cieri voluit, quam ter incaſſum expertus mercurium diaphoreticum Tomſoni poſt ultimam, quam anno elapſo ſubiit, ſalivationem in uſum adhibuit ſed pari eventu. Quapropter eadem æſtate ſudorem decocto ſaturatiori ex ligno guajaco ſpiritusque vini ardentis flamma ſibi elici curavit, nec tamen quidquam commode exinde retulit; vere nuper elapſo pillulæ ex argento vivo additisque una catharticis confectæ, quas Barbaroſſæ appellant, per menſem & ultra ei ſicut exhibitæ; adhibitis ſubinde ad crura mercurii frictionibus, at eadem perſiſtunt, quibus hactenus conflictabatur incommoda; dolores ſcilicet artuum vagi in tibiis potiſſimum, tarſo & metatarſo ſæviunt, nebuloſo præſertim cælo ingraveſcentes, ulcuſcula in penis præputio interdum ſubito erumpunt, moxque diſparent, porrulique ibidem ſuccreſcunt, faucium interiora puſtulis in ulcuſcula degenerantibus quandoque obſidentur, meatusque auditorius circa alvearium pruritu, vellicationibusque leviuſculis tentatur, quæ etiam intra nares ſæpe percipiuntur. In hoc rerum diſcrimine meam infelix Juvenis expoſcit opem, quæ ſine tua puſilla admodum foret. Per conſilia igitur tua miſero ſuccurras Te oro, atque obteſtor, & mihi adverſus morbum contumaciſſimum peculiarem

liarem methodum aperias, ſapientiæ juncta & humanitatis ſpecimen præbens. Quod ad me attinet, cultum Tibi meum & devotionem, & amicitiam Tibi Præclariſſime Vir æternam polliceor, idque ut intelligas omni erga Te officio curabo. Vale. Viennam Clagenfurtum demum. Gurk in Carinthia pridie Nonas Julias 1748.

384.

## J. G. GMELIN.

Duas tuas epiſtolas d. 18. Maji & 7. Julii ſcriptas magna mea cum voluptate accepi, cum ante aliquot dies ex Helvetia redux factus eſſem. Gratias Tibi ago decentiſſimas pro labore, quem in evolvendis & dijudicandis plantis ad Te miſſis ſuſcepiſti; equidem judicium tuum nondum mecum deliberavi, aut prorſus pervolvi. Sed quis Magiſtro non credat? Satis diu moratus ſum in Helvetia, poſt ſeptem demum hebdomades redux factus. Collegi varias plantas quotquot colligere itineris ratio permiſit: in Randio monte & in montoſis Badæ meliſſophyllum Fuchſii, in illo fruticem quendam, floribus papilionaceis luteis, Coluteæ ſimillimum, Geſnerus autem pro Emero habet: pinguinculam Geſneri, primulam rubro flore Clus, & Cneorum Mathioli inter Hohentwiel & Scaphuſiam &c. Feci autem quolibet in loco conſignationem earum, quas a proximo loco vidi. Iter meum fuit per Scaphuſiam Tigurum, abhinc Baſileam, tunc Argentoratum, Carls-

Carlsruham, Stutgardiam hucusque. Botanicos Scaphuſiæ nullos vidi, nec ullum hominem, qui plantas vel mediocriter noſceret. Tiguri Gesnerum inviſi, & miratus ſum Viri humanitatem, eruditionem, modeſtiam, & diligentiam. Vidi herbarium ejus, foſſilia, mineras, inſecta, ſeminum collectionem, marina, & quid non? In eo totus eſt, ut ſocietatem eruditam, cujus ille auctor eſt, in ordinem redigat, & jam præcipue, ut hortum botanicum ſocietati comparet & herbis inſtruat, cui inſtituto fortuna egregie favet. Præſto enim eſt hortus non procul a porta ſuperiori urbis ad lacum Tigurenſem egregie ſitus, ad hortum botanicum aptiſſimus, quem poſſeſſor neſcio ex quo rumore lemurum in illo vagantium 3000. florenis vendere vult, qui ſine hoc metu vix 10000. florenis venderetur. Sic etiam lemures botanicæ favent. Hiſtoriam plantarum univerſalem adhuc meditatur, ſed timidulus eſſe videtur. Cetera inſtitutum placet. Sed Tuum S. o quantum inveni mutatum ab illo! non vidi floridum, vegetum, alacrem, ſed cacheclicum, ſegnem, torpidum, ſomnolentum, memoriam in eo fere abolitam, judicium perquam labile. Miram cataſtrophen vocant Baſileenſes, qui ante hos tres annos ſatis agilem adhuc fuiſſe prædicant. Conveni ipſum aliquoties, vidi res ejus naturales, quas vix nomine ſuo vocare amplius ſcit, & totalis fere in ipſo oblivio eſt præteritorum. Pedibus vix inſiſtere multo minus incedere valet, ſpe maxima interea ſe perpetuo lactans, fore ut in priſtinam ſanitatem rediturus ſit. Ego

hoc minime credo, & doleo fatum Viri, qui pulcherrimas obſervationes vegetus adhuc inſtituit, quarum pleræque, ſi excipias illas, quas circa ſolutionem ſilicum fecit, cum illo peribunt. Doleo ejus fatum, quo premente, ſi diu adhuc vivet, in ſumma miſeria tempus & vitam tranſiget, in multo enim jam ære alieno eſt, nihilque in ipſo ſupereſt, quo nummos ſibi comparare poſſit. Opto, ut icones fungorum & plantarum aliarum, & uterorum gallinaceorum, in doctos manus perveniant, & fato ſubtrahantur. Carolsruhæ plantas aliquas valde voluiſſem videre, quæ in Catalogo exſtant, ſemina autem vetuſta & exſoleta tantum ſuperſunt. Ceterum Hortus mire placuit, & ſi usquam terrarum, hic ſane commodiſſimus eſt locus plantandis vegetabilibus. Uterque enim hortulanus ſummo deſiderio flagrat hortum augendi, & nihil omittit, quo diligentiam ſuam teſtari poſſit. Exoticarum plantarum multitudo ſtupenda adeſt. Siegesbeckius ſecundum litteras Petropoli acceptas hoc vere in Germaniam proficiſci voluit, poſtquam munus Phyſici Moſcovienſis recuſavit, reſtitutionem autem profeſſionis botanices nullo modo impetrare potuit. An Orphireus Caſſellis adhuc vivit? An perpetuum mobile ejus adhuc viget? An in aliis machinis occupatur? Rogo, ut paucis indices, niſi nimis moleſtum fuerit. Dilationem termini reditus mei Petropolin in dimidium annum a Præſide Academiæ noſtræ mihi expetii, ſed reſponſum nondum tuli. Ergone igitur excluſus ſim ab Academia ſcientiarum Holmienſi? Mihi & Müllero alicui uſui eſſe poterit. Vale. Dabam Tubingæ d. XV. Jul. CIƆ IƆCC XLVIII.

385.

## NICOLAUS ROSEN.

Litteras tuas ſumma cum voluptate legi, ex illis enim intellexi, Te optime valere, mihique uti ſoles, bene cupere. Quæ miſiſti per D. Archenholzium, ea omnia accepi. Oh! quam vellem lubentiſſime Rothmanni mei deſideriis ſatisfacere! ſed res hæc mei non eſt arbitrii. Dirigit enim iter Princeps noſter clementiſſimus Acad. Cancellarius. Credunt, penes quos eſt poteſtas, neminem rite anatomen, chirurgiam & reliqua diſcere poſſe, niſi Gallos audiverit. Ipſe nihil ſciet Apollo, ſi Muſas Pariſinas per tempus quoddam non inviſerit. Hydrologiam Wallerii Tibi traditam eſſe ſpero. Quæ ab illo tempore edita ſunt cum Med. St. Dno. Aurivillio miſi, ſcil. Diſputationes aliquot Linnæi, & novam auctamque editionem Syſtematis Naturæ. Tui ſolius cauſa Göttingam adit Dn. Aurivillius. Fac, ſi me amas, ut intimæ ſit admiſſionis. Ego ſaluti Regis noſtri clementiſſimi ſolus adhuc invigilo. Rediit, quæ Dei eſt gratia, eo usque cum ſanitate in gratiam, ut motus ſenſusque non amplius in latere dextro ſit expers. Solus jam interdum deambulat, & hodie in publicum prodiit, ſed difficilis adhuc eſt loquela. In principio morbi neminem ex domeſticis nominare potuit. Judicium jam erat læſum & memoria abolita. Jam bene de rebus judicat, actorum & agendorum eſt memor, comedit, bibit, dormit. Legere jam poteſt, ſed

 urbes,

urbes, perſonas, resque paucas ſuo nomine impertire rarius poteſt. Voces bene pronuntiat. Narrationes ſatis appoſite contexit, ſed gallica lingua illi jam facilior eſt, quam germanica. Regis optimi ſalus ita me totum occupat, ut filiam meam adhuc videre non potuerim. Et hæc eſt ratio, quæ effecit, ut ſpecificum Dni. D. Herrenſchwand adhuc exhibere non potuerim. Sponte interim ſua ceſſarunt convulſivi motus & reliqua ſymptomata, ni expellatur vermis, brevi forſan reditura. Tibi interim ſummas ago grates, qui efficax hoc remedium mihi miſiſti. Cum primum potero illud propinabo, & effectus narrabo. Scripſi jam ad Dum. D. Herrenſchwand & rogavi, ut ſpecifici hujus nobis copiam faceret, ſed ea conditione, ut pretium minueretur, ceteroquin emi non poteſt. Proximo trimeſtri Actor. Stockholmenſium inſerta eſt Commentatio de membrana pupillari. Latine impreſſa eſt in Act. Upſal. Vale Vir amiciſſime, Tuos ſaluta, meque ſemper ama.

Raptim Stokholm die xx. Jul. A. v. 1748.

386.

## J. C. RAMSPECK.

Quoad Commercium Epiſtolicum C. Bauhini, de quo in ultimis meis litteris mentionem feci, id in 6. voluminibus in 4°. poſſidet D. Huber J. U. D. Parentis mei amicus, Vir ſtupenda manuſcriptorum farragine inſtructus, qui, ut id deſcribatur, lubenti animo concedet. Placeat itaque

que Tibi Vir Illuſtris! me certiorem reddere, anne velis ut tuo nomine per ſtudioſum quendam id deſcribi curem, cujus etiam deſcriptionem Excell. Stæhelinus optat.

Quæ neglexi Deo volente proxime cum uſura compenſabo, præſertim ſi optimus Stæhelinus noſter, uti quidem opto, a morbo liberatus erit, quod vero potius optandum quam ſperandum, ingenii animique quippe viribus cum corporis ſimul fractis. Clariſſ. Gmelinus, qui hic per XV. fere dies nuper commoratus eum inviſit, etiam judicavit, dolendum eſſe, quod de integra reſtitutione hujus Viri tam parum ſpei affulgeat. Dabam Baſileæ e Muſeo ſexto Iduum Auguſti An. MDCCXLVIII.

## 387.

## J. F. SCHREIBER.

Quisnam ſit ille egregius Anatomicus *J. E. Bertin* ignoro? Eum m. . . . . factum audio; & in ultimis Tuis inter nova numeras *Bertini Diſſ. de Rene.* Non crediderim, eſſe illum, quem tabulas anatomicas Nervorum, opinor, Romæ edidiſſe relatum fuit *a*). Kratzenſteinius, qui judice Eulero, in mechanica excellit, hanc olim hic profeſſurus, advenit, licet ipſum haud dum viderit, Profeſſor vocatus. Abr. Kaauw Boerhaave ex morbo peracuto, ultra 40. dies protracto, vix evaſit. Attamen manſit ſurdus. Edet H. Boerhaavii edita & inedita omnia in folio,

 prout

*a*) *Petrus Berrettinus* Crotonienſis celebris pictor.

prout Hofmanni Opera edita habentur. Quod receperis ſcriptum de Peſte lætor, utinam Tibi placeat: inque Te confido, Te quoad impreſſionem ceteraque curaturum omnia: hinc de ea re ne verbum amplius addam. Ut Commentarios, prout decet, in 4°. & ſplendide edi facias: votum erit omnium. Petropol. D. XXVII. Aug. 1748.

Ut ſcriptiunculæ de Peſte impreſſio acceleretur, iterum peto.

388.

## J. G. GMELIN.

De typis expreſſo articulo Lubecenſi gratias ago. Alpes adiiſſem, ſed nimis ſero reverſus eſſem. Conſumpſi ſeptem hebdomadas integras in itinere. Ex quo redux factus ſum, peregrinationibus & permultis aliis rebus diſtractus fui, ut otium minime ſuppetierit, obſervata itineraria conſcribendi. Mittam autem ſuo tempore catalogum plantarum in itinere obſervatarum. Nec Fraxinellam nec Galegam in Randio vidi, vidi autem utrumque Durlaci.... Expectat autem Te præmium perenne in ſecula duraturum. Bona nova de Aſchio perplacent. Parenti ſuo certe hodie illa nuntiavi, qui acceptiſſimo illa ſuſcipiet animo. Ex quo litteras ad Te dedi, a Stæhelino epiſtolam accepi, in qua nuntiat, videri ſibi, paulatim in priſtinam ſanitatem redire. Sed vix crediderim. Faxit Deus, ne icones ejus in alias quam in tuas manus inciderint. Mariſcum nunquam

quam vidi. Litteras accepi a Linnæo, in quibus aſſerit, Anacampſerotidem flore luteo Amm. & Sedum flore luteo Ej. unam eandemque eſſe plantam. Dabam Tubingæ d. 6. Sept. 1748.

389.

# JOH. GESNERUS.

Commercium litterarium epiſtolicum Bauhinianum in manus Cel. Huberi J. U. D. litteratiſſimi tranſiit. Cel. Stæhelinus ovans & Deo gratias reddens ad me ſcripſit, ſe ex uſu balnei Schauenburgenſis, quod ex conſilio Exper. Gmelini adhibuit, & corporis & animi vigori reſtitutum eſſe. Faxit Deus, ut conſtanti hac ſanitate diu fruatur.

Societatis noſtræ phyſicæ Membra pro Horto Botanico 3000. fl. contulerunt, & opportunus extra urbem locus ſeſe offerebat. Potior autem pars eum rejecit, & exſpectare vult majorem ſummam, quæ ex ſortibus publicis (Lotteries) adquiritur, ut intra mœnia locum ſeligamus. Interim conduximus aream 24000. pedum quadratorum, in qua tentamen inſtituere animus eſt. Ea hoc anno in areolas diſtribuetur, & aquis inſtruetur & plantis. Utinam tuo jam conſilio & colloquio frui poſſem, ut tanto concinnior & uſibus aptior evaderet. Sunt apud nos Anthophili potius quam Botanici, ſi unum aut duos excipias vix eſt, qui Botanices fundamentis ſit imbutus; plures vero hujus ſtudii ſunt amatores. Conſilium eſt apud eos hunc amorem fovere & ſtudii facilitate & ele-

gantia allicere, ut ad idem excolendum majori ſtudio ducantur. Methodus Linnæana plerisque & ſimplicitate ſua, quæ ex numero & relatione ſtaminum claſſes ſtatuit, perplacet. Methodus naturalis, quæ non ex una, ſed naturam imitans, ex compoſitis relationibus fructificationis & vegetationis partibus claſſes exponit, difficilior videtur. Sed agnoſcunt omnes, niſi Linnæanæ claſſes ad naturales claſſes prius reductæ fuerint, in perplurimis plantis difficillimam futuram perquiſitionem. Plantarum ſemina obtulerunt Directores horti Carlsruheniis, quæ etiam noſtratibus ſunt plantæ & ſemina liberaliter & amice invicem communicamus. Clar. Gmelinus quædam Siberica quoque promiſit. In ea etiam egeſtate rerum exoptatum foret, ſi ab humanitate tua & beneficentia quædam pro inſtituendo horto ſemina exſpectarem. Scripſi Tiguri d. 11. Sept. 1748.

390.

## CAROLUS LINNÆUS.

Per Dm Miſſam habere ſuaviſſimas tuas, refertas candore & amicitia ſumma; hanc colo, hanc æſtimo & magni facio. Quidquid velis de meis dicere, poteris omnino; inde mihi nihil recedit, modo tuam habeam amicitiam; nolo eſſe inimicus cum ullo, multo minus cum heroe in arte & antiquo amico.

Si poteris me audire, ut amicum candidum, ego ſuaderem quod deſiſteres ab apologiis; cum

Ham-

Hambergero & aliis, non eſt ille Tui par, quantum ille Te inferior eſt, tantum illi accedit de fama, qui alias lateret paucis notus, niſi ſuis proximis. Noſtrum ſpeculum, Boerhaavius nunquam reſpondebat. Memor ſum illius effati ad me; dixit mihi: nunquam debes reſpondere ad apologias; & hoc mihi promittas, promiſi; & inde maxime profeci; tuæ horæ publico nimis pretioſæ ſunt; Tu poteris magis quam centum alii contribuere in augmentum ſcientiarum; plurima pars hominum judicat, quod non intelligit, vide quomodo reges bella gerunt, victores evatunt cum ruina plurium millium ſubditorum; ſic eruditus vincit cum jactura plurium meritorum ſuorum. Beatus Dillenius a paucis fuit amatus ob litem cum Rivino, licet victor evaſit; doluit hoc deinde multum; & ſe hoc doluiſſe mihi ipſe narravit. Si vera noſtra ſunt, aut falſa, erunt talia licet noſtra per vitam defendimus; poſt fata noſtra pueri, qui nunc laudant, noſtri judices erunt. Nunquam Hambergeriana perſiſterent, ſi vel ille victor evaſiſſet in re erronea. Perpende antiquorum controverſias in re herbaria; legas, nonne nauſeam movent. Multi legunt apologias cum oblectamento, ſed nunquam amant perſonam acrem; ſed horrent & rident. Tu facias in re tua ut placeat; meum eſt tantum uti amicus conſulere. Non debet imperator nimis diu bella continuare. Cogit hoſtem ſæpe ad ea, quæ ipſe non cogitaverat; immiſcetur ſæpe aliis præliis: ſic facile accideret, ut Hambergerus acciperet amicum, qui inciperet Tua adrodere omnia; forte

arriperet quæ nunc non intellexit, in quibus forte caderes. Ego hæc Tibi dixi, ut amicus fideliſſimus & peream, ſi non hæc dixerim uti amicus integerrimus. Si Tu aliter hæc excipias a me dicta, valde peccas.

Mariſcum ego examinavi; & vidi optime differentiam iſtam, quam Tu obſervaſti a Schœno Fl. Lapponicæ, & hæc notavi in Itinere Gotlandico; ſed obſerves quæſo reliquas ſpecies; & videas dein, num debeas novum genus condere; obſerva faciem, modum florendi &c.

Exſpectamus methodum tuam, quam promiſiſti Miſſæ, reformatam, ut potero eam inſerere claſſium plantarum mearum novæ editioni. Cum liceat & occaſio ſeſe præbeat, mittam ad Te diſſertationem de Curioſitate naturali; ego ſupplicibus verbis a Te petam, uti eam amice recenſeas, & hoc ob certas cauſas; ne hæc charta vacua veniat in manus tuas, dabo Tibi Muſcum pariſſimum, quem forte non poſſideas. Muſcus eſt Norwegicus umbraculo ruberrimo Petiv. vide Dillen. muſc. appendicem, invenimus & eundem umbraculo ſaturate flavo. Mira nobis narras de Arctoti, quod ſemifloſculii radii abortivi, & diſci fertiles ſint, non credebam propriis oculis vel calamo, adeoque hac hora iterum examinavi flores. Sed ſunt in meis floſculi radii inſtructi ſeminibus magnis villoſis, corona paleacea obtuſa coronatis; floſculi diſci tantum gerunt ſemina anguſtiſſima exſucca & fere nulla. Annon Tu aliud habeas genus, vel annon habeas ſpeciem, mihi non viſam?

Tæniam

Tæniam examinavi, & reperi 14. vivas integras, quæſivi caput, quod omnes medici in lumbrico lato quæſiverunt, ſed fruſtra; falſiſſimum eſt caput, quod Tulpius habet in obſervationibus, & fruſtra quæritur caput, nam caput eſt in ſingulo articulo, & os in ſingulo articulo, in una ſpecie ſubtus, in altera ad latus. Nullus mortalium potuerit intelligere hunc vermem, qui non intellexerit polyporum naturam, de quibus recentiores tam multa; habet tænia naturam polyporum, & propagatur ſecedentibus articulis, dum quilibet articulus vivit, & accreſcit in perfectum corpus: inſerui Actis Upſalienſibus nunc imprimendis.

Tandem intellexi, qua ratione margaritæ naſcantur & generentur in conchis, & potero jam efficere *a*), ut quælibet concha margaritifera, quam licet in manu tenere, poſt 5. vel 6. annos ferat margaritam magnitudine ſeminis e vicia vulgari.

Vidiſti procul dubio volumen 8. Act. natur. curioſorum, & ibi Mitchellii nova genera; ſunt

| | | |
|---|---|---|
| certo Cynorrymbium | eſt | Mimulus. |
| Diconangia | | Itea. |
| Memecylon | | Andromeda. |
| Pentſtemon | | Chelone. |
| Melilobus | | Gleditſcha. |
| Spondylococcus | | Callicarpa. |
| Trilopus | | Hamamelis. |
| Trixis | | Proſerpinaca. |

Aphyllon

*a*) Ob id inventum ab ordinibus regni ſplendide remuneratus fuit Vir Ill.

| | | | |
|---|---|---|---|
| | Aphyllon | | Orobanche. |
| | Chamædaphne | | Lonicera. |
| Forte | Aronia | erit | Acorus. |
| | Corion | | Arenaria. |
| | Elymus | | Zizania. |
| | Erebinthus | | Cracca. |
| | Hedyoſmus | | Ziziphora. |

Vera & genuina genera: Acnide.
Angioplaris.
Viticella.
Malacodendum.

Imperfecta: Garosmus.
Leptoſtachya.
Myrrha.
Helix.

Difficile valde fuit hæc extricare.

Ego non ſeduxi Te, optime Amice, cum dedi recenſionem membrorum ſocietatis regiæ Stockholmenſis; fuere omnes, quos ſcripſi, electi & mihi in mandatis datum, ut ad eos ſcriberem, licet Academia nullos alios receperit, quam ſolum eos, qui reſponſum dedere, & teſtificati ſunt beneplacitum.

Nomina ſpecifica in Horto Upſal. plura emendaverim, cum plures jam noverim ſpecies, certe qui non attendit ad omnes notas, errat quoties ſcribit nomen, non habito reſpectu ad omnes notas. Vale & diu vive ſoſpes. Upſal. 1748. d. 13. Sept.

391.

## H. D. GAUBIUS.

Pro transmiſſis gratias humanitati tuæ maximas ago, laudoque inſignem tuum in adjuvanda re medica fervorem, quem merito boni omnes, quibus otium eſt, imitari deberent. Nos tamen & inteſtina ſtatus publici perturbatio, & gliſcens perfidi hoſtis furor adeo tenet attonitos, ut propemodum de fuga magis, quam de ſtudiorum ratione ſolicitis, ſatis ſit officium taliter qualiter feciſſe. Non itaque magni momenti ſunt, quæ aut mittere aut ſignificare nova Tibi poſſim. Medicas Diſſertationes omnes, quæ hoc & ſuperiore anno in hac Academia defenſæ ſunt, ſine delectu, quem tuo judicio permitto, accipies. Addidi Hemſterhuſii ſermonem nitidiſſimum ad principem noſtrum, & quem ipſe hoc anno de regimine mentis medico neceſſitate extortum habui. Ceterum Winterus Archiater Principis ad noſtram Academiam promotus nuperrime eſt. Schreiberum ita cognovi, ut facile credam nauſea ſuæ ſortis laborare: num alibi melius habiturus ſit, dubito. Vale & me ut amas, ama. Dabam Leidæ 24. Sept. 1747.

392.

## J. C. RAMSPECK.

Litteras tuas mihi gratiſſimas ſuo tempore accepi, e quibus non ſolum Te cum honoratiſſima

familia

familia valere, verum etiam propenſum erga me animum haud mutaſſe, ſummo cum gaudio perſpexi. Ego ſane ad ultimum usque cordis ictum omni ſtudio eo annitar, ut nec in poſterum me benevolentia tua, qua me hactenus complecti haud dedignatus es, prorſus indignum judices, nullamque occaſionem prætermittam, quin quanti tanti Viri favorem faciam omni opera ſim Te ſtaturus.

Præteritis diebus favente ſorte ſuffragiisque Fautorum in Profeſſorem Matheſeos electus fui. Promotores mei erant D. Nicolaus Bernoulli J. U. D. & Prof. D. Burcardus S. Theol. Prof. D. Burcardus Scholarcha, atque optimus noſter Stæhelinus, neutiquam vero . . . . , qui potius ſpartam hancce modo nactam mihi invidet (ſed hoc obſecro ſub roſa). Quum vero ab ampliſſimo Senatu academico mutatio mihi cum Cel. Joh. Bernoullio Eloquent. Prof. fuerit propoſita, non poſſum non huic petitioni aures præbere faciles, quapropter in poſterum munus Profeſſoris Eloq. in me ſuſcipiam, hancce Spartam Deo volente circa medium Novembris ſolemniter auſpicabor. Quamvis vero nunc in Facultatem philoſophicam receptus fuerim; artem tamen aſclepiadeam, in qua Te, Vir Celeberrime! per quoddam tempus Præceptore uti tam felici mihi eſſe licuit, minime negligam, ſed potius ſtudio anatomico atque botanico maximopere me dabo, ut ſuo tempore vacante aliquando hacce cathedra reliquis competitoribus palmam reddere poſſim dubiam. Cum autem Te Vir

Vir Illuſtris in hiſce diſciplinis omnibus hujus ævi Eruditis præcellere abunde ſit notum, ut me porro ex uberrima eruditionis tuæ penu conſiliis tuis, quæ mihi tam domi quam foris ſalutaria fuere, uti hactenus feciſti, allevare pergas etiam atque etiam rogo atque obſecro. Opportunitas quidem adeſt plantas colendi, ſpatioſum quippe hortum poſt ædes noſtras poſſidens, verum ſemina mihi deficiunt, ſi nonnullorum pro tua in me benevolentia proximo vere me participem facere velles, in æternum me Tibi jam ſatis obſtrictum devincires. Excellentiſſ. Stæhelinus noſter, qui indies Deo gratias melius habet, a Te Vir Celeberrime! litteras exſpectat reſponſorias, Tibique plurimam dicit ſalutem.

Auguſtiſſimum Regem veſtrum Tibi Vir Excellentiſſime! non ſolum collocutum, verum etiam Te præ reliquis Profeſſoribus ſingulari clementia affectuque regio complexum fuiſſe, ſummo cum gaudio e novellis publicis edoctus fui, quem honorem Tibi animitus gratulor. Quoad nova pauca habeo, quæ Tecum communicem. Sprengius noſter præterito menſe in frequenti Panegyri in memorium pugnæ ad Divi Jacobi olim anno 1444. commiſſæ orationem germanicam publice habuit, Helvetiorumque qui in hocce prælio occubuere laudes ac facta recitavit; quæ oratio panegyrica nunc publici juris facta eſt. Circa finem hujus anni animus ipſi eſt in laudem Willhelmi Tellii publice verba facere, quumque ſeſe totum ſtudio det Hiſtoriæ patriæ Societatem quandam

ſic

ſic dictam Helveticam formavit, in cujus conſeſſu de Origine Helvetiorum diſſerit, poſteaque meletemata ſua circa hanc materiam ſub titulo Leſungen über die helvetiſchen Geſchichten in publicum edet. Dabam Baſileæ e Muſeo x. Calend. Octob. 1748.

393.

## J. B. MORGAGNUS.

Vix ego ſub initium Septembris tres ex noſtratibus libros (neque enim plures qui Tibi forſaſſe ingrati non ſint, his temporibus exierunt) in parvum, tuo illuſtri nomine inſcriptum, faſciculum compactos, Bergomum ad Orellios miſeram; cum Bergomo a Sprechero ad me miſſus en multo major faſciculus tuus, cum litteris humaniſſimis conjunctus, quas die 18. Junii dederas. Ago gratias plurimas liberalitati erga me tuæ, non ſolum pro iis quæ miſiſti, ſed pro iis etiam quæ nuntiaſti, ſive a Te, ſive a Tuis egregie utiliterque peracta, & quamprimum edenda. Nihil enim mihi eſſe gratius poteſt, quam & legere, & audire adeo promota, & promovenda communia ſtudia, in vaſis præſertim, & nervis, & cerebro ipſo. Illud unum grave eſt, vix poſſe me, niſi animo, quo certe non deſum, nec deero quoad vivam, tantæ iſti tuæ erga me humanitati in præſentia reſpondere. Nam quod ad alienos attinet libros, de eorum apud nos penuria jam dixi, quod ad meos autem: quales hi cumque

cumque futuri ſint, ejusmodi certe ſunt, ut disjuncti exire non poſſint: quam ob rem, niſi omnes abſolvero, quæ res annos requirit plures, typis non commiſſurus ſum. Quod hos optas, benevolentiæ tuæ, Illuſtris Vir, acceptum refero: cujus luculentiſſimum teſtimonium vel in Præfatione ipſa dediſti ad primas lineas utiliſſimæ Phyſiologiæ tuæ. Quam benevolentiam, quæſo, conſerva ergo hominem, eximiæ tuæ & virtuti & humanitati addictiſſimum omni tempore futurum. Vale. D. Patavii poſtridie Kalendas Octobris CIↃ IↃCC XXXXVIII.

394.

## D. LUDWIG.

Licet hac ipſa æſtate ob morbum & mortem filii unici, & ob alios labores practico clinicos horti curam habere non potuerim, tamen cura amicorum omnia ex voto ceſſere. Vidi & ego Hambergeri ſcriptum, quod maxime diſplicet, fac quæſo ut ex hac controverſia Te volvas, permittas ut alii ſcribant. Vale & me ut ſoles ama. Dabam Lipſiæ d. VIII. Octobr. 1748.

395.

## J. G. GMELIN.

Oblitus ſum, cum nuper ad Te ſcriberem, me Büttnerum tuum commendaſſe Petropolin,

ut Botanici munere ibi deſungeretur. Hoc feci tunc temporis, cum pro me dimiſſionem peterem. Iraſcentur ab initio, ſed ſpero, poſtea in gratiam redituros eſſe. Reſponſum autem nondum tuli. Scripſiſſem etiam de Meckelio, niſi impetum faciens Kauius præripuiſſet palmam. De hoc nuper ſcripſerunt, ſebre catarrhali maligna periculoſiſſime laborare, qualem autem eventum ceperit, de hoc nondum certior factus ſum. Rudbeckia pulcherrima mihi ex ſeminibus Collinſonianis floruit, foliis radicalibus integerrimis, nihil plane ſerratis. Multa habet communia cum illa, quam Dillenius in horto Elthamenſi deſcribit, ſed pedunculi florum multo breviores ſunt. Receptaculum ſeminum cylindricum eſt. Etiam Caſſiæ ſpecies, cujus deſcriptionem nusquam adhuc invenio, egregie floruit. Prioris ſemina matura mittam. Poſterior fructum non maturavit. Linnæus ad me ſcribit, inveniſſe ſe methodum, ex ſingulis plantis virentibus, modo aſpiciat illas cælo vel ſereno vel nubilo, horam diei determinandi, præter horam ab octava ad nonam: editurum ſe hac de re ſequenti anno diſſertationem ſub titulo: *Horologii floræ.* Vale & me amare perge.

Dabam Tubingæ, d. IV. Oct. CIↃIↃCC XLVIII.

396.

## J. G. GMELIN.

Facile in ſuſpicionem negligentiæ apud Te cadere poſſem, dum nec ad epiſtolas tuas, nec ad munera, mihi ſane pretioſiſſima, adhuc aliquid perſcripſi. Sed patria proſcriptus ſum ex ſententia Præſidis Academiæ Petropolitanæ, nusquam ſecure vivens, niſi apud ſponſam, ubi nullus ſcribendo locus eſt. Sane tam iracunde, tam ignominioſe & fere dixerim .... mecum egit Præſes, ut aliquam mihi temporis partem abripuerit. Stutgardiam debui proficiſci; Sereniſſimo noſtro Principi rem meam explicare, & ab illo litteras interceſſorias petere. Hactenus ex mea parte omnia, uti puto, morate acta ſunt, & ita etiam judicavit Princeps, quod Chriſtianos non barbaros magis deceat. Niſi vero deſtiterint fulmina vibrare, & in ſententia perſiſtant, quod debeam reverti Petropolin, tunc alio flectam ſermones. Moraliter coactus fui, pactum cum ipſis inire, & ſatis duco ſervitia præſtitiſſe per viginti annorum decurſum, eaque ſine ulla reprehenſione. Hæc potero demonſtrare, ſi ita placuerit illis hominibus, qui tam dure mecum agunt. Forte autem compeſcent affectus, nec ad extrema devenient. Videtur etiam Schreiberus tantillum in horum hominum ſententiam inclinare; allegat enim exemplum D. Smithii, de quo Göttingæ me commorante ad Te ſcripſerat Ill. Werlhofius, quod ille ex pacto redierit. Ego ſane, uti nunquam in

animo habui redire, nec unquam redibo. Semina miſi Linnæo mihi vicino, Tu procul abſuiſti. Multos ille errores commiſit, quorum aliquos tetigi in ſecundo tomo. Inprimis etiam loca natalia plerumque ſatis perverſe indicat. Multum Tibi debeo pro Horto Upſalenſi. Accepi amœnitates ejus, ſive librum in 8°. qui continet omnes ejus Diſſertationes in unum librum collectas. Stæhelinus, quicquid ſcribat, idem eſt, qui fuit, cum ego illum viſerem. Habeo hoc de aliis amicis Baſileenſibus. Eſt pars ejus morbi, quod miſerrimus putet, ſe optime valere. Et corpus morbo laborat & mens, Tu vero æternum Tibi devincies totum Orbem litterarium, ſi curare poteris, ut icones & obſervationes ejus adhuc frugi ſint. Hambergerum ego non multum curarem. Omnes ex tuis partibus ſtant, niſi qui ratione deſtituuntur, aut fidem experimentis derogant, aut experimenta ipſi inſtituere neſciunt. Interim nihil ex hoc patitur orbis; cumula experimenta, demonſtra theſes tuas ſecundum omnem rigorem, nemo erit, qui indignabitur. Quod catenæ meæ non diſplicuerint, lætus percipio & gratias ago pro congratulatione. Sed catenæ ſunt duriores, quæ ſponſalibus complendis remoram injiciunt, puto Ruſſica fulmina. Antequam enim dimiſſionem obtineam, aut jubear a Sereniſſimo Principe, munus profeſſorium non adgrediar, nec antea nuptias celebrabo, antequam munus aggreſſus ſim. De Büttnero nihil novi poſſum ſcribere. Debent animi Petropolitarum placari, tum forte de hoc cogitari poterit. Dab. Tubingæ, d. 22. Octob. clↄ Iↄcc xlviii.

397.

397.

## NICOLAUS ROSEN.

Benevolentiam, & favorem tuum, Vir Amiciſſime, in Rothmannum & Dn. Elf collatum gratiſſimus agnoſco, & poſtquam Lipſiæ valedixit, jamjam Tibi aderit Aurivillius noſter, quem tenerrimo, quo cœpiſti in Suecos, complectaris animo, quemque informatione tua, fideliſſima & incomparabili, ornes augeasque, majorem in modum, oro & contendo. Valetudini auguſtiſſimi Regis & Monarchæ noſtri inſerviturus, adhuc in Aula commoror, quemadmodum & Sereniſſimæ Principi Hæreditariæ, Carolum Principem die 26. Sept. favente Lucina enixæ, & ante & poſt puerperium ſedulus adfui. Novellas noſtras Suecanas, easque litteratas, lubentiſſimus Tecum, Vir optime, communicabo; ut juxta monendum erit, eſſe illarum auctorem & collectorem nonniſi typographum, Laurentium Salvium. Avide exſpectamus reditum Profeſſoris Clewbergii. Ignoſcas, Vir illuſtris, quod epiſtolam ad Dnum. Dm. Meckel, a me datam, tua potiſſimum ope reddendam putaverim. Obſervationes tuas de membrana pupillari, Actis Societatis Stockh. Suecico indutas habitu, inſeruimus, nec graveris nos omnium eorum fructuum participes facere, qui ex feraciſſimo ingenii judiciique tui horto proditurí erunt. Me interea temporis, uti ſoles, habebis &c.

Stockholm d. 2. Novemb. An. 1748.

398.

## G. E. GEBAUER. Anteceſſ.

Percrebuerat fama, celeberrimum antiquiſſimumque Pandectarum codicem mſtum, qui Florentiæ in Gaza regia aſſervatur, a Taurelliis parum diligenter & accurate eſſe editum. Perſuaderi ſibi paſſus eſt Henricus Brenemannus, ut ſuſcepto in Italiam itinere, inſtitutaque accuratiſſima collatione, quicquid illius theſauri neglectum eſſet, ſervaret nobis, codicemque paucis oſtendi ſolitum, & tandem poſt mille annos dudum elapſos ſua periturum ætate, daret integrum. Non caruit difficultate hic conatus; ſed ab Henrico Newtono ablegato Britannico valde Magno Duci commendatus, obtinuit tandem, ut una cum Abbate Salvinio viro utriusque linguæ peritiſſimo ſibi liceret codicem accuratiſſime a capite uſque ad calcem inſpicere. Aliquot annos huic rei impendere Viri illi doctiſſimi, & præterea Brenemannus Taurini, Florentiæ, Romæ multos alios codices Pandectarum MSt. tractavit, & in locis maxime dubiis inſpexit & conſuluit. His Gazis onuſtus tandem in Belgium rediit, totumque emendandis, explicandis, enucleandisque Pandectis ſe dedit, Hiſtoriam Pandectarum, nempe illarum Florentinarum, in publicum emiſit, &, quid conaretur in ea expoſuit, ſed curis, morbis aliisque forte calamitatibus fractus, tandem rebus humanis valedixit: ſuis ſcriptis, collectionibus, lucubrationibus magnam partem nondum ad umbilicum perductis

ductis Celebri JCto Bynkerſhoeckio legatis. Hæc omnia me de editione Corporis Juris civilis a tot annis cogitantem latebant, cum poſt B. Reinharthi mortem & meæ mortalitatis memor apud me ſerio conſtituebam, ne mei labores prorſus interirent, Corporis Juris editionem moliri, & ea de cauſa vacationem a munere de jure reſpondendi petere, quam Illuſtriſſimus noſter Curator mihi vix gratioſiſſime indulſerat, cum in Catalogo Bynkerſhoekiano ipſe legerem, iſta Brencmanniana omnia proxime fore venalia. Vix credebam oculis, & poſtquam de tanto ærario dubitare non amplius licebat, triſtis admodum neſciebam, ad quem iſta omnia nunc eſſent perventura. Parum aut nihil ſpei ſupererat poſſe illa a me emi, in Belgio maxime, ubi tot amatores Juris romani exſtare credebam, me animoſiores & ditiores, &, quod caput rei erat, me feliciores, quod iſta omnia oculis inſpicere poſſent, nec cum folle rem tantam emere haberent neceſſe. Sed ut Deo ita omnia moderante contigerunt, ita exſpes putabam non indecorum fore, ſi in tanta turba, ut ego quidem rebar, emtorem homo etiam Germanus compareret. Illuſtriſſimus noſter curam iſtius rei omnem pro conſueta ſua comitate ſuſcepit; mille & quingentos florenos Hollandicos in omnem caſum volui eſſe pretium meum; & en! mihi nihil tale ſperanti ea MSta omnia, ut pag. 218. Catalogi Bynkerſhoekiani leguntur, mille & quinquaginta florenis Hollandicis ſunt emta. Ex eo tempore ſiſyphium illud ſaxum volvo, & poſtquam ante menſem denuo vacatio a munere

JCti de jure reſpondente mihi obtigit, certa & pulcra me fovet ſpes, fore ut futura æſtate de opere illo imprimendo cum Bibliopolis agi poſſit. Gazis Brencmannianis jure dominii, &, ni fallor, rectius ipſe Brencmanno ſum uſus, ut finito labore per ſpeciale ſchediaſma orbem eruditum edorebo, & in Codice quoque Novellis Inſtitutionibus & Feudis varie exornandis neutiquam fui ſegnis, ut, niſi Bibliopola defuerit, novam emendatiſſimam locupletiſſimamque Corporis Juris civilis editionem poſt unum alterumve annum ſim daturus. Forte e re foret & mea & publica, ſi tribus verbis hanc ſpem in novis noſtris litterariis JCtis noſtris annunciares, non tamen meo nomine ſed imperſonaliter. Habes, Fautor honoratiſſime & Amice non e multis, hiſtoriolam Brencmannianorum, utaris ea, ut lubet, & ſi quid amplius ſcire cupis, impera. Forte etiam in Scripto tuo Anglicano, quod avide exſpecto, poſſet aliquo in loco mentio injici mei Richardi, non ac ſi tantæ laudis cupidine ducar, ſed ut tamen Britannis, quibus ni fallor iſta Tua ſcribuntur, innoteſcat, in Regis communis Univerſitate res nobiliſſimæ gentis non prorſus negligi. Sed & hoc tuo arbitrio plane committo. Vale & quod facis, fave. 12. Nov. 1748.

399.

## J. F. MECKEL.

Triſtis lugeo abſentiam meam a Te Cariſſimo Præceptore meo, quoties gratiſſimum illud in animum

animum recurrit, quod favore tuo plane inſigni, per tot annos Tecum mihi fuit ac utiliſſimum Commercium; nec unquam acerbius mihi quid viſum eſt, quam ille, quem ſemper timui atque abhorrui, a Te Cariſſimo Præceptore meo diſceſſus. Aſt triſtem erigit animum abſenti etiam mihi non denegata benevolentia tua, qua me Tui deditiſſimum, impoſterum dignari velis, enixe rogo. Lætus jam ex litteris cariſſimi amici mei Sprœgelii, tuam perſpexi bonam valetudinem, quam Omnipotens Deus Tibi diutiſſime ſervet precor. Nec minus incrementum Civium Academicorum Gœttingenſium cum voluptate animi ex iisdem litteris cognovi; ſic enim brevi fiet, ut numerus ille ſtudioſorum, quem aliæ Academiæ ſimulant, Göttingæ vere adſit. Obitum tamen Illuſtris Klaprothi & hic diſcipuli ejusdem dolent. Sed erunt, qui parum hac calamitate afficientur, quorum applauſui hæc mors conſuluit.

Wetzlariæ die XVI. Novemb. MDCCXLVIII.

400.

## J. F. SCHREIBER.

Novi, D. Bolten Hamburgenſenſem de ſcripto meo de Peſtilentia ed. Berolin. ſiniſtre & publice ſenſiſſe; interim non animadvertes, me in MSCTo, quod in manibus habes, vel verbulo mentionem ejus feciſſe. Interea adhuc ſemel, & ultima vice, reſpondebo: eoque magis, quod Te in his ultimis litteris non recte defendiſti. Quantum

tum ad litem cum Hambergero, mea eſt ſententia, Te propoſitiones tuas circa illam rem, quæ mihi veræ videntur, probare debere a priori vel a poſteriori, quantum potes, quo ipſo cadunt contrariæ ſententiæ omnes. Reliqua exulcerant animos, ſuntque ſine fructu. Ita agere conſueverunt Mathematici; hinc horum ſcripta carent litibus & controverſiis. Alterum tangit Initium Phyſiologiæ tuæ de fibra: id quod Tibi olim non adeo probabatur Comm. cit. Vol. I. p. 110. Reſpondes in ultimis Tuis: id ideo factum, quia totum corpus ex celluloſitate fieri, nunc perſuaſus es. Quamquam vero hac de re olim perſuaſus non fueris, adtamen ſemper, opinor, putaſti, omnia ſolida C. H. ultimo conſtitui ex fibris, tela celluloſa non ſola, ſed ſolido quovis. Ut adeo eadem cauſa ordinis ſemper ſubſit. Sed hæc ſufficiant. Si Deo aliquando fuerit viſum, ut edere poſſim, quæ circa Phyſiologiam congeſſi, ſatis videbis, quanti a me fias, & quantum per tuam incredibilem diligentiam profeceris. Quidquid ſit, Phyſiologia tua eſt eximium opus: ſed multa cum ratione vereor, ut pauci eam intelligant. Ex litteris D. Sanchés d. 10. Aug. Pariſiis ſcriptis, perſpexi, ipſum meas tuæ curæ commiſſas recte adcepiſſe. Pro qua humanitate tua inſigni, optume Hallere, Tibi ſum admodum obſtrictus. Vale cum egregia tua Conjuge atque tuis Liberis quam optume & diu. Petropol. 19. Novembris 1748.

401.

401.

## JOH. GESNERUS.

Accepi liberalitate tua Vir Ampliſſime perelegans Mekelii de Nervo quinti paris ſcriptum, quo in genere nil pulcrius, nil abſolutius magis me vidiſſe memini, ut abunde cognoſcatur, quantum tuis conſiliis, tua doctrina, tua eruditione profecerit Clar. Author. Rev. & humaniſſ. D. Sprunglinus poſt aliquot dies me acceſſit, & lætiſſima quævis de Te & optimo tuæ ſanitatis rerumque tuarum ſtatu mihi nunciavit. Eum Tibi omnes boni ad Neſtoreos annos conſtantiſſimum optant. Oblatrantem Hambergerum, ſuique ſimiles nemo Tu omnium minime curabis. Linnæi methodus, quod opuſcula ejus in omnium manibus eſſent, & prima ſpecie facilitate ſua ſe omnibus commendaret, expetita fuit. In iis tamen locis, ubi plantæ a claſſibus naturalibus nimium divulſæ erant, immutavi, ut in graminibus, in ſyngeneriis, in quibus quatuor ordines ſemifloſculoſarum, cinarocephalarum, radiatarum, diſcoidearum ſervavi; ita & Diandrias ringentes in Didynamiis reliqui & nonnulla alia. Optamus autem, ut pleniora de elegantiſſima tua methodo ad nos perveniant, quæ ad naturæ normam pluria revocabit. Video in Cl. Linnæum tuis obſervatis non raro tum in Horto tum in noſtro Syſtemati cum fructu uti. Tiguri d. 19. Nov. 1748. raptiſſime.

402.

## J. C. RAMSPECK.

Obſtinationem certe & pertinaciam Hambergeri concipere fere vix queo; libellus ejus conviciis refertus, quem contra Te edidiſſe ex litteris tuis perſpexi, hic nondum eſt notus. Quum certe bina tua programmata, quibus eum oppugnaſti, omni exceptione ſint majora, quippe argumenta indubitata tam a priori quam a poſteriori contineant, non video, quidnam (calumniis exceptis, quibus Te jam impugnavit) contra ea ab ipſo negari poſſit, nullusque dubito, quin ejus contumacia rixandique ſtudium ab omnibus bonis æquitatisque amantibus odio habeatur. Quum Cl. Stæhelinus noſter ex litteris tuis perſpexerit, Te icones ſuas de ovis deſideratas, eas ut Tibi mitterem mihi tradidit, quas a Dno. Renier accipies; ad intelligendum Bellinum de *ovo ejusque aëre* eas quam maxime utiles eſſe Vir laudatus mihi dixit, ſique in publicum edere illas velles, gratiſſimum mihi faceres. Calculus iſte algebraicus literis hiſce incluſus etiam ad hanc rem facit, figuram reſpondentem in iconibus reperies. Fungos ipſius non opus eſt ut remittas, eos itaque ſervare poteris. Quoad ejus valetudinem, ſemper adhuc quam maxime eſt infirma, cumque nuper inſultum apoplecticum paſſus ſit, totumque inſuper nervoſum ſyſtema valdopere debilitatem habeat, vereor, ut revaleſcat. Ædes ſuas nuper vendidit, aliasque minoris pretii

tii emit. Quum Poſſeſſor Commercii epiſtolici Bauhiniani, qui per quoddam tempus abſens fuit, nuper in Patriam reverſus ſit, id pro Te deſcribi curabo. Fridericus Zwingerus novum fungum a nemine adhuc deſcriptum ſeſe inveniſſe putat, quem vero apud ipſum nondum videre potui; ipſum in deſcriptione pagi Brattelen, in cujus vicinia creſcit, cum publico communicabit. Vale, Vir Celeberrime! Dabam raptim e Muſeo d. 8. Decemb. 1748.

403.

## J. F. MECKEL.

Litteras ad me humaniſſimas dederunt Illuſtris Archiater Roſen, & Ill. a Bergen. Ille, quæ nondum edita de Nervis haberem, a me exigit, ut ſibi eadem tradam, his verbis: „Si „ quæ recens adinventa & judicii tui acumine „ elaborata typis non commiſeris, nobis trans„ mittenda cures, ut in Actis Societatis noſtræ „ Stockholmenſis, quem jure ſibi vindicabunt, „ ipſis locum adſignemus". Certam quidem mihi hic Ill. Ellerus, & Eulerus, & Sprœgelius, qui Tibi ſeſe commendant Teque ſalutant, promittunt tum receptionem in ſocietatem ſcientiarum, tum profeſſionem anatomicam, neque me aliud ambire munus volunt, quod in Academia Gieſſenſi poſt obitum Profeſſoris Hert oblatum mihi

mihi eſt; ſed non poterit ante reditum Dni. de Maupertuis ex patria, qui erit menſe Aprilis, receptio fieri. Interim meis in uſus anatomicis delector laboribus, & pergam nervorum inquirere latebras; ſed tuo prius indigeo conſilio, quis ille nervorum ſit, qui accuratiori indiget inquiſitione; an ſufficiens nervi ſeptimi paris adeſt deſcriptio? an vero magis operæ pretium putas intercoſtalis nervi ulteriorem inquiſitionem?

Lipſiæ Ludwigio innotui, & perhumano Hebenſtreitio, & tum temporis anatomicis laboribus inſudanti Güntzio. Horum prior, cum de Hambergero ſermo occurreret, ſatis tepide reſpondit, atque dubius hæſit, cui parti aſſentiret; attamen ab opprobriis abhorruit Hambergerianis, neque hic ullus eſt, etiam Hambergero amiciſſimus, quin ſcriptum Hambergeri deteſtetur, eoque omnem boni viri notam illum amiſiſſe fateatur; neque Lieberkühnius ab Hambergeri, ſed a tua ſtat ſententia, tantum abeſt, ut quæ mentitus eſt de eo Hambergerus, ita enim ipſe loquitur, vera ſint. Contra injurias a Te monita in Göttingenſibus novellis legi, & gratias pro amore tuo in me, quem immeritis laudibus publice teſtaris, ſummas ago. .... pertinaciam ac indignum doleo animum, ſed & hunc omnes boni deteſtantur. Dabam Berolini d. 24. Decembris MDCCXLVIII.

404.

404.

## B. WICHMAND.

Plures ſunt cauſæ, quæ ad Te, Vir Perilluſtris, litteras mittere monent; jubet enim pietas grati animi debitum indicare, ſuadet reverentia ſtudiorum genera vitæque conditionem enarnare. Fama eximiæ, qua polles, doctrinæ Göttingam me vocavit, ignotum ſingulari tua & ſuavi excepiſti humanitate, varia ad artem medicam pertinentia inculcaſti præcepta, iterum Te reliqui ampliori ſcientiarum penu inſtructus, lætorque me ea didiciſſe, quæ ſequentis vitæ uſibus inſervirent, & ſane jam fructum percipio. Pro his igitur tuis beneficiis ſummas ago gratias, debeo quam plurimas. Quod ſtudia vitæque genus attinet, domicilio hoſpitioque eodem cum D. Schobingero & Elff fruor, eodem ſtudiorum utor genere. Hora octava matutina quotidie Noſodochium militare petimus, deligationum videndi gratia: ægroti multi hic reperiuntur variis morbis laborantes, augentque numerum ex bello redeuntes venereis malis fere omnes affecti: curant multos repetita cataplasmata, alios ferrum, cujus uſum non ignorant præſentes Chirurgi, qui tamen cura non parva tractant ægrotos. Clinicorum raro adhuc adgredimur lectos, numero non paucos, quorum multi anatomicis chirurgicisque ſectionibus fiunt prædæ. In cadaveribus, febribus intermittentibus mortuis, venæ ſectionem 12. & pluries inſtitutam ordinatione Medici obſervavimus,

mus, perierunt hi maxime hydrope. Hora poſt meridiem 2da. operationes chirurgicas propriis manibus perficimus in cadaveribus, ſub auſpiciis D. Le Riche, hujus Noſodochii Chirurgo majore, cui, ut præmium, duos ſolvimus Ludovicos. D. Rothmann maxime operam impendit operationibus anatomicis & chirurgicis, quas ut melius addiſcere poſſit, apud D. le Riche hoſpitatur. Cum Univerſitate Argentinenſi nulla nobis res eſt. Præparationes ac demonſtrationes, ut audivi, brevitate non parva abſolvuntur. Profeſſor Eiſenmann, quantum valet, ſecundum Winslowum prælectiones habet. Profector Jacobi ſecat & præparat ita, ut multorum dierum labores unius vel plurium horarum inſerviant demonſtrationibus. Præterea initio demonſtrationum nomina ſtatim ſubſcribere, & nummos ſolvere auditores, famulosque agere Profectoris obligabantur, a quibus nos, Gottingæ melioribus adſueti, abhorrebamus. Profeſſor Sachſe in prælectionibus practicis maxime ſequitur Boerhaave, plurimis temporibus praxi diſtractus. Alternis diebus D. Fried audimus, virum pium, probum, & in arte ſua experientiſſimum, Practicum rationalem, & in Phyſiologicis maxime Tecum conſentientem, ut de placenta non in fundo ſolum uteri, ſed etiam lâteribus imo in orificio reperta: de reditu urinæ ex fœtu in matrem per funiculum umbilicalem, de fœtu non perſpirante per cutem, propter mucum abundantem, quo obtegitur: de cauſa partus ex pondere capitis unice derivanda, orificium uteri attenuante, dilatante & aperiente.

riente. De Allantoide, quam non omnino negat, ſed tamen in dubium vocat, & de pluribus aliis. Inſtrumenta non omnino rejicit, ſed caute & parciſſime adhibet. Operationes in partu tam naturali quam præternaturali in utero ex corio parato monſtrabit. Applicat in Noſodochio inſtrumenta & machinas, demonſtrat fideliter, nihilque reticet ad artem pertinentium. Manuale obſtetricale commendat Johannis von Horne, Sueci, quod memoriter fere totum recitat. Sententiam eandem ac Tu de Levret habet, & inſtrumentum ejus, ingenioſe excogitatum, laudat, in uſum trahendum, præcipue ſi crebriori experientia commodum ejus innoteſceret. Fatum tuum, ratione . . . . . valde dolet, de vera hujus cauſa ſeorſim inſtructus ab optimo Schobingero. Omni tertiæ hebdomadis die Saturni ſtatum exploramus gravidarum (ſunt enim tres auditorum claſſes, quorum quælibet propriam habet hebdomadem, huic actioni perficiendæ), & quem ordo tangit, ſub partu munus peragit obſtetricis. Octavum partum adſpexi, ſemel obſtetricavi. Pro hoc Collegio 6. ſolvimus Ludovicos, exceptis pluribus, qui extraordinariis rebus impenduntur. Exemplum lethalitatis vulneris cordis jam poſt 12. vel 14. horam ante menſem habemus. Miles vulneratus nocte in platea reperiebatur, mane in Noſocomium ferebatur, deligabatur, poſt 12. vel plures horas mortuus inſpiciebatur. Gladius coſtam $4^{tam}$. veram a ſuperioribus numerando, pollicis diſtantia a parte cartilaginea perforaverat fregeratque. Aperto

thorace pulmo dexter illæſus reperiebatur, ſed per fiſſuram enſis ad cor tranſiverat: remoto pulmone, foramen inveniebatur per auriculam & cameram dextram & apicem cordis lateris ſiniſtri. In cavitate pectoris liquor injectus ſub deligatione ſanguine rubellus erat, & ſub apice cordis thrombus ſanguineus non ita magnus foramen factum claudebat: camera dextra vacua adparebat. Quam humillime Te ſalutant D. Schobinger, Elff & Rothmann. Feliciſſimum novum annum & inſequentes multos optamus omnes. Amorem, favoremque, quibus me præſentem perſequi non dedignatus eras, abſentem Tibique obſtrictiſſimum complecti pergas. Vale. Argentorati d. 27. Decemb. 1748.

Bibliothek
H. E. Sigerist
No. 2797 Von
Dat. Pr.